Samuelis Hahnemanni

Materia medica pura

sive

doctrina de medicamentorum viribus in corpore humano sano observatis,

e Germanico sermone in Latinum conversa.

Conjunctis studiis ediderunt

Dr. Ernestus Stapf, Dr. Guilielmus Groſs et *Ernestus Georgius a Brunnow.*

Volumen I.

Dresdae et Lipsiae,
sumtibus Arnoldi librarii,
anno MDCCCXXVI.

Introductio editorum.

Celsorum ingeniorum opera, quibus res universo generi humano profuturae continentur, non unius gentis propria, sed toti terrarum orbi dicata existumanda sunt. Quod si ulli, profecto Samuelis Hahnemanni libri in omnium oculis et celebritate versari merentur. Quid enim mortalium magis interesse potest, quam ars illa praeclara, cujus tutelae pretiosissimum vitae bonum, corporis animique valetudinem committunt? Ecce, nihil unquam extitit, quod huic ipsi arti perficiendae plus contulerit, quam eximia illa *Hahnemanni* inventa!

Nomen famaque viri quin jam pridem exteris innotuerit, dubio caret. Nullus est profundioris eruditionis medicus, nemo chemiae atque pharmaciae peritus, qui *Hahnemanni mercurium solubilem* et *liquorem vini probatorium* ignoret. At, longe graviora, ampliora, elatiora illis, quae priore aetate indagaverat, insequentibus et novissimis temporibus eum praestitisse, diu extra Germaniam ignotum fuit, quum in ipsa Germania adversariorum invidia debitam ei coronam negaret. Etenim auctor extitit novae ejusque optimae morbis dynamicis medendi methodi, quam homoeopathicae nomine insignivit; auctor extitit doctrinae de effectibus medicamentorum simplicium genuinis, hoc est in sano corpore humano

deprehensis. Novam suam morbos curandi ratio-nem in libro immortali, Organo artis medicae nuncupato, explicavit; alteram vero doctrinam in opere, quod Materia medica pura inscriptum est, cujus sex adhuc prodierunt volumina, tradidit. Organum quidem jam anno 1824. versione Franco-gallica, ab *Ernesto Georgio a Brunnow* confecta et Dresdae sumtibus Arnoldi librarii typis vulgata, cum exteris communicatum est [1]). Alterum vero opus primarium, sine quo methodus homoeopathica exerceri nequit, omnibus Germanicae linguae expertibus hucdum clausum fuit. Itaque Ernestus Stapf et Guilielmus Grofs, artis medicae Doctores, ex Hahnemanni disciplina veterani ipsique amicissimi, atque Ernestus Georgius a Brunnow, Organi interpres nec non pari amicitiae foedere auctori junctus, opus illud pernecessarium in Latinum sermonem conversum quarumvis terrarum medicis offerre constituerunt. Praeter editores ipsos viri eruditissimi atque medicinae peritissimi, Dr. Carolus Trinks et Dr. Christianus Schoenck, singulis archetypi capitibus in Latinum transferendis operam impenderunt [2]). Quiritium autem linguam prae caeteris eligere placuit, tum quia hanc ab omnium terrarum medicis doctis intellectum iri certissimum erat, tum quia in designandis diversissimis medicamentorum effectibus dictiones proprias

---

1) *Organon de l'art de guérir; traduit de l'original Allemand du Dr. Samuel Hahnemann par Erneste George de Brunnow; à Dresde, chez Arnold libraire éditeur*, 1824.

2) Quilibet interpres particulis a se conversis monogramma suum subscripsit. Nimirum St. significat *Ernestum Stapf*, Gr. *Guilielmum Grofs*, E. G. a B. *Ernestum Georgium a Brunnow*, Tr. *Carolum Trinks*, et Sch. *Christianum Schoenck*.

a lingua finita et constante repeti praestabat, quae, secus atque omnes illae adhuc in usu vitae communis versantes linguae, nihil aut saeculo aut provinciae cuidam peculiare admixtum haberet. — Organum etiam in Latinum convertere nobis in mente est, ut absolutum exteri possideant Hahnemanni operum cyclum; attamen in praesens tempus omne studium in materiam medicam conferemus, praesertim quum Francogallica jam extet Organi versio, quae omnibus istam linguam callentibus sufficiat.

Introductionem, quae nunc sequitur, scribentibus triplex obversabatur finis. Primum enim novae artis medicae, quae Hahnemannum auctorem habet, origines et fata in genere depingere, tum vero de materiae medicae purae vi et utilitate insigni agere, denique nostrae ipsius versionis institutum et fabricam lectoribus explicare, et decorum et necessarium visum est.

Cap. I.

De novae artis medicae origine et fatis.

Samuelis Hahnemannus, Misniae in Saxonia anno MDCCLV. natus, puerili jam aetate eximii ingenii specimina dederat. Curriculo scholastico probe absoluto, linguarum veterum classicarum, philosophiae, physicorum, historiarum aliarumque bonarum artium scientia uberiori instructus, academiam Lipsiensem aliasque deinde literarum universitates adiit, ibique summa cum assiduitate medicinae studio incubuit. In observando accuratissimus, in experimentis instituendis solertissimus, in veritate indaganda acutissimus, ab ipsa natura ad legum medicarum investigationem factus esse atque formatus videbatur.

Hic quum medicinam, cujus cognitionem sibi comparaverat solidissimam, exercere coepisset, nullum eorum, quae adhuc regnavissent, systema medicum numeros suos implere, brevi intelligebat. Licet in morbis curandis haud infelicior, immo saepius felicior caeteris evasisset (quippe quum jam tum simplicitati, quoad ejus fieri posset, studeret), aegrius tamen in diem artis inopiam et incertitudinem ferebat. Laudatissimam quamque methodum tentando, eventum plerumque promissis adversum, atque utramque et theoriam et praxin contradictionibus vanisque opinionibus plenam deprehendit. Tandem desperans de stabilienda sic, ut optasset, medicina, professioni ejus renuntiare decrevit, honestam paupertatem facilius, quam temeritatis culpaeque conscientiam, tolerandam ratus. Literarum et praecipue chemiae studio deditus, opera medica aliusque generis compluria Britannorum et Francogallorum in linguam vernaculam convertendo, sibi suisque victum necessarium per aliquot annos quaerebat. Nec tamen ita aevum ab eo consumi fata voluerant.

Anno 1790. Guilielmi Cullenii materiam medicam in Germanicum transferens[1]), variis et portentosis, quas ibi invenerat circa vim Cinchonae febrifugam, explicationibus subito incensus est studio, genuinam hujus pharmaci virtutem nova via scrutandi. Plenissima valetudine gaudens, sufficientem Cinchonae copiam assumsit — et mox febre intermittente simillima illi, quam ipsum hoc medicamentum tollere valet, obrutus est. Miro symptomatum utriusque morbi concentu tactus, magnam statim praesagivit veritatem,

1) Vid. *William Cullen's Materia medica, Leipzig bei Schwickert, 1790. Theil II. S. 109. Anm.*

quae novae artis medicae fundamentum facta est. At, in uno experimento non subsistens, alia permulta medicamenta, quorum vis in certos morbos specifica praedicatur, in semet ipsum aliosque homines sanos efficientiam exserere jussit. Et idem semper extitit eventus: „Medicamentum exploratum genuina pollere vi, eadem symptomata in corpore sano excitandi, quibus in corpore aegroto mederi soleat.“ Comparavit deinde cum istis experimentis ea, quae ab antiquioribus et recentioribus medicis de nociferis et venenosis eorundem medicamentorum qualitatibus consignata fuerunt, atque ea cum observatis suis penitus consentanea reperit. Jam nunc in clarissima luce egregiam illam conspexit legem: Morbum dynamicum quemcunque optime sanari medicamento tali, quod simillimum symptomatum complexum eoque ipso similem affectionem (ὅμοιον πάθος) sponte sua in corpore sano excitare valeat.

Hac lege duce artem, quam aegre deseruerat, alacri animo rursus exercere coepit, et felicissimo curationum successu longos labores compensatos vidit. Pluribus annis ita exactis, salutarem, quam invenerat, veritatem ordini medicorum divulgare non amplius dubitans, primum eandem anno MDCCXCVI. in Dissertatione, Hufelandii diario medico inserta, proposuit [1]). Sed evanuit vox neque exaudita est. — Magni interim coepti memor, indefessam operam in excolendis et amplificandis iis, quae gravissimi momenti exploraverat, collocavit. Ita factum

---

1) *Versuch über ein neues Princip zur Auffindung der Heilkräfte der Arzneisubstanzen, nebst Blicken auf die bisherigen.* (Vid. *Hufeland's Journal der praktischen Heilkunde*, Band II. 1796.)

est, ut anno MDCCCV. prodirent ejus Fragmenta de viribus medicamentorum positivis sive in corpore humano sano observatis[1]), Materiae medicae purae primordia haud immerito censenda. Secutus est anno MDCCCX. liber immortalis, Organum artis medicae[2]), fundamentum novae doctrinae, quam hic primum methodi homoeopathicae nomine ingeniose signavit. Epitomen ejusdem hic exponendi locus non est; Francogallicae linguae gnari versionem supra laudatam adeant; caeterorum causa egregiam Hahnemanni Dissertationem de indole medicinae homoeopathicae, quae secundo tomo archetypi Materiae medicae purae continetur, jam primo huic volumini versionis nostrae inseruimus[3]), quippe qua summa novae disciplinae principia succincte et dilucide explicentur. (Organi editio altera, multo auctior et emendatior, anno MDCCCXIX., tertia denique anno MDCCCXXIV. in lucem prodiit.)

Hahnemannus hucusque laborem in explorandis medicamentorum viribus solus consumserat. Anno MDCCCXI. verum Lipsia sede electa, scholam ibi academicam aperuit, in quam plures juvenes medicinae studiosi se dederunt. Adhortatus quoscunque aptissimos videret, ut sub oculis magistri effectus pharmacorum fortium experirentur (multa nimirum adhibita cautione, corporisque habitu animique dispositione singulorum nequaquam neglecta), non solum scientiam virium medicarum genuinarum locupletare, sed etiam discipulorum observandi facultatem, medi-

---

1) Tomi duo, Lipsiae, apud Reclam librarium.

2) *Organon der Heilkunst*, Dresdae apud Arnoldum librarium.

3) Vid. pag. 9.

co prae caeteris necessariam, colere et augere studuit. Simul ipse eadem experimenta in corpore suo eximia cum perseverantia molestiarumque patientia continuavit. Ex his tentaminibus, tum a discipulis, tum ab ipso institutis, alterum opus novae medicinae primarium, quod Materia medica pura (*Reine Arzneimittellehre*) inscribitur, originem traxit. Prodiit volumen primum anno MDCCCXI. Dresdae, apud Arnoldum librarium; successerunt usque ad annum MDCCCXXI. caetera quinque volumina. Inde ab anno MDCCCXXII. editio operis altera, maxime adaucta et emendata, ab auctore vulgari coepit, quae excurrente fere anno MDCCCXXVI. finita erit.

Vixdum Organo in lucem emisso, acerrima illa contra homoeopathiam exarsit pugna, quae, per sedecim integros annos continuata, ad hodiernum usque diem duravit. Singulos hostium capitalium impetus depingere, nobis in consilio non est; naturam certaminis in genere indicasse sufficiat. Quidquid ingeniose excogitatum et in hominum salutem inventum fuerit, ab initio summa cum acerbitate repulsum et vexatum fuisse constat. Galilaeus, Copernicus, Harveyus, Jennerus, illustria praebent exempla. Sunt enim tria, quae novae cuicunque veritati viam obstruere conantur: Auctoritas antiquitatis, invidia et inertia. Quid mirum, doctrinae homoeopathicae etiam haec adversata esse obstacula? Alii vesaniam et temeritatem accusabant, quae sanctum per tot saecula aedificium veteris medicinae innovare auderet, ac Riolani olim ejusque factionis exemplo: „Malo cum Galeno errare, quam cum Harveyo esse circulator!“ clamabant. Alii, superbia ducti, doctrinam homoeopathicam ab omni scientiae dignitate abhorrere criminabantur, quum illius simplicitatem ab omni argutia-

rum opinionumque parum sibi constantium pernicie remotissimam viderent. Alii de ipsa natura, de morbis et medicamentorum viribus rudes adeo amplexi sunt sententias, ut, quae his de rebus exposuit homoeopathica doctrina, incredibilia et ridicula censerent. Permulti alii novae cognitionis comparandae amplitudine, experimentorum asperitate et artis ipsius exercendae difficultate ab ea arcebantur. Haud pauci verentes, ne nova doctrina magis magisque emanans detrimentum medicinae hucdum regnanti ipsorumque auctoritati afferret, calumniis et captiosis artificiis eam aggredi, quam aliena merita agnoscere, maluerunt. Omnes fere, qui contra homoeopathiam scripserunt, theoretica tantum via examinatam condemnaverunt, quum tamen ipsa ad experientiae tribunal etiam atque etiam provocaverit.

Ita factum est, ut usque ad annum MDCCCXXI pauci tantum in Saxonia extiterint medici homoeopathici, et maxima quidem parte tales, qui in schola magni magistri prima stipendia meruissent. Hoc ipso tempore Hahnemannus, perpetuis hostium vexationibus fessus, patria relicta ad finitimam civitatem in voluntarium exilium abiit. — Et jam de victoria completa laetabatur adversariorum factio, et exiguam homoeopathicorum cohortem, duce orbatam, facillime fugatum iri opinabatur.

At quo magis fortuna novae doctrinae adversa fuit, eo constantius veri ejus asseclae ei adhaeserunt. Extiterunt immo nonnulli medici, veteri scholae hactenus unice addicti, qui homoeopathicam methodum scrutinio, quod poposcit, i. e. experientiae examini religiose subjicerent et de veritate ac praestantia ejus testarentur.

Quae quum ita essent, omnia ad homoeopathiam spectantia per ephemerides cum medicis et no-

vae et veteri scholae amicis communicare, facta certa et frequentia, quibus veritas et utilitas novae doctrinae comprobaretur, enarrare, et quae injuste et inepte de ea judicata, quae per obtrectationem in eam dicta essent, refutare, necessarium visum est. Quapropter Ernestus Stapf, Guilielmus Groſs et Mauritius Müller, artis medicae Doctores, diarium, quod inscribitur *Archiv für die homöopathische Heilkunst*, Lipsiae apud C. H. Reclam librarium edere coeperunt, cujus inde ab anno MDCCCXXII. usque ad hunc diem XIV in publicum missi sunt fasciculi.

Ex eo tempore doctrina homoeopathica magis magisque fundata et propagata est. Non solum enim in Germania, verum etiam in Italia, Hungaria, Polonia et Russia multi, iique ingeniosissimi et experientissimi extiterunt medici, qui eam libere praedicarent atque placita ejus in exercenda medicina summo fructu sequerentur. Commemoramus prae caeteris excellentissimum Rau[1]), Magno-Duci Hassiae Darmstadiensis a consiliis, Bigelium, Francogallia oriundum, Constantini Magni-Principis Russici archiatrum[2]), Stegemannum, Petropolitanum, Imperatoris medicum aulicum et consiliarium[3]), atque Cosmum de Horatiis, Regis Neapolitani medicum[4]). Grato tandem animo agnoscere decet, Hufelandium Perillustrem, medicorum Germanico-

1) Rau, Ueber den Werth des homöopathischen Heilverfahrens, Heidelberg, 1824.

2) Vid. Archivum art. med. hom. Vol. IV. Fascic. 3., ubi reperies egregiam Bigelii Dissertationem, quae inscribitur: *Justification de la nouvelle méthode curative du Dr. Hahnemann.*

3) Vid. Archiv, Vol. IV. Fasc. 2. pag. 83.

4) Vid. Archiv, Vol. V. Fasc. 2.

rum Nestorem, nuperrime in celeberrimum suum diarium relationes curationum homoeopathicarum recepisse, ipsumque, dum benignissimam de methodo homoeopathica ferret sententiam, locumque decorum in systemate ei assignaret, jus civitatis in republica medica, ut ita dicamus, isti tribuisse.

Jam nunc, historia novae doctrinae ad praesens usque tempus relata, ad secundam hujus introductionis partem transeamus oportet.

Cap. II.

De materia medica pura.

I. Necessitas et dignitas ejus in genere.

Accuratam virium medicinalium notitiam summum medicinae desiderium esse, nemo infitias ibit. Quam diversis viis hunc finem petierint omnium aevorum medici, qui errores in ipso hoc gravissimo negotio adimplendo commissi sint, non est quod prolixius hic exponamus. Egregie enim id factum est ab ipso Samuele Hahnemanno in clarissima illa Dissertatione de fontibus materiae medicae vulgaris, quam tomo tertio Materiae medicae purae praemisit, et quam nos jam in hoc primum versionis nostrae volumen recepimus [1]). Dum igitur lectores ad hunc uberrimum tractatum delegatos esse volumus, levato velo hic rem perstringemus.

Quaevis medicamentorum vires explorandi rationes ad duas vias principales revocari possunt. Aut ipsam, quae medicamenti corpus constituit, mate-

---

1) Pag. 30.

riam scrutando, virtutes medicae inde a priori, ut dicunt, construuntur; aut medicamina in ipso corpore humano tentando, virtutes illae ex effectu empirice deducuntur.

Prior indagandi methodus aut in externis et sensibilibus pharmacorum qualitatibus disquirendis, aut in chemica istorum analysi versatur. Nec tamen e medicaminum facie, vel odore, vel sapore, nec e chemicis eorundem elementis, eum effectum, quem in corpore humano vivo exercitura sint, ullo modo praesagire licet. Rem quamlibet per se considerando, hoc tantum cognosces, quaenam attributa huic tamquam substantiae singulari inhaereant. Si autem discere cupis, quid substantia A. in substantia B. mutare sive producere valeat, substantiam A. cum substantia B. in contactu ponas, et quae inde oriantur phaenomena, diligenter observes; agitur enim de ratione mutua et reciproca. Quum autem virtus medica absque dubio in facultate pharmaci (A.) certas mutationes in corpore humano vivo (B.) producendi consistat, haec vero nonnisi e conflictu utriusque potentiae, tum vis medicinalis, tum vis organismi vivi, patefieri queat, virtutes medicas nunquam a priori statuere, sed empirico tantum modo dignoscere possumus [1]).

---

1) Ne quis credat, parvi nos aestimare qualitatum externarum et chemicarum notitiam. Valde utilem et necessariam utramque scientiam medico esse, etiam atque etiam profitemur. Altera nimirum ad corpora medicinalia inter se distinguenda eorumque puritatem dijudicandam, altera ad ipsorum remediorum praeparationem ordinandam carere nequit. Sed materiam medicam ex his fontibus derivare, conjecturae aleaeque plenum opus declaramus.

Omnis igitur materiae medicae fons ad observationem eorum, quae a medicamentis in ipso corpore humano efficiantur, redit. Quid vero nobis instituendum est, ut experientiam puram e fonte isto hauriamus.

Virtutes therapeuticas ab usu medicaminum (et quidem solito compositorum) in morbis desumere, hactenus moris recepti fuit. Quot errorum, quot falsorum materia medica vulgaris culpam contraxerit, eruditissimus Hahnemannus in laudata Dissertatione de fontibus mat. med. vulg. uberrime demonstravit. Taceamus de his, ne acta agamus.

Quid autem nova nostra doctrina quaestioni supra propositae respondet?

„Tententur medicamenta simplicia in corpore sano!" Duo igitur sunt experimenti requisita: Simplicitas substantiae experiendae, et sanitas corporis, in quo eam experimur.

Simplicitatem quod attinet, nemo facile contradixerit. Proprios enim et peculiares rei effectus disquisituris necessaria extat conditio, ipsam hanc rem solam et puram adhibendi. Si autem plura simplicia miscueris, vel usum simultaneum diversorum medicaminum admiseris, nunquam contendere poteris, unum quoddam ex his omnem aut certe praecipuam habuisse efficientiam. Tribus v. g. simplicibus A. D. et Z. in unum pharmacum conjunctis, haec ipsa simplicia tamquam talia existere et agere desinunt, sed novum enatum est corpus medicinale, i. e. compositum ADZ.

At, in sano corpore medicamenta tentanda esse, diximus. Quid sanandum in homine sano?

Quaenam virtus therapeutica manifestanda, ubi morbus nullus adest?

Morborum curationem in eo versari, ut valetudo adversa in rectam immutetur, nemo negabit. Instrumentis igitur, quibus sanationem perficere studemus, i. e. medicamentis, facultatem valetudinem humanam immutandi tribuamus, necesse est. Quomodo vero haec immutatio perpetratur? Quicunque gyrum ratiocinandi vitiosum odit, certo non respondebit: „Auferendo malo." Demonstrabitur autem: „Mox hanc illamve actionem vitalem (aut sensibilitatem, aut irritabilitatem, aut reproductionem) vel augeri vel deprimi, varias corporis secretiones et excretiones vel provocari vel imminui, dolores artificiales aliis in partibus excitari, ut graviora mala aliis a partibus sympathica ratione avertantur, et quae sunt alia hujus generis." Quid igitur agunt omnia omnino medicamenta, rem si paucis comprehendere vis? Extraordinarias conditiones et nova phaenomena in organismo humano gignunt, eo ipso autem morbos, i. e. alias extraordinarias corporis conditiones tollunt et aequilibrium virium, i. e. sanitatem restituunt. Distinguimus igitur duos medicaminum effectus: primarium sive pathogeneticum, et secundarium sive therapeuticum; hic ad illum sic ut productum ad producens se habet; in illo igitur cardo rei versatur.

Facultas illa medicaminum primaria et pathogenetica est absolutum et generale quid, quod in corpore humano tum sano tum aegroto manifestatur. A *tartaro emetico* et homo sanus et aegrotus ad vomitum compellitur; a *rheo* ventriculus et intestina utrorumque purgantur; ab *opio* utrique sopiuntur; a *sambuco* in utrisque sudor eli-

citur. Tritissima sunt exempla, sed gravissima veritas, hominem sanum simili modo ac aegrotum a medicamentorum efficientia primaria affici [1]).

Remedia morbis adhibendo fieri nequit, ut puram et completam virium genuinarum notionem nanciscamur; nam symptomata morbi cum symptomatibus efficientiae medicinalis in unam eandemque imaginem confluunt, quo ipso horum distinctio vel omnino vel maxima parte impeditur. Inde luce clarius patet necessitas, medicamina simplicia in corpore sano tentandi. Ecce organismum nullis morbi phaenomenis et doloribus onustum, ecce purum speculum, qui puram nobis imaginem efficientiae medicinalis primariae refulgeat! Ecce fontem, e quo Hahnemannus materiam medicam suam hausit, quam vero titulo puram inscripsit!

Quas regulas, quas cautelas habeant experimenta medicaminum in corpore sano facienda, uberrime et luculentissime in Organo artis medicae §. 110 — 152. exponitur, ideoque paucis tantum rem hic tangemus.

Pharmaca ad illud consilium consequendum quam simplicissima et quam integerrimis viribus praedita adhibentur. Eliguntur homines et animo et corpore sanissimi, religiose ad diaetam necessariam se adstringentes, ad observandum idonei et attenti. Omnia, quae aut animum aut corpus perturbare possint, omnis igitur animi commotio vel nimia intentio, omnes

---

1) Similitudinem quoad qualitatem efficientiae medicinalis, non quoad quantitatem ejusdem intelligimus; hanc enim in morbis aliam ac in corpore sano esse, nemo sapiens negabit. Inde vero nihil nisi necessitas doses medicaminum juste moderandi sequitur.

cibi potusque medicamentosi, omnes exhalationes aromaticae etc. sedulo vitantur et removentur. Sumuntur pharmacorum doses majoribus minoribusve intervallis, donec homines experientes vere sese affectos sentiant, et certa symptomata appareant. Doses ipsas modicas esse oportet [1]), tum ne periculosiores valetudinis affectiones cieant, neve turbulenter evacuentur, tum etiam, ut effectus primarii potissimum eliciantur neque effectibus secundariis intermisceantur, qui magnis dosibus semper excitari solent. Secundarios autem nuncupamus effectus eos, qui non propriae medicamenti efficientiae, sed magis nisui antagonistico ipsius organismi originem debent; hi vero multi minoris pretii sunt, praesertim ad methodum homoeopathicam, quae primariis tantum medicaminum effectibus ad sanationem perficiendam utitur.

Quorundam pharmacorum et in quibusdam hominibus perexiguae jam sufficiunt doses ad multa eaque gravia symptomata producenda, e. g. una vel plures doses partis decimae unius grani, quum vel aliorum pharmacorum vel eorundem ab aliis hominibus multo majores sumi debeant quantitates, e. g. granum integrum, vel bina, quina, dena, vicena grana. — Quum primum et quamdiu certa symptomata apparent, nihil amplius medicamenti explorandi assumitur, ut symptomatum series justo ordine et tempore se explicare possit.

Si quis medicus in suopte corpore experimentum tentat, quodque symptoma, quo tempore et qua con-

---

1) I. e. quales a therapia vulgari morbis adhiberi solent; attamen tantae sint, ut insignia symptomata vere appareant. Incipiendum a minoribus quantitatibus, et ad majores, si iis opus fuerit, sensim progrediendum.

ditione comparuit, diligentissime notat. Idem ab aliis medicamentum experientibus fieri jubet; tum vero in ea, quae indicaverunt, sedulo inquirit, et, an vera fuerint, accuratissime perscrutatur. Caeterum per se intelligitur, si qua unquam re turbetur personae experientis conditio, observandi finem statim faciendam esse; quum ea, quae deinde sequantur phaenomena, nequaquam puris et certis adnumerare liceat.

Raro in uno eodemque homine cuncta symptomata, pharmaco cuidam propria sese manifestant. Medicamentum quodvis in multis personis diversae indolis tum physicae tum psychicae, diversae quoque aetatis et utriusque sexus tentetur oportet, ut quam perfectissima indolis illius notio nobis paretur. Symptoma quoddam tum demum pro vero et confirmato habetur, si quinque, sex, septem pluresve homines sinceri idem asseverant.

Tentaminibus istis, si modo caute fiant, valetudini detrimentum nullum afferri, immo illam iisdem corroborari, experientia docuit. Praeterea, si quando symptomata comparuerint vehementiora et minaciora, antidota ars possidet praesentanea [1]). Quis autem dolores et molestias praetereuntes ferre recuset, quibus ars, quae prae caeteris omnibus humana quam maxime interest, summum perfectionis gradum debitura sit? Quid magis decorum medico, quam instrumenta, quibus morbis medeatur, penitus novisse? Quid nobilius fieri potest ab eo, qui vitam miseriae humanae leniendae devovit, quam praesentire, ut ita dicamus, aliena mala, ut eo certius ea tollere valeat?

---

1) Indicantur in singulorum pharmacorum prooemiis, quae adeat lector.

II. De materia medica pura, quatenus ad methodum homoeopathicam praecipue spectat.

A. De remediis homoeopathicis eligendis.

Licet materia medica pura ad omnes medicos, quaecunque ab iis exerceatur medendi methodus, necessario pertineat, summam tamen utilitatem methodo homoeopathicae manifestat, quippe quae absque ea omnino nulla esse queat.

Proposuimus jam Capite primo summum hujus doctrinae principium: „Quemlibet morbum dynamicum optime sanari ejusmodi medicamento, quod pro genuina sua indole, i. e. efficientia primaria, complexum symptomatum quam simillimum eoque ipso affectionem similem (ὅμοιον πάθος) excitare valeat." — Experimentis pharmacorum in corpore sano, tum ab Hahnemanno, tum ab aliis medicis homoeopathicis institutis, dilucide apparuit: „A quovis forti medicamine numerosissima, diversissima et gravissima symptomata sponte produci, atque propriam cuilibet substantiae inesse indolem, quae ab omnium caeterarum efficientia valde differat." Quodsi igitur series completas symptomatum a medicamentis in corpore sano excitatorum cognoverimus, in his ipsis morborum artificialium sive medicinalium imaginibus simul elementa, quibus variis morbis naturalibus medeamur, proposita nobis erunt. — Ne quis credat singula pharmaca singulis tantum morbis homoeopathica ratione respondere. Tanta est in efficacioribus quibuscunque pharmacis virium opulentia, ut eadem multis atque variis morborum formis egregie opitulentur.

Medici homoeopathici autem erit, imaginem morbi (i. e. omnia ejus phaenomena, dolores, conditiones) quam completissimam et exactissimam notare, atque inter plura, quae ei respondere videantur, remedium eligere id, quod pro natura simillimam affectionem medicinalem excitare valeat. Ad hoc ipsum autem negotium rite perficiendum, solida eruditione medica, nimirum anatomiae, physiologiae et pathologiae cognitione, ingenii acumine, animi severitate et pertinacia summa opus est.

Tantum abest, ut sola comparatione symptomatum morbi cum symptomatibus medicaminum munus medici homoeopathici absolvatur, ut mechanicam ejus partem efficiat. Symptomatibus morbi enim exacte notatis, valor singulorum atque nexus cum caeteris acute dijudicandus, quae idiopathica quaeve sympathica sint juste aestimandum, quibus denique organis morbus potissimum inhaereat, diligenter investigandum; quae quidem omnia absque proba medicinae theoreticae scientia nequaquam fieri posse, quisque artis peritus facile intelligit. Hisce autem rationibus simul remedii electionem dirigi atque solam symptomatum medicinalium notitiam ad praxin homoeopathicam non sufficere, perinde patet. Quum enim interdum eveniat, ut duo plurave medicamina similem symptomatum complexum exhibere videantur, quemlibet profundiori cognitione destitutum in ambiguo haerere et totos dies in eligendo remedio errare oportet. Ingenium singulorum medicaminum, i. e. quo tendant, quae organa potissimum afficiant, quibus morbi causis, cui aegrotorum indoli, tum physicae tum psychicae, proprie respondeant, simul perspectum habeas. Plures, quae huc faciant, indicationes, in ipsa *Materia medica pura* singulorum pharmacorum prooemia suppeditant.

Jam istis de medicina homoeopathica exercenda praemissis, frequentissima quaedam, quibus nova doctrina contaminari solet, opprobria lustrare juvabit.

Et primum quidem: „Absurditatis arguunt principium illius summum, quod idem malum eodem malo tollendum esse praecipiat.“ Nunquam vero ineptum tale neque ab auctore doctrinae homoeopathicae neque a caeteris, qui eum sequuntur, medicis propositum est. Num doctissimi isti adversarii voces par et simile distinguere nequeunt? Opponitur morbo potentia dynamica, scilicet medicamentum, quae quoad essentiam omnino ab illo differt, sed effectibus tantum cum eo congruit; est igitur simile quid, non idem. Nullus medicus homoeopathicus v. g. eum, qui vini abusu valetudinem corrupit, denuo vinum adhibendo sanare tentabit.

Opposuerunt quoque: „Symptomaticam nostram esse methodum, quippe quae in externis tantum phaenomenis per aliquot tempus supprimendis acquiésceret, ipsam vero mali radicem intactam relinqueret.“ Symptomatica sane est medendi methodus, si unum quoddam morbi symptoma prae caeteris conspicuum vel molestissimum excipiens, medicamento aliquo, quod contrarium efficere valet, id auferre conatur. Homoeopathica autem medicina non unum quoddam morbi signum, sed integrum symptomatum complexum diligentissime respicit. Homoeopathica medicina non externa solum phaenomena, sed ipsum malum, quod phaenomenorum illorum fons est, petit, quum aliam affectionem simillimam (ὅμοιον πάθος) in iisdem organis, quibus morbus naturalis residet, excitet, eo ipso autem malum istud originarium superet et deleat. Ho-

moeopathica medicina causam morborum excitatricem inquiri vult, quoad certo fieri possit. Etiamsi aliae nullae adessent, quae id postularent rationes, jam haec sola sufficeret: ne forte eadem substantia, qua morbus genitus fuit, remedii instar adhiberetur. Si v. g. *mercurii* abusu aegritudo illa lenta et terribilis, quam toties in praxi observamus, excitata sit, atque medicus, symptomata tantum respiciens, denuo *mercurium* aegroto ministret, haud dubie absurdi et perniciosi quid fecerit. Nec vero quisquam, dum causa efficiens agere continuat, morbum superabit, quantumvis congruum elegerit medicamentum homoeopathicum. Ecquis v. g. febrem intermittentem illam, quae a paludum exhalationibus provenit, sanare volet, dum aegrotus in eadem regione paludosa usque et usque commoratur? Num quis stomachi debilitatem, quae a vitioso vitae regimine proficiscitur, delebit, dum aegrotus contra diaetam peccare pergit? Causam excitatricem novisse, insignem interdum utilitatem in ipso remedio homoeopathico congrue eligendo praebet; sic v. g. experientia compertum habemus, complures dolores et molestias, quae a refrigerio provenire solent, remedium homoeopathicum in *Dulcamara* invenire [1]); item mala, quae ab ictu, contusione vel cadendo orta sunt, celerrime, et homoeopathica quidem ratione, ab *Arnica montana* tolli [2]). — Sed etiam causam morbi proximam, ut vocant, i. e. ipsam mutationem internam, quae phaenomenis subest, inquirere decet, quatenus ex ipsis symptomatibus tutam conclusionem ad eam facere possumus. Sic v. g. in febribus mere inflammatoriis *Aconitum Napellus*

---

1) Vid. pag. 234.

2) Pag. 94.

tamquam efficacissimum remedium homoeopathicum se exhibuit [1]); statu inflammatorio igitur e symptomatibus cognito, medicamentum illud indicatum erit, si caetera morbi symptomata principalia ei responderint [2]). Symptomatum enim diligentissima indagatione et comparatione nunquam supersedere potest medicus, si methodum homoeopathicam rite et feliciter exercere cupit. Frequentissimi enim sunt casus (praesertim in morbis chronicis), in quibus mutationem internam nulla ratione certa investigare, adeoque ne suspicari quidem possumus, et tamen malum haud raro celeriter sanamus, si remedium complexui symptomatum aptissimum elegerimus; tollimus causam simul cum phaenomenis, licet illam ignoraverimus. Ii autem, qui causam conjecturae temeritate supponunt, contra vana plerumque phantasmata pugnant.

Alia est criminatio: „Disciplinam pathologicam et therapeuticam a nova medendi methodo in antiquum Chaos detrudi, quippe quae nullas morborum species, sed singulares tantum casus agnoscat.“ At vero medicina homoeopathica nullas morborum divisiones, quae rationem fundatam et utilitatem practicam habent, damnavit. Species autem pro arbitrio

---

1) Pag. 71.

2) Lectores nostri in *Dissertatione de indole medicinae homoeopathicae*, nec non aliis in locis librorum Hahnemanni saepe assertum reperient: „Naturam morborum internam nunquam perspici posse.“ Loquitur autem ibi auctor de intima illa et primaria morborum indole, quam metaphysicis, vel chemicis, vel mathematicis, vel hydraulicis rationibus permulti divinare studuerunt, quum tamen non magis ac ipsa vis vitalis ad intuendum adduci et a priori demonstrari possit.

statuere et stabilem curandi modum contra imaginationis figmenta praescribere, medico indecorum, aegroto perniciosum censet. Proponit omnino doctrina nostra principium: Morbos plurimos singularibus consistere casibus, quorum quisque pro singulari sua indole indagandus et tractandus sit. Eos autem morbos, qui vere constantes sunt, quippe qui e causa constante et aequali proveniant, atque eadem semper forma appareant, pro speciebus habere non dubitat atque stabilia remedia homoeopathica iis quaeri posse concedit. Incredibile dictu est, quantum jam Hahnemannus hoc in genere praestiterit. Mentionem fecisse sufficiat remedii specifici (atque simul prophylactici) contra *scarlatinam veram*, quod, diu rejectum, tandem generaliori agnitione gaudet. Permulta alia hujusmodi, sub fine *Dissertationis de fontib. mat. med. vulg.* indicantur [1]). Attamen etiam in his constantibus morbis diligentissima symptomatum indagatione semper opus erit, ne unquam in perniciem conjecturae atque erroris irruamus. Ipsa *scarlatina* exemplum memorabile et odiosum simul praebet, quantum damni e neglecto primo illo officio emergere possit [2]).

B. De remediorum homoeopathicorum dosibus atque praeparatione.

Diximus, quomodo medicamentum juxta principium homoeopathicum recte eligendum sit. Curatio autem ut feliciter succedat, medicamentum etiam congrua dosi propinetur oportet.

---

1) Pag. 65 — 67.

2) Vid. Diss. laud. p. 66. et versionem Organi Francogallicam, p. 124. §. 83.

Remedium homoeopathicum, uti supra vidimus, in ipsis organis, quae morbo obsidentur, affectionem medicinalem affectioni originariae quam simillimam suscitat. Inde necessario prima fluit regula: „Doses homoeopathicae minimae sunto!" Magnae enim doses nimiam aggravationem homoeopathicam excitando aegrotorum valetudini adeoque vitae, praesertim in morbis acutis, periculum afferrent. Minimae vero doses hic jam sufficiunt ad simile malum excitandum, quum organa, in quae agunt, ipso morbo originario quam maxime irritata et ad affinem impulsionem recipiendam quam maxime proclivia sint. — Opposita ratio obtinet, ubi morbus methodo *antipathica* tractatur, quae affectionem medicinalem affectioni primitivae contrariam excitando illam supprimere et exstinguere nititur; vel ubi methodus *allopathica* adhibetur, quae malum diversum in alia parte sana gignendo, vim morbi mitigare vel frangere conatur. Remedium antipathicum enim organa aegrota in ea invenit dispositione, quae efficientiae suae e diametro opposita est; remedium allopathicum autem cum integra vi vitali, quae in parte sana residet, luctari debet; in utroque igitur casu vehementiori aggressu opus est. Eadem est igitur necessitas magnarum dosium in his duobus medendi methodis, atque minimarum, quas nova medendi ratio exigit.

Verum ut exiguae istae doses salutarem suam vim exserere possint, duae aliae regulae strictissime observandae sunt.

1) „Quodque medicamentum electum fuerit, solum atque simplex ministretur!" Nam sicuti *materia medica pura* experimentis medicamentorum simplicium fundata est, sic etiam

nisi simplicia morbis adhibendo, effectum eorum tute praesagire non poteris; duobus autem pluribusve pharmacis commixtis omnis fides methodi novae tollitur. *Adjuvantia* et *corrigentia* illa, in praxi vulgari adamata et quodammodo necessaria, efficaciam exiguarum dosium homoeopathicarum vel maxima parte vel omnino exstinguerent. Non admittuntur nisi vehicula haud medicinalia, de quibus infra tractandum.

2) „Diaeta aegroti ab omni turbatione tum physica tum psychica severissime exemta sit!" Quodsi jam a personis sanis, dum experimenta pharmacorum in corpore suo tentant, omnis impulsus, qui efficientiam medicinalem immutare vel delere posset, diligenter arcendus est, multo magis id requiritur in aegrotis, quibus non modicae et vulgares doses, sed minimae tantum praebentur. Varia et multiplicia irritamenta ab aegrotis vitanda Hahnemannus ipse in Organo suo (§. 284. pag. 236. 237.) recensuit. Mentionem fecisse juvabit *Coffeae* [1]) et *Theae* infusi, spirituosorum potulentorum omnium, condimentorum exoticorum, v. g. piperis, zingiberis, cinnamomi, cardamomi, et quae sunt alia, quibus ultimorum saeculorum luxuria innocentes proavorum dapes pepulit vel corrupit.

His praemonitis, generalia quaedam de pharmacorum homoeopathicorum praeparatione exponamus; specialia enim in singulis medicamentorum prooemiis reperiuntur. Praeterea, hoc ipso quo

---

1) Extat monographia Hahnemanni, de effectibus Coffeae, quam Ernestus Georgius a Brunnow in sermonem Francogallicum transtulit: *Traité sur les effets du Café, traduit de l'original Allemand du Dr. Hahnemann, par E. G. de Brunnow, à Dresde chez Arnold*, 1824.

haec scribimus tempore, viri eruditissimi, *Wolf* et *Trinks*, artis medicae Doctores, in Dispensatorio homoeopathico conficiendo versantur, quod, Latina lingua compositum, Dresdae sumtibus Arnoldi librarii typis vulgabitur. Continebit hoc opus non solum omnia medicamina in *Hahnemanni Materia medica pura* recensita, sed ea quoque pharmaca, quorum symptomata in singulis *Diarii homoeopathici* fasciculis exposita sunt, complectetur.

Summum est pharmaciae nostrae principium: Praeparationes simplicissimae sunto, ut vires medicamentorum genuinae quam minime immutentur.

1) Succus plantarum recentium, justo tempore, i. e. plerumque initio florescentiae colligendarum, post earum dissectionem et contritionem in mortario lapideo, prelo stanneo exprimitur, et pari mensurae parte[1]) spiritus vini rectificatissimi statim miscetur, quibus omnis fermentatio efficacissime impeditur. Vase per aliquot dies intacto, liquor limpidus a sedimento defunditur et vasculo vitreo bene obturato servatur. Summi momenti est, ut haec vascula in loco frigidulo et obscuro reponantur; caloris enim, praesertimque lucis accessu omnis illarum *essentiarum* virtus medica intra aliquot annos evanescit, atque ipsae in fermentationem acetosam transeunt.

2) Corpora vegetabilia ea, quae sicca tantum haberi possunt, ad pulveris for-

---

1) Corrigendi sunt loci pag. 71. lin. 3. et pag. 115. lin. 3., ubi legitur: pari *ponderis* parte, et scribendum: pari *mensurae* parte; quos errores absque interpretum culpa in librum irrepsisse monemus.

mam primum rediguntur; deinde certa hujus pulveris quantitas definita spiritus vini rectificatissimi copia affunditur, ita ut singula pharmaci grana ad guttarum spiritus vini copiam ratione 1 : 20 se habeant, v. g. 50 granis seminum *Nucis vomicae* adduntur 1000 guttae spiritus vini. Vase per aliquot dies in loco temperato reposito, liquor limpidus, qui vim medicinalem extractam plenissime continet, a sedimento separatur atque eodem modo, quem supra indicavimus, servatur.

3) Materiae animales, quorum paucissimae hucdum in usum medicinae homoeopathicae vocatae fuerunt, sic uti corpora vegetabilia sicca tractantur. (Vid. articulum *Moschus*, pag. 323.)

4) Substantiarum regni mineralis aliae in pulverem, aliae in liquidam formam rediguntur; ad solutionem perficiendam acido acetico, si fieri potest, uti praestat, quippe quo medicamenta minimam virium specificarum immutationem patiantur.

Attamen haec prima medicaminum praeparatio ad usum homoeopathicum neutiquam sufficit. Rarissime enim sub hac forma illa adhiberi licet, immo plerumque nocifera et interdum exitiosa forent. Auferenda est vis illa pharmacorum rudis, vehemens, destructrix, quae a quantitate materiae pendet, nec tamen ipsa eorum virtus specifica, quae qualitati dynamicae inhaeret, delenda aut immutanda est. Istud pharmaciae homoeopathicae problema optime, uti experientia docuit, solvitur, dum partem exiguam substantiae medicinalis cum majore et deinceps majore quantitate substantiae non medicinalis progressione quadam successiva jungimus. Haec operatio vulgo

dicitur attenuatio sive dilutio (*Verdünnung*, lingua Germanica); rectius nuncupari posset explicatio sive expansio virium medicinalium; ita lux, exiguo in corpore diu latens, vinculis tandem liberata, vastissima occupat sua claritate spatia!

Duplex est attenuandi via, alia pharmacorum liquidorum, alia siccorum. Utramque breviter describamus oportet.

1) Attenuationem liquidam quod attinet, tres distinguendi sunt casus.

a) Dilutio *essentiarum* e succo plantarum recentium paratarum. Instillantur guttae duae essentiae, v. g. *Belladonnae*, vasculo vitreo, quo 98 guttae spiritus vini rectificatissimi continentur. Decem fere ictibus vehementibus lagunculam concutiendo [1]), mixtionem utriusque liquoris intimam perfeceris, ita ut quaevis gutta spiritus vini particula aequali succi *Belladonnae* imbuta sit. Paravisti eo ipso gradum attenuationis sive dilutionis primum, quem Hahnemannus dilutionem centenariam (*hundertfache Verdünnung*) nuncupavit. Guttam dilutionis primi gradus cum 99 aliis guttis spiritus vini pariter miscendo, dilutionem secundi gradus facies, quae dilutio decies millenaria nominatur; atque hujus dilutionis guttam unam denuo cum 99 guttis spiritus vini jungendo dilutionem tertii gradus sive millionariam ha-

1) Augetur pharmaci vis, quo magis mixtura quassatur. Hahnemanno nuperrime profitente, jam duo ictus fortes ad efficacem dilutionem parandam sufficiunt.

bebis. Ita progressio [1]) continuanda est, donec omnes medicaminis cujusdam attenuationes tibi comparaveris.

b) Dilutio *tincturarum* e substantiis vegetabilibus vel animalibus siccis extractarum. — Instillantur guttae viginti *tincturae*, v. g. *Nucis vomicae*, vasculo vitreo, quo spiritus vini rectificatissimi guttae 80 continentur, atque cum his eadem, quam de essentiis indicavimus, ratione miscentur. In ulteriore quavis dilutione paranda, una tantum gutta dilutionis antecedentis cum guttis 99 spiritus vini rectificatissimi jungitur.

c) Metalla et salia metallica, quae quidem aqua vel spiritu vini resolvi possunt, e. g. *Arsenicum*, *Hydrargyrum muriaticum corrosivum*, *Manganum aceticum*, *Cuprum aceticum* etc., nec non *acida mineralia*, aequis partibus spiritus vini rectificatissimi et aquae chemice purae mixtis solvuntur, et quidem singula pharmaci grana centenis hujus mixturae guttis adduntur. In ulteriore quavis attenuatione paranda gutta una dilutionis antecedentis cum guttis 99 spiritus vini rectificatissimi miscetur.

2) Attenuatio sicca, quae saccharo lactis purissimo perficitur, in omnibus substantiis mineralibus neque aqua neque spiritu vini solubilibus, e. g. *auro*, *argento*, *mercurio griseo Hahnemanni*, *stanno*, *sulphure* etc.

---

1) Dilutio VI. dicitur billionaria; dilutio IX. = trillionaria; dilutio XII. = quadrillionaria; etc. etc.

(nec non in quarundam plantarum seminibus), obtinet. — Additur in mortario lapideo granum unum pharmaci, v. g. *pulveris Mercurii grisei Hahnemanni*, granis undecenis sacchari lactis purissimi. Massa integra per horam unam diligentissime teritur, donec aequalem ostendat colorem, ita ut singula quaelibet sacchari lactis grana parte aequa grani Mercurii impleta sint. In ulteriore quavis attenuatione paranda granum unum attenuationis antecedentis denuo cum undecenis granis sacchari lactis per horam integram eodem modo terenda est, ut mixtio intima oriatur.

Numerus attenuationum pro diversa medicaminum indole differt. Pharmaca heroica (v. g. *belladonna*, *arsenicum*) trigesimo gradu adhuc efficaces sunt, dum alia mitioris virtutis medicamina nonnisi duos vel tres gradus permittunt. Hahnemannus ipse ultimos gradus in singulis prooemiis indicavit. Alii quoque aliis morbis, alii aliorum aegrotorum diversae dispositioni ac naturae conveniunt attenuationum gradus. Valet regula generalis: „Quo magis organismus morbo correptus et irritatus est, eo minor sit remedii vis, atque eo ulterior eligatur ejusdem attenuatio!“

Medicamento atque gradu attenuationis recte electo, dosis ipsa quinque fere granis sacchari lactis instillatur sive admiscetur, prouti pharmacum liquidum vel pulveris forma est, atque sic aegroto ministratur. Si medicaminis vim augere volueris, dosin aliquantulo aquae adspergas vel solvas; omnia enim pharmaca, experientia magistra, majorem effectum liquida exserunt.

Quum compertum habeamus, quanta sit adversariorum quorundam in verbis captandis malignitas,

unum adhuc etiam atque etiam urgeamus. Dosibus inauditae adhuc parvitatis efficaciam magnam tribuentes, hanc semper supponimus conditionem: „Ut medicamentum in corpus agat, quod ratione *homoeopathica* ad vim medicam se habeat." Efficacitatem autem illis in corpore sano vel in morbis, quae antipathice vel allopathice remedio respondeant, adscribere, absurditatis esset cujus nunquam nos reos faciemus.

Cap. III.

De versionis nostrae instituto.

Hahnemanni Materiam medicam puram in Latinum translaturi, non solum quae continet summa diligentia et fide exteris tradere, sed etiam ipsum operis usum iis faciliorem reddere pro viribus studuimus. Hunc in finem nonnulla aliter atque in archetypo reperiuntur ordinare, commodum nobis visum est.

Duplex nimirum in archetypo extat cujuslibet medicaminis symptomatum series, quarum altera nonnisi Hahnemanni observationes proprias, altera vero et eas quae aliis medicis homoeopathicis debentur, et eas quae a pluribus veteri disciplinae addictis, tum antiquioris tum recentioris aevi, factae sunt, una amplectitur. Nos autem et Hahnemanni ipsius et aliorum medicorum homoeopathicorum observata serie continua proposuimus, ita tamen ut illa monogrammate *H.* insigniremus. Quum enim omnia haec symptomata e tentaminibus puris, qualia a nova doctrina postulantur, collecta fuerint, integram eorum seriem uno potius adspectu

considerare, quam duplici in loco eam quaerere, lectoribus jucundius fore putavimus. Ea vero observata, quae veteris disciplinae medicis debemus, a reliquis separanda censuimus, utpote quae alius originis et partim minus pura essent. Alia enim in aegrotis facta sunt, ubi symptomata medicamenti non solum cum symptomatibus morbi confusa apparerent, sed etiam rebus medicatis diversis, quae forsan simul in usum venirent, turbarentur. Alia in venenatis deprehensa sunt, ubi ingens pharmaci assumti copia symptomatum complexum turbulentissimum atque primariis secundariisque effectibus mixtum provocaret. Nihilominus magni semper hae relationes existimandi sunt pretii, tum quod sinceritati experimentorum Hahnemanni ejusque discipulorum confirmandae admodum inserviant, tum quod acerrimos quosdam et perniciosissimos medicaminum heroicorum exhibeant effectus, quos cautio et justitia in hominibus sanis ultro experiendo se praebentibus excitare vetent.

Observata Hahnemanni et discipulorum ipsius una serie jungendo fieri potuit, ut numerus symptomatum aliquanto imminueretur. Quoties enim indicium quoddam cum altero penitus congruum et iisdem paene verbis editum reperimus, semel tantum id recepimus. Itaque ea symptomata, quae litera (H.) distincta invenientur, partim a discipulis quoque auctoris percepta sunt. Caeterum ea, quae in archetypo uncinulis inclusa extant tamquam ambigua, sicuti alia quaedam levissimae notae omisimus. — Nihilominus ii, qui materiae medicae nostrae studio primum incumbent, plura fortasse symptomata pro aequipollentibus habebunt, ideoque plura adhuc, quam fecimus, arcenda fuisse censebunt. Arte autem ipsa exercenda ulterius provectos gratiam nobis, quod aliter egerimus, relaturos esse speramus.

***

Loci literis diductis impressi symptomata peculiaria et quam maxime notatu digna designant.

Hahnemannus omnium medicaminum symptomata certo quodam et aequali ordine recensuit, quem sub fine praefationis [1]) exposuit; eundem et nos ubique secuti sumus.

Quum omnis materiae medicae purae utilitas ab accuratissima variorum sensuum et phaenomenorum, a singulis medicamentis excitatorum, descriptione et distinctione pendeat, summam operam impendimus, ut omnia haec quam maxima fide e sermone patrio in Latinum transferremus. Nec pauca nec parva fuisse, quae hoc in negotio administrando nobis adversabantur obstacula, libere fatemur. —

Abundat lingua Germanica vocabulis, quibus numerosissimas illas corporis animique conditiones quam exactissime indicet nec non subtiliora earundem discrimina acutissime distinguat; quo in genere Quiritium sermo longe minori opulentia pollet. Saepius igitur ad paraphrases confugiendum fuit, ut uniuscujusque vocis vim plene redderemus; extrema tantum necessitate urgente nova vocabula creavimus. — Accedit etiam, quod lingua Germanica *substantivum*, *adjectivum* et *adverbium* facillime a verbo derivet, et, quae forsan adhuc defecerint, jure autonomiae supplere, scriptoribus lubenter concedat. Quodsi Latina in eo multo difficiliorem se gerat, facere tamen non potuimus, quin multa *substantiva* et *adverbia* ex analogia formaremus. In *adjectivis* adamatam recentioribus terminationem in *orium*, v. g. dolorem *pressorium*, *strictorium*, *pulsatorium*, in regula respuimus, et participio praesentis *adjective* uti, ita-

---

1) Vid. pag. 7.

que v. g. dolor *premens*, *stringens*, *pulsans* scribere maluimus. —

Deinde lingua nostra, pariter atque Graeca, dua vocabula facillime in unum conjungi eoque ipso novae notiones declarari possunt; quod mirae utilitatis Hahnemanno in materia medica sua scribenda fuit. Frequentissime enim occurrunt dolores et sensus veluti mixti, i. e. qui e duobus veluti conflati videntur. Noluimus hic sequi consuetudinem eorum, qui ejusmodi verborum copulationes ita perficiunt, ut primum vocabulum *casu ablativo*, alterum quovis alio *casu* ponant, v. g. dolorem ardenti-punctorium dicentes, quippe quae linguae Latinae ingenio nimis contraria appareret. Satius visum est, altero vocabulo *adverbialiter* altero *adjective* uti, ita quidem, ut sensus sive dolor principalis *adjectivo*, secundarius autem *adverbio* indicaretur, v. g. dolor ardenter pungens. Ubi vero sensationes duae simul quidem, nec tamen in unam conflatae, sed separatim adessent, utrumque vocabulum *adjective*, sed copula *et* junctum posuimus, v. g. dolorem prementem et lancinantem.

Summae denique necessitatis fuit, quemvis doloris, quemvis sensum, quamvis conditionem, quodvis phaenomenum, eodem semper atque certo reddere vocabulo, et, quae affinia nec tamen paria essent, accurate discernere. Late vulgo patet verborum in lexicis sensus atque multis in vita communi promiscue uti licet. Hanc ob causam indicem vocum distinguendarum huic ipsi capiti ultimo adjecimus. Monendum vero est, hunc indicem ea tantum vocabula complecti, quae aut peculiari et strictiori quodam sensu accipiantur, aut a nobis novata sint; excluduntur autem voces technicae omnes, quae sensu recepto et usitato intelliguntur.

Jam nunc, expositis omnibus quae ad versionis nostrae institutum spectare viderentur, primum hoc laboris nostri specimen Vobis, lectores eruditi atque benevoli, tradimus. Egimus rem novam, magnam atque difficilem. Multa et desideranda et reprehendenda superesse, nequaquam nos fugit; criticorum tamen censuram subire, quam artis saluberrimae propagationem quiescendo impedire, maluimus, beneficii magnitudine singulos libri defectus compensatum iri sperantes. —

Quid valeat doctrina homoeopathica, aequo animo perpendatis. Est regula juris: N e m o i n a u d i t u s d a m n e t u r! Provocat autem ars nova ad experientiae tribunal. Admittatur provocatio, fiat justitia!

E d i t o r e s.

Index vocum distinguendarum.

Arctans dolor, arctatio (*klemmender Schmerz, Klemmen*). **Arctantem** dolorem dicimus, si pars affecta corpore alieno undique vel partim circumdata et continuo pressim angustata videtur, veluti pes a calceo nimis parvo. **Arctare** est plus quam **angustare** (*einengen, beengen*). **Coarctans** dolor (*zusammenklemmender Schmerz*) est major arctationis gradus.

Blateratio (*Plappern*) est locutio celeris et continua rerum futilium et incongruorum, clara voce. Differt a **murmuratione** sive **mussitatione** (*Murmeln*), i. e. locutione continua verborum indistinctorum, voce fusca.

Bombitatio aurium (*Ohrensumsen*) est illusio organi auditus, qua fit, ut sonum continuum, similem ei quem apes vagantes proferunt, prope aures percipere videamur. (Conferantur quoque voces: **tinnitus, susurrus, fremitus, fragor, sibilatus, stridor, crepitus.**)

Capessens dolor (*greifender Schmerz*) est sensatio, quasi pars **manu integra** rude tangatur et prehendatur. Conferantur voces: **raptare, corripere, depsere, vellicare**; omnes hi sensus hoc commune habent, quod **manus vel digitorum tactum** imitentur.

Coarctare, vid. Arctare.

Cochleae instar torquere, vid. Torquere.

Concussio (*Erschütterung*) est commotio corporis membrive singuli fortis atque subita.

Confractionis dolor (*Zerbrochenheits-Schmerz*); ossa veluti fracta videntur. Si pars in minimas particulas divisa videtur, dolorem uti a contritione nuncupamus.

Conglomerationis sensus (*Gefühl des Zusammenknäulens*) est, quasi plures partes sensiles sua sponte in globi formam se convolvant. Distinguatur a corrugationis sensu.

Conquassationis dolor (*Zerschlagenheit*); partes dolentes verberibus quasi vexatae fuisse videntur. Distinguantur ab eo dolores uti a confractione et uti a contusione.

Constringere et constringere uti funiculis, vid. Stringere.

Contusionis dolor (*Quetschungs-Schmerz*) est sensns, quasi pars a corpore gravi et obtuso compulsa vel compressa fuisset.

Corripiens dolor (*raffender Schmerz*); multae partes sensiles simul atque velociter integra manu comprehendi et convelli videntur; est plus quam capessere.

Corrosivus dolor (*ätzender Schmerz*) est qualis ab instillatione liquoris caustici provenire solet. Non confundatur cum dolore rodente.

Corrugationis sensus (*Gefühl des Zusammenschrumpfens*), quasi pars sua sponte in rugas sese complicet.

Crepitus (*Knistern*, *Knacken*) est sonus similis ei, quem ligni aridi frustum minutim frangendo audimus. Occurrit haec vox duplici ratione: tum, tamquam illusio organi auditus; tum, tamquam verus sonitus, v. g. crepitus artuum digitorum.

Crocitare (*krächzen*) est: gèmitus proferre lamentabiles, qui clangori quorundam avium, e. g. corvorum, similes sunt.

Deliquescentia (*Weichlichkeit*, *Flauheit*) est sensatio ingrata in scrobiculo cordis, qualis eos, qui nimis diu jejuni manserunt, invadit, vel etiam qualis lipothymiam interdum praecedere solet.

Depsens dolor, depsitio (*Kneten*) est sensus, quasi pars manu integra identidem capessatur, comprimatur, relaxetur et rursus comprimatur.

Diruens dolor, vid. Ruens dolor.

Discindens dolor, vid. Secans dolor.

Displodens sive disrumpens dolor (*zersprengender Schmerz*); vis interna ingens, e centro ad peripheriam agens, partem affectam penitus dispellere et disjicere videtur.

Distensio, vid. Tensio.

Distractio mentis (*Zerstreutheit*) significat conditionem eam, qua mentem ad id, quod oportet, advertere et attendere nequimus, sed variis semper cogitationibus et imaginibus eam abripi et vagare patimur.

Dormituritio (*Schläfrigkeit*) est propensio ad somnum; distinguitur a somnolentia (*Schlafsucht*), tamquam a majori gradu ejusdem inclinationis.

Elongatio dentis (*Langwerden des Zahnes*) est sensus illusorius, quasi dens longior quam solito sit.

Evanescentia idearum (*Gedankenschwinden*); ideae clarae esse desinunt et sensim omnino aufugiunt, licet nec vertigo nec animi deliquium adsit.

Excoriatio (*Beschinden*) est privatio partis ab epidermide. Est plus quam **intertrigo** sive **attritus**.

Extensio, vid. **Tensio**.

Fodiens dolor (*grabender Schmerz*) est sensus, quasi pars instrumento cavetur veluti terra, quae bipalio penetratur. Conferantur voces: **Ruens dolor** et **terebrans dolor**.

Formicatio (*Kriebeln*) est pruritus admodum sensibilis, qualis a formicarum morsu excitari solet. Conferatur **Titillatio**.

Fragor aurium (*Krachen vor den Ohren*) est illusio organi auditus, quae sonitum imitatur, qualis a trabibus aedificii corruentibus profertur.

Fremitus aurium (*Ohrenbrummen*) est illusio organi auditus, qua fit, ut sonitum imum et continuatum, qualis a fidibus gravioris soni profertur, percipiamus.

Geniculatio (*Kniebeugen, Knixen*) est flexio genuum involuntaria, stando vel eundo. Conferatur: **Vacillatio**, **titubatio**.

Glocitatio (*Glucksen*) est sensus, qualis ab aqua per siphonem cadente producitur. Occurrit v. g. inter symptomata abdominis.

Gravatio capitis (*Schwere des Kopfes*) est sensatio illa ingrata, qua caput instante coryza vel etiam post nimiam mentis intentionem occupatur. Pondus quasi cranio inesse vel eidem incumbere videtur; attamen differt a cephalalgia premente, utpote dolore vero et clare pronuntiato; gravatio autem in sensatione confusa subsistit. Conferantur: Turbidum caput et Obrutio capitis.

Horrescentia (*Frösteln*): propensio in horrorem, cum aversatione aëris adeo temperati.

Horridi oculi (*stiere Augen*): oculi rigidi et torvi.

Horripilatio (*Haarsträuben*); pili horrore elevantur et rigescunt.

Horror (*Schauder*) est frigoris sensus, cutem subito pervagans, plerumque cum tremore junctus.

Ictus (*Stoſs*): sensatio impulsionis gravis, quam pars organismi vi externa sive interna pati videtur, e. g. ictus in pectore sentit.

Intertrigo (*Wundheit*) est attenuatio et attritus dolorosus integumentorum partis, qualis v. g. in plantis pedum ab itinere pedestri aut in femoribus ab equitatione interdum contingere solet. Est minus quam excoriatio.

Laceratio et dilaceratio (*Zerfleischen*) est summus lancinationis gradus. Vid. Lancinatio et Tractio.

Lancinatio (*Reiſsen*) est dolor tractioni affinis, sed multo vehementior et acrior, qualis in rhevmaticis malis adesse solet. Vid. Tractio.

Micturitio (*Harndrang*) est nisus ad lotium mittendum creber.

Narcosis (*Einschlafen eines Gliedes, Vertauben*) est stupor membri transitorius, cui evanescenti deinde formicatio et ardor succedere solent.

Nausea (*Ueblichkeit*) est sensatio fastidiosa in ventriculo, oesophago et cavo oris, quae vomitum per aliquot tempus praecedere solet, licet etiam absque eo obtinere possit. Conferantur: Vomituritio et Deliquescentia.

Nutationis sensus in capite (*Schwanken im Kopfe*) est sensatio, quasi cerebrum huc illuc sese moveat.

Obnubilatio capitis (*Benebelung des Kopfes*) est sensus, qualis ebrietatem incipientem comitari solet; frons atque cerebrum veluti vaporibus adscendentibus replentur, quibus cogitationum claritas turbatur. Est minus quam temulentia sive ebrietas.

Obrutio capitis (*Eingenommenheit, Benommenheit des Kopfes*); summus gradus capitis gravati (vid. Gravatio). Caput veluti pondere oppressum vel fascia arctissime constrictum videtur; meditandi facultas difficilius exercetur et interdum usus ejusdem plane impeditur; nulla tamen temulentia adest.

Pavor (*schreckhaftes Zusammenfahren*) est concussio subita cum terrore. Vid. Concussio.

Premens uti forcipe dolor (*kneipender Schmerz*): pars sensilis duabus ansis instrumenti mobilibus

mox prehendi et comprimi, mox relaxari videtur. Conferantur: Vellicatio, Depsitio, Arctatio.

Pulsans dolor sive pulsatio (*klopfender Schmerz, Klopfen*) est sensatio, quae fortem arteriarum micatum imitatur. Pulsans uti malleolo dolor (*hämmernder Schmerz*) est fortior ejusdem sensationis gradus.

Pungens dolor (*stechender Schmerz*) est, qui veluti a cuspide infertur. Si ab acumine minori, v. g. acus, proficisci videtur, punctiunculam dicimus; si altius penetrat, quasi hastae cuspis, punctum nuncupamus.

Raptatio (*Zerren*) est sensus, quasi quis partem manu integra vel pluribus digitis prehensam avulsurus sit. Est plus quam Vellicatio.

Rasio, radens sensus (*Kratzen, kratzige Empfindung*): pars organismi, sive externa sive interna, re aspera fricari et laedi videtur.

Regurgitatio (*Aufschwulken*) est ructatio, qua liquida vel etiam solidiora e ventriculo in oesophagum et cavum oris usque subito rejiciuntur, nulla nausea antecedente. Distinguatur ab ea Verminatio.

Reptatio (*Kriechen*) est sensus, quasi vermis super cute vel sub ea huc illuc serpat.

Rodens dolor (*nagender Schmerz*) est, quasi quid partem dentibus adedat.

Ruens dolor (*wühlender Schmerz*) est intensior quam dolor fodiens, sed ei affinis. Nota characte-

ristica doloris ruentis est, quod partem affectam penitus subvertere et disturbare videatur. Dolor subruens (*unterwühlender Schmerz*) et dolor diruens (*zerwühlender Schmerz*) majores ejusdem sensationis gradus designant.

Scabere, scalpere, scalpturigo (*Schaben*) est sensus, quasi pars acie cultri vel similis instrumenti fricetur.

Secans dolor (*schneidender Schmerz*): pars affecta veluti cultro inciditur. Discindens dolor (*zerschneidender Schmerz*) est major ejusdem sensationis gradus.

Sibilatus (*Pfeifen*) est sonus, qualis a parvulis tibiis acutis producitur. Occurrit haec vox tum inter illusiones organi auditus, tum inter symptomata organorum respirationis, v. g. sibilatus bronchiorum.

Stomachatio (*Aergerlichkeit*) est propensio ad offensionem et iracundiam, licet causae sint minimi momenti.

Stridor (*Prasseln*); intelligimus sub hac voce strepitum, quem ignis lignum comburendo profert. Occurrit hoc vocabulum tum inter illusiones organi auditus, tum etiam tamquam verus sonus, v. g. stridor ossium.

Stringens dolor (*zusammenziehender Schmerz*) est, qui partem contrahit; est sensatio tensioni e diametro opposita. Constringentem dolorem dicimus, si contractio non in dimensione longitudinis sed latitudinis obtinet, v. g. constrictio colli. Constringens uti funiculis dolor (*zu-*

sammenschnürender Schmerz) fortiorem ejusdem sensationis denotat gradum.

Stupidum caput (*dämischer Kopf*): sensus hebetudinis quoad cogitandi facultatem.

Stupor mentis (*Stumpfsinnigkeit*) est magna animi hebetudo, quae non solum meditandi facultatem sed omnes animi vires occupat. Stupore affectum nihil amplius movet, nec tristia nec hilaria.

Subruens dolor, vid. Ruens dolor.

Subsultim (*ruckweise*) dicitur de dolore, si partem accessibus repentinis per intervalla invadit.

Subtemulentia sive caput subtemulentum (*Duttenheit, Düseligkeit*) indicat conditionem ejus, qui caput quodammodo temulentum sentit, quo fit, ut omnia perverse intelligat, mandatorum facillime obliviscatur et haluccinatoris instar se gerat.

Succussio (*Werfen in die Höhe*) est species concussionis, qua corpus subito in altum jactatur.

Susurrus aurium (*Ohrensausen*): illusio quaedam organi auditus, quae venti sive aquae aestuantis sonitum imitatur.

Tensio (*Dehnen, Spannen*). Pars corporis vi quadam interna in majus spatium, quam quod natura ei convenit, expandi videtur vel reapse expanditur; inde vero oritur nisus partis expansae in statum pristinum redeundi, et eo ipso sensatio illa ingrata, quam tensionem nuncupamus. Si pars

in dimensione longitudinis tantum diducitur, vocem extendere, proprie usurpamus; si vero ex omni regione dilatatur, vocem distendere eligimus, v. g. distentio ventris.

Terebrans dolor (*bohrender Schmerz*) est dolor acutus, qui a superficie partis versus imum dirigitur eandemque, veluti terebra lignum, lente perforare videtur.

Tinnitus aurium (*Ohrenklingen*): illusio organi auditus, qua sonitum clarum, continuum, cantui cicadae similem, percipere videmur.

Titillatio (*Kitzeln*) est species pruritus subtilissimi. Usurpatur haec vox praesertim quoad stimulos internos, v. g. titillatio in larynge tussim movens.

Titubatio (*Taumeln*) dicitur proprie de eo, qui eundo et stando huc illuc movetur et rebus obviis quasi ebrius illidit. Est plus quam vacillatio.

Torquens dolor (*drehender*, *windender Schmerz*) est, qui partem linea anguinea pervadit, constringit, comprimit. Dolor contorquens (*zusammendrehender Schmerz*) et dolor cochleae instar torquens (*schraubender Schmerz*) majores ejusdem sensationis gradus indicant.

Tractio, trahens sensatio, trahens dolor (*Ziehen*). Vis interna seriem partium sensilium successive pervadit, et quidem ita, ut singulas particulas, quas tangit, secum abducere velle videatur. Differt igitur a tensione, quae majorem partem simul occupat et in statu expansionis continuae retinet; tractio autem a particula ad

particulam pergit, et aliam relaxat, postquam aliam attigit. — Tractio est basis doloris lancinantis et lacerantis. Lancinatio (*Reissen*) est sensatio trahens vehementior et acrior, quae particulas, dum eas pervadit, simul penetrat et quasi laedit. Laceratio (*Zerfleischen*) est summus gradus doloris lancinantis, qui partem penitus divellere videtur. Lancinatio et laceratio semper veri dolores sunt; tractio autem saepius in sensatione leviori consistit.

Turbidum caput (*Wüstheit des Kopfes*) est sensatio illa ingrata capitis, qua v. g. nocte pervigilata vel nimio ingenii labore peracto afficimur. Evanescit serenitas mentis; cogitationes difficiles et confusae fiunt; cerebrum ipsum intensum sentitur.

Vacillatio (*Wanken*) est defectus firmitatis stando vel eundo, qui tamen in titubationem non degenerat.

Vellicatio (*Zupfen*): pars veluti digitis duobus prehendi et sursum deorsumque trahi videtur; vellicare alicui genas, vellicare aurem, notae sunt loqui- formulae. Vellicatio est levior quam raptatio.

Verminatio (*Würmerbeseigen*) est liquoris salivacei e stomacho in cavum oris affluxus copiosus.

Volutatio (*Wälzen*) est sensatio, quasi moles aliena in cavitate quadam corporis, v. g. in pectore vel abdomine, volvatur.

Vomituritio (*Brechwürgen*) est ipse nisus ad vomitum. Conf. Nausea et Deliquescentia.

V u l s o r i u s d o l o r (*zuckender Schmerz*) est, qui partem sensatione vibrabunda et contrahente celerrime permicat. Non confundendus cum c o n v u l s i o n i b u s, qui notione usitata accipiuntur, igiturque explicatione non egent.

Samuelis Hahnemanni

Materia medica pura.

Praefatio
editioni primae ab anno MDCCCXI. praemissa.

Non edo censuram librorum, qni de materia medica hucusque conscripti sunt; alioquin diligentius conatus varios medicaminum vires eruendi exponerem. Tacebo de inanibus conjecturis virorum, qui illas e medicamentorum colore, sapore et odore divinare ausi sunt. Tacebo etiam de laboribus eorum, qui arte chemica easdem scrutari putaverunt, dum scilicet e substantiis medicis ope destillationis siccae vel humidae phlegma, olea aetherea et empyrevmatica, acida et salia volatilia elicerent, vel, viam chemicorum recentiorum secuti, dissolutione partium solubilium in fluidis variis, inspissatione extractorum vel additione multorum reagentium, resinam, gummi, amylum, ceram et albumen, salia et terras ex iis secernerent, vel ea in fluida aëriformia redigerent. Satis constat, medicamina inter haec et similia artis tormenta nunquam, quae vis medendi in singulis lateret, manifestasse. Materiae istae, quas chemia ex iis secrevit, longe differunt ab ipsissima, qua ad sanandos morbos pollet, uniuscujusque medicamenti virtute. Hanc tamen non manibus tangere, sed nonnisi ex ejus effectibus in corpore vivo observandis cognoscere licet.

Dies, quo vera medicaminum natura explorabitur ac vera ars medendi exercebitur, non illucescet, quamdiu medici viam illam consuetam et naturae contrariam sequuntur, i. e. quamdiu medicamenta, quorum vi-

res tantummodo e vagis et arbitrariis laudibus aestimantur, multifarie miscent, hisce vero mixturis deinde in morbis haud accurate (i. e. juxta omnia eorum symptomata) observatis, sed fallaci cuiquam morbi speciei pathologicae adnumeratis, utuntur; ita, ut neque quodnam e tot medicamentis simul adhibitis profuerit, quodnam obfuerit, discant, neque quae sit singulorum medicaminum indoles distinctius cognoscant.

Dies contra, quo vera medicaminum natura perspicietur atque vera ars medendi exercebitur, veniet, quum medici remedia simplicia ad morbos sanandos sufficere confisi fuerint; quum, repudiatis, quae adhuc proposita sunt, systematibus, singulis morbis secundum omnia symptomata diligentissime exploratis, singula medicamenta, pro viribus genuinis satis cognita et quidem homoeopathica, i. e. talia, quae simillimam consignatis symptomatibus naturalibus exhibeant symptomatum artificialium complexum, opposuerint.

Meas aliorumque observationes de effectibus medicaminum puris sive in corpore sano deprehensis subinde divulgabo.

Continentur etiam in hocce opere nonnullae observationes medicorum veteri disciplinae addictorum, quae ab usu remediorum in morbis repetitae sunt. Verumtamen quum isti morbi chronici ac symptomatibus affatim notis distincti essent, quorum series (ut saltem Gredingius diligentissime fecisse videtur) separatim a novis medicamenti tentati effectibus notata est, hae etiam observationes alicujus censendi sunt pretii; passim saltem quaedam confirmare possunt, ubi similia vel prorsus eadem in hominibus sanis apparuerunt symptomata.

Quae ipse institui experimenta, ea quam purissima edere studui, ut, quid quodvis valeret medicamentum, ex ejusdem effectibus satis eluceret. Facta enim sunt in hominibus, quos, optima salute gaudere nec non aequali vivendi ratione uti, noveram.

At si quid extraordinarii inter experimenta acciderat, quo forsan immutari potuisset eorum eventus, v. g. terror, ira, timor, insignis corporis laesio, intemperantia cujuscunque generis vel alia ullius magni momenti res, inde observatio statim intermittebatur. Si quid levioris notae intercesserat, quod ad medicamenti effectum turbandum valere non videretur, symptomata tamen postea observata pro dubiis habita atque uncinis inclusa literis mandata sunt.

Quo temporis spatio cujuslibet medicamenti decurrere soleat effectus, crebris experimentis determinare studui atque ubivis adnotavi. Attamen aliam fore efficientiae diuturnitatem, si medicamenta majore dosi vel in morbo cui haud conveniunt adhibueris, monuisse juvabit. In utroque casu effectus medicaminis longe breviori finitur spatio, dum vires medicae evacuationibus succedentibus (v. g. narium aliarumve partium haemorrhagia, gravedine, diarrhoea, vomitu vel sudore) citius exhauriuntur. Organismus vivus hocce nisu medicamentum celeriter expellit veluti miasmata morborum contagiosorum, quorum vim etiam vomitibus, diarrhoeis, haemorrhagiis, gravedine, sudore aliisque evacuationibus debilitat ac partim ejicit. Inde fit, ut, qui usum sequuntur vulgarem, nunquam comperiant, quae sit v. g. *Jalappae* aut *Tartari emetici* propria virtus atque efficientiae diuturnitas; quia tantas horum medicaminum ministrant doses, ut organismus ad celerem expulsionem earum excitetur. Tum

demum, si evacuationes istae, quas medicus producere intendit, non subsecutae fuerint, sed remedium potius, uti vulgus loqui solet, in corpore substiterit, gravissima saepe et diuturna provocantur symptomata, i. e. effectus medicaminis proprii et peculiares, qui tamen perraro observatione et memoratu digni habiti sunt.

Vomitus, binis vel ternis *Tartari emetici*, vel vicenis *Ipecacuanhae* granis motus, diarrhoea tricenis *Jalappae* granis excitata, et sudor, quem florum *Sambuci* manipulus elicit, multo minus propriae horum medicamentorum efficientiae tribuendae sunt, quam ipsi organismo renitenti, qui propriam medicaminis actionem citissime exstinguere conatur.

Hinc doses minimae, quales ars medendi *homoeopathica* praescribit, vim tam eximiam exserunt, quia organismum non ad evacuationes ciendas cogunt nec ab eo ejiciuntur. Interim et minimae istae doses corpus ad evacuationes provocant (quibus efficientiae tempus contrahitur), ubi morbo haud satis conveniens remedium adhibitum fuerit.

Quicunque mente comprehendit, quae in libro meo de arte medendi, *Organum artis medicae* dicto, docui: „medicamina, vim dynamicam exserentia, nonnisi pro symptomatum similitudine morbos extinguere;“ quicunque intellexit, materiam medicam, quae remediorum naturam et finem tute explicare valeat, talem esse oportere quae, rejectis omnibus illis vanis atque dubiis medicaminum virtutibus, ea tantum indicet, quae ipsa medicamenta de vero suo effectu per symptomata in corpore humano sano suscitata prodiderint, is viam tandem inventam laetabitur, qua morbos hominum certo, cito et funditus tollere liceat.

Quomodo pro complexu symptomatum morborum singulorum eligendum sit remedium, quod simillimam exhibeat propriorum symptomatum seriem, docendi hic locus non est. Haec in *Organo* tractantur, itemque ea, quae de dosibus ad usum homoeopathicum accommodandis generatim monenda sunt; minimae remediorum sufficiunt quantitates.

Effectus medicaminum ordine certo proposui, quo facilior fiat symptomatum singulorum indagatio. Est, qui sequitur.

Vertigo,
Obnubilatio,
Mens,
Memoria,
Cephalalgia, interna, externa,
Frons,
Vultus,
Oculi et visus,
Aures et auditus,
Nasus et odoratus,
Labia,
Mentum,
Maxilla inferior (glandulae maxillares inf.),
Dentes,
Lingua (vitia loquelae),
Cavum oris, fauces,
Pharynx, oesophagus,
Saliva,
Gustatus,
Edendi et bibendi appetitus, fames,
Ructus, soda, singultus,
Nausea, vomitus,
Cardia, ventriculus,
Abdomen, hypogastrium, epigastrium, hypochondria,
Regio hepatis,
Regio lumbaris[1]),

1) Symptomata hujus regionis nonnunquam symptomatibus d o r s i e t v e r t e b r a r u m l u m b a r i u m inserui.

Sinus, annulus abdominalis,
Alvus,
Intestinum rectum, anus, perinaeum,
Urina, vesica urinaria, urethra,
Partes genitales,
Vis genitalis, seminis excretio,
Menstrua.

Sternutatio, gravedo, catarrhus,
Tussis,
Respiratio,
Pectus,
Regio sacra, vertebrae lumbares,
Dorsum, scapulae,
Nucha,
Collum [1]),
Humeri,
Bracchia, manus,
Coxae, pelvis,
Nates,
Femora, crura, pedes,
Molestiae totius corporis, affectiones cutis,
Virium conditio,
Spasmi, paralysis, syncope,
Cubitus, sessio,
Oscitatio, dormituritio, somnus levis, somnus, molestiae nocturnae, somnia,
Febris, frigus, calor, sudor,
Anxietas, palpitatio cordis [2]), inquies [3]), tremor,
Animi affectiones, mentis alienationes.

St.

---

1) Colli affectiones interdum symptomatibus maxillae inferioris addidi.

2) Palpitatio cordis sine anxietate inter molestias pectoris solito reperietur.

3) Inquies ea, quae nonnisi a corpore nec tamen ab animo proficiscitur, inter molestias corporis communes plerumque quaerenda est.

Dissertationes duae,

quibus materiae medicae purae praeluditur.

I.

De ingenio artis medendi homoeopathicae[1]).

Internam morborum naturam et quae ab iis in occultis corporis partibus mutata sint, conjiciendo divinare, inanis conatus; hisce autem conjecturis ipsam morborum curationem fundare, omnino improbandum nobis videtur. Vires medicaminum salutares ex eorum colore, sapore et odore vel e chemica analysi hariolari, aeque inanis conatus; hisce autem hypothesibus ipsam harum substantiarum (abusu maxime noxiarum) adhibitionem in morbis niti, pariter improbandum apparet. Etsi talis procedendi modus hactenus frequentissimus latissimeque diffusus, immo si per multa saecula unice adamatus fuisset, absonus tamen et perniciosissimus maneret, quippe qui fictos morborum status fictis medicamentorum viribus vincere tentet.

Apertum esto sensibus nostris, quidquid in morbis rectae valetudinis reducendae causa tollendum sit; apertum esto iisdem, quid quodvis medicamentum sanare possit, antequam morbis ipsis adhibeatur; ut

1) Prodiit haec dissertatio primum, ephemeridibus literariis inserta, infaustis illis mensis Martii anni MDCCCXIII, diebus, quibus nostratibus nullum ejusmodi res legendi multoque minus de iis meditandi otium; evanuit mea vox neque audita est. Jam nunc hic tractatus, perfectiorem quoque in formam redactus, faciliores forsan inveniet aures.

tandem ars medica levis de mortalium vita alea esse desinat, certumque in periculis auxilium ferre incipiat.

Jam nunc, quid in morbis sanandum sese manifestet, quae certa medicaminum vires indagandi via, et quae congrua morbis sanandis eas adhibendi ratio, paucis monstrabo.

* * *

Quid sit vita seu vis vitalis, nonnisi ex iis, quae efficit et quibus nobis patefit, empirico modo cognoscere, nullo pacto autem *a priori*, ut dicunt, construere possumus; interiorem enim illius naturam nec penetrare, nec conjecturis assequi mortalibus datum.

Vitae humanae indoles, sicuti duplex ejus conditio, sanitas et morbus, iisdem, quibus aliis in rebus illustrandis utimur principiis, explicari nequit. Frustra eam cum motu operis mechanici veluti machinae hydraulicae, aut cum processu chemico, aut cum dissolutione et productione gasium, aut cum apparatu galvanico, quid multa? frustra eam cum ulla re vitae experte comparabis; comparare eam licet nonnisi secum ipsa. Vita organismi humani nulla ratione secundum leges mere physicas procedit, quippe quibus tantum substantiae anorganicae regantur, Materiae, e quibus corpus nostrum compositum est, vitae vinculo junctae non amplius sequuntur eas, quibus in statu anorganico obtemperant, leges, sed nullis nisi normis vitalitati propriis continentur; jam ipsae hae singulae materiae, sicuti totus quem constituunt organismus, vita et anima imbutae sunt. Dominatur hic ingens quaedam vis primaria, quae omnem nisum singularum corporis partium leges compressionis, compulsionis, inertiae, fermentationis, putredinis, etc., sequendi tollit, easque nonnisi mirificis illis vitalitatis legibus dirigit et coercet, i. e. in continua ista

sentiendi agendique functione, in statu isto dynamico et paene spirituali retinet, qui ad totius organismi conservationem necessarius est.

Quum igitur corporis nostri valetudo in genere a conditione virium vitalium, quibus animatur, pendeat; sequitur, originem immutatae etiam valetudinis, quam morbum dicimus, neutiquam ratione chemica vel mechanica, sed dynamica considerandum esse. Morbus, si ejus originem quaeris, affectione vitalitatis, i. e. immutatione organismi quoad facultatem sentiendi agendique consistit, qua deinde ipsae quoque corporeae partes quoad qualitates materiales ita vitiantur, prouti morbosa affectio totius animati organismi in quolibet singulo casu id exigit.

Vis potentiarum nocivarum, quae plerumque extrinsecus diversis aegritudinibus nos affligunt, maxima ex parte tam invisibilis et immaterialis[1]) est, ut immediate elementa corporis mechanico modo disturbare et transformare, vel acrem damnosumque liquorem, quo humores chemico modo corrumpantur, venis infundere nequeat. En rudis tardorum ingeniorum notio, nullo pacto demonstranda, nullo pacto admittenda! Causae morbiferae dynamica potius ratione, quae impulsioni spirituali valde similis est, valetudinem turbant; dum ab iis primo loco organa altioris ordinis et vitalitatis afficiuntur, abnormis valetudinis conditio dynamica, i. e. vitiosus sentiendi agendique modus (dolores et functiones irregulares) singulorum aut omnium organorum excitatur; hac autem immutatione dynamica deinde

1) Excipimus quaedam mala ad chirurgiae provinciam pertinentia, nec non ea quae a substantiis assimilationi haud idoneis in ventriculo et intestinis oriuntur.

secundario loco ipsorum humorum in vasis corruptio et anomalarum materiarum secretio, tamquam necessarii turbatae vitalitatis effectus, gignuntur.

Has igitur materias vitiosas in morbis obvias non tamquam eorum causas, sed tamquam eorum effectus agnoscamus. Sunt producta morbi quae, donec hic praesentem servabit indolem, perpetuo secerni oportebit; sunt signa aegritudinis interioris, quae partem symptomatum nobis constituunt. Licet hae materiae saepe miasma contagiosum hominibus sanis offerre possint, nunquam tamen in ipsius aegroti corpus tamquam res morbum excitantes et alentes reagunt[1]). Non magis id fiet, quam quis pure ex ulcere venereo suo, vel materie gonorrhoica ex urethra sua depromta, aliis in corporis partibus semet ipsum inficiet seu malum suum augebit; nec magis, quam vipera dente venenato suo lethale sibi infliget vulnus.

Inde elucet, morbos, dynamicis rerum morbiferarum viribus genitos, primitus tantum dynamicas principii vitalis affectiones esse. Has autem affectiones dynamicas, quae in immutatis sensibus et actionibus organismi consistunt, nulla alia via, quam complexu quodam symptomatum nostrae percipiendi facultati manifestas fieri posse, facile intelligetur.

---

1) Istas igitur materias, acrimonias et pseudorganisationes mechanice removendo seu purgando, nunquam tamen eorum fontem, i. e. ipsum morbum sanaveris. Idem ageres ac si gravedinem frequentissime et purissime nasum emungendo breviorem reddere vel sanare velles; certo illa ne uno quidem die prius cessabit, quam decursum ordinarium fecerit.

Ars medica quum tanti in vitam hominis momenti sit, nihil nobis tamquam curationis objectum proponamus, nisi quod humanae percipiendi facultati obnoxium sit, et hoc solo objecto nosmet duci patiamur. Conjecturas enim nulloque modo probandas hypotheses tamquam duces in officio medendi constituere, vecordia, immo delictum contra genus humanum esset. Quum autem morbi solo symptomatum complexu patefieri possint, sequitur: hunc symptomatum complexum etiam unicum curae objectum in quovis morbi casu constituere. Nam, omnibus morbi signis sublatis, nihil nisi sanitas remanet.

Quoniam morbi dynamicae solum affectiones valetudinis sunt, nulla alia ratione ab hominibus deleri possunt, quam ope talium potentiarum, quae pariter facultate affectiones valetudinis dynamicas excitandi pollent; i. e. morbi medicamentis dynamico modo sanantur [1]).

---

1) Minime vero id fit ope variarum illarum, quas medicaminibus tribuunt virtutum; nec viribus earum resolventibus seu mechanice discutientibus, expurgantibus et propellentibus; nec fictitia illa virtute materias morbi elective secernendi, sanguinem corrigendi humoresve emundandi; nec virtute quadam antiseptica, scilicet eodem, quo in carne mortua putridave, modo agente; nec ulla alia impulsione chemica vel physica, eundem ac in materiis inanimatis effectum producente. En commenta, quae ab antiquissimis temporibus sibi fixerunt medicorum scholae!

Recentiores quidem scholae morbos aliquatenus pro dynamicis affectionibus habere, easque dynamicis medicaminum viribus impugnare coeperunt. Quum autem tres illas principes vitae manifestationes (sive *dimensiones*, ut dicunt), *sensibilitatem*, *irritabilitatem* et *reproductionem*, non in modo et qualitate infinite mutabiles agnoscant, ac morborum symptomata (quae tamen sola imaginem aegritudinis interioris nobis reful-

Omnes hae substantiae ope ejusdem vis dynamicae, qua adversam valetudinem immutant, i. e. alium tenorem in sensibus et actionibus corporis aegroti producunt, etiam corpus sanum dynamice afficiunt ac varia symptomata morbosa in eo excitant; quae quidem symptomata, uti deinde videbimus, certissima indicia statuum morbi a singulis remediis sanandorum nobis praebent. Nulla igitur res organismum aegrotum a morbo liberare potest, nisi quae valetudinem in genere, ergo etiam rectam valetudinem dynamice immutare potest [1]); sed versa vice nulla quoque est potentia vi morbifera in sanum corpus pollens, quin simul virtute quosdam status morbosos sanandi praedita sit.

Quum igitur in omni medicamine vires salutares in morbos et vires morbiferae in corpora sana conjunctae reperiantur, utraque autem potestas ex eodem fonte, i. e. e potestate valetudinem in genere dynamice immutandi oriatur, nec fieri possit, ut haec potestas alia lege naturae quoad effectus in corpore aegroto, aliaque quoad effectus in corpore sano regatur, sequitur: Unam eandemque esse medicaminis vim, quae in aegrotis morbos sanet et in

---

gent) non pro solis certis curae objectis habeant, sed illas facultates vitales solummodo quoad quantitatem abnormes, i. e. vel nimis auctas vel nimis imminutas hypothetice accipiant atque iis quibus utuntur remediis vim hosce anomalos status ad justam normam reducendi ex arbitrio tribuant; — hae quoque recentiores medicorum scholae vanis nituntur commentis, tum quoad curae objectum (indicationem), tum quoad remediorum actionem.

1) Igitur nulla substantia mere alibilis.

sanis symptomata morbosa excitet. Diversitas effectus in utroque casu pendet nonnisi a diversitate objecti mutandi.

Quaenam sit cujusvis medicaminis indoles et quid quodvis in morbis efficere valeat, nulla alia via nobis clarius, certius et plenius patefieri potest, quam symptomatibus sive morbis artificialibus, qui ab his ipsis in sanis corporibus gignuntur. Enimvero si series symptomatum singulis medicaminibus propriae nobis innotuerunt, nihil nobis restat nisi ut haec remedia seorsum morbis adhibeamus, et, quibus symptomatibus medicinalibus haec vel illa symptomata naturalia semper celeriter ac radicitus sanentur, diligenter observemus; quo facto jam in antecessum definire poterimus, quodnam e diversis medicaminibus (pro genuinis eorundem effectibus exploratis) certissimum cuidam morbo remedium existet.

Licet hoc principium tam simplex, verum et naturae consentaneum sit, ut necessitas, id pro basi omnis virtutum medicarum cognitionis habendi, cuilibet elucere videatur, multum tamen abfuit, ut hactenus id reapse contingeret. Ab initio artis medicae usque ad novissima tempora nemo hanc viam naturae conformem, virtutes medicaminum cognoscendi ac eorum usum ante constituendi, invenit. Per omnia saecula contra praevaluit opinio, qualitates medicaminum salutares tantum ab usu in morbis disci posse; existimabant scilicet, eas ex iis casibus cognoscendas esse, in quibus medicamentum quoddam, seu potius mixtura plurium medicaminum, frequentissima tulerat auxilia. Jam primum hic objicere possemus, rarissime casus morbi accurate descriptos, et rarissime simplicia medicamenta adhibita fuisse. Sed ne quidem e salutari

effectu medicaminis simplicis in casu morbi accuratissime descripto colligere licet, quibus in casibus futuris idem remedium aeque salutare erit. Enimvero, exceptis morbis e constanti miasmate provenientibus (v. g. variolis, morbillis, syphilide, scabie, etc.), nec non iis, qui e pluribus causis morbiferis aeque constantibus oriuntur (v. g. arthritis nodosa etc.) omnes reliqui morborum casus seorsum exstant, i. e. quilibet ex iis nobis symptomatum complexum peculiarem et ab aliis diversum praebet, qui nec antea plane sic obvenit, nec in futurum rursus obveniet; quam ob causam a salutari effectu medicaminis in singulo tali casu nulla datur conclusio ad similem ejusdem effectum in aliis casibus. Quodsi *pathologia* innumeros istos semperque varios casus ex arbitrio in certas species dividere atque in stabiles formas coarctare solita est, infaustum mehercle et inane fabricavit opus, perpetuis erroribus ac diversissimorum statuum confusioni ansam praebere idoneum!

Verum aeque improbanda et captiosa nobis videtur consuetudo in *materia medica* obtinens, virtutes medicaminum generales a raris eorundem effectibus in singulis morbis derivandi. Si v. g. inter usum remedii cujusdam, saepissime cum pluribus aliis mixti, abundantior urinae sudorisve secretio, vel mensium profluvium, vel convulsionum remissio, vel somnus, vel expectoratio, etc. successerat, statim medicamentum, cui prae reliquis praecipuam efficaciam tribuebant, ad dignitatem remedii diuretici, vel diaphoretici, vel emmenagogi, vel antispasmodici, vel somniferi, vel expectorantis promovebant. Eo ipso autem non solum fallaciam causae, permutando nempe voces inter usum et ab usu remedii, commiserunt, sed etiam falsam

conclusionem a particulari ad universale fecerunt, immo absolutum conditionato supposuerunt. Enimvero medicamentum, quod non in quolibet morbi casu urinam sudoremve auget, menstrua vel somnum excitat, convulsiones sedat tussemque tacere jubet, id, inquam, a sana mente declarari nequit absolute diureticum vel diaphoreticum, absolute emmenagogum vel somniferum, absolute antispasmodicum vel expectorans. Nihilominus id fieri solet in *materia medica* vulgari. — Denique, fieri non potest, ut inter tot ac tam diversa symptomata morbi effectus medicaminis genuini accurate distinguantur, quippe qui nonnisi in sano corpore clare notari possint.

Jam nunc experientia duce disquiramus, quonam modo istae potentiae morbiferae artificiales, medicamenta dictae, morbis naturalibus medendis adhibendae sint, ut hi certissime ac plenissime sanentur. Quaeritur:

1) Num medicamina adhibenda sint talia, quae in sano corpore affectionem allopathicam (ἄλλον πάθος), i. e. morbo naturali nec similem nec oppositam, sed ab eo plane diversam gignant?

2) An talia, quae in sano corpore affectionem antipathicam seu enantiopathicam (ἐνάνθιον πάθος), i. e. morbo naturali oppositam producant?

3) An denique talia, quae in sano corpore affectionem homoeopathicam (ὅμοιον πάθος), i. e. morbo naturali similem, excitent?

Hae enim tres remedia adhibendi viae solae patent.

Quod methodum allopathicam attinet, jam per se elucet, ejusmodi medicamina, quorum symptomata neque similitudinis neque contrarii ratione ad morbum pertineant, sed plane diversa ab eo sint, nullo pacto congrua et salutaria esse posse; alias enim quemlibet morbum a quolibet remedio celeriter, certo et radicitus sanari oporteret. Quum autem cuivis medicamini effectus peculiares conveniant, atque quivis morbus peculiarem valetudinis affectionem excitet, omnis autem rei cujusdam mutatio nonnisi a causa huic ipsi mutationi perficiendae idonea, minime vero a qualibet causa effici possit, principium allopathicum vitio *contradictionis in adjecto* laborare clarissime apparet. Quodsi infelicem illius methodus successum jam *a priori* colligere licet, firmissimum huic conclusioni ipsa experientia addit robur. Quotidie enim praxin medicam vulgarem, varia et ignota medicamina miscendo ac morbis applicando, diversissima quidem efficientem, rarissime vero sanantem videmus.

Altera medendi methodus iis utitur medicamentis, quae morbum seu praecipuum ejus symptoma per excitationem affectionis contrariae sive enantiopathicae supprimunt (*remedia palliativa*). Tantum vero abest, ut talis remedii usus firmam sanationem efficere possit, ut potius malum ipsum paulo post majore vi reverti oporteat; quod statim demonstrabo.

Secundum admirabilem quandam naturae institutionem creaturae animatae et organicae secus ac materiae inanimatae et anorganicae erga impulsus exteros se habent; hos enim impulsus non, uti istae, inertes recipiunt iisque obedientes cedunt, sed contrariam actio-

nem iis opponere nituntur[1]). Initio quidem corpus humanum ab impulsu potentiarum physicarum semet immutari patitur; sed haec immutatio, secus ac in materiis anorganicis, constans et diuturna non est (quod tamen esse deberet, ut medicamentum antipathicum effectum salutarem et stabilem exserere posset); immo, organismus vivus isti affectioni extrinsecus ei illatae, conditionem directe contrariam opponere nititur. E. g. manus, quae per aliquot tempus aquae glaciali immissa fuit,

1) E. g. succus recens e plantis expressus si linteo illitus fuerit, mox in sole exalbescit et evanescit; quodsi contra plantam vivam, in cella obscura pallescentem, luci rursus admoveris, eodem sole mox omnem viriditatem recuperabit. — Si radicem effossam, exsiccatam et emortuam solo calido humidoque immiseris, mox in plenam putredinem transibit, dum radix viva, eidem solo calido humidoque inserta, laetos aget surculos. — Si cerevisia ex hordeo cocta, fermentans ac spumans, calori 96 *graduum scalae Fahrenheit* in vaso exposita fuerit, mox aceti qualitatem assumet; at si eadem in stomachum humanum sanum, licet eodem caloris gradu praeditum, pervenerit, mox, omni fermentatione impedita, in mitem chylum mutabitur. — Caro ferina jam semiputrida et foetida nihilominus ab intestinis hominis sani ita digeritur, ut non magis foetentia excrementa, quam ab esu carnis bovum aliarumve bestiarum inde reddantur; sed eadem intestina contra *corticem Peruvianum*, qui tamen in substantiis animalibus mortuis putredinem efficacissime infringit, ita reagunt, ut foetidissimi inde proveniant flatus. — *Calcaria carbonica* in materiis anorganicis omne *acidum* tollit; sed in stomachum sanum introducta, transpirationem acidam excitare solet. — Nihil est, quod fibram animalem mortuam certius a putredine servet quam *coriarium* (*Tannin*); idem tamen, ulceribus puris hominis vivi saepius illitum, impura, viridia et putrida ea reddit. — Manus, per aliquot tempus aquae calidae immersa, deinde frigidior manu altera non immersa existit, et eo frigidior, quo calidior aqua fuerat.

educta deinde, frigida non manet, nec solummodo temperiem aëris eam circumdantis sicut globulus lapideus assumit; sed quo frigidior aqua fuerat et quo diutius in cutem sanam egerat, eo magis haec deinde calida et inflammata existit.

Consentaneum est huic legi naturae, ut per usum cujusvis medicaminis initio quidem affectiones dynamicae huic propriae in corpore nostro excitentur (*effectus remediorum prior* sive *primitivus*), deinde vero per nisum ipsius organismi *antagonisticum* (quem multis in casibus instinctum vitae conservandae dicere liceret), conditio priori illi directe contraria provocetur (*effectus posterior* sive *secundarius*); v. g. usus substantiarum narcoticarum priori effectu insensibilitatem, posteriori autem eximiam sensibilitatem erga dolores gignit. Quodsi igitur tali utimur remedio, cujus agendi modus symptomatibus morbi contrarius est, initio quidem status morbosus extinctus videtur et blanda quaedam obtinet valetudinis conditio; sed per breve admodum tempus [1]). Mox enim effectus remedii proprius nisui antagonistico vivi corporis cedat oportet, quo status blandae illi conditioni directe contrarius, itaque malo ipsi consentaneus excitatur. Hic autem novus status morbosus tamquam additamentum morbo primitivo, qui haud extinctus nunc revertitur, accedit. Sic necessario malum semper ingravescit, simulac effectus remedii enantiopathici sive palliativi cessavit [2]).

---

1) Sicuti ambusta manus non longe diutius, ac aquae frigidae immersa fuit, dolore vacua et frigida manet.

2) Sic dolor ambustae manus aqua frigida velociter quidem sed tantum per aliquot *sexagesimas horae* sedatur; deinde

In morbis chronicis, — vero artis medicae criterio, — damnum medicaminum enantiopathicorum quam maxime emergit; nam si usus eorum repetitur, semper semperque doses crescant oportet, ut fallacem duntaxat effectum suum, vanam et velociter praetervolantem rectae valetudinis umbram, provocent; hae crescentes doses autem vitae saepe discrimen, ac haud raro mortem ipsam afferunt [1].

Nulla igitur nobis superest nisi *homoeopathica* remediis utendi methodus, i. e. ea quae in quolibet morbi casu tale adhibet medicamentum, quod suapte natura affectionem artificialem morbo medendo similem, immo, quod optimum erit, quam simillimam in corpore humano excitare tendit.

---

vero dolor et inflammatio acriores quam antea fiunt; nam ista inflammatio, quae aquae frigidae effectus posterior est, inflammationi principi, quae ab ambustione provenit et aqua frigida sanari haud potuit, tamquam additamentum accedit. — Molesta abdominis plenitas, cum diuturna alvi constipatione juncta, statim post medicamenti purgativi effectum quasi incantationibus amota videtur; sed jam postridie dolens ista ventris plenitas simul cum constipatione redit adeoque per aliquot insequentes dies gravescit. — Somnum stupidum succo papaveris effectum altera nocte eo major insequitur insomnia. — Hoc autem subsequenti statu malum re vera auctum esse, ex eo apparet, quod, si rursus eodem remedio *palliativo* uti volumus (v. g. succo papaveris contra insomniam vel diarrhoeam chronicam), hoc semper fortiori dosi ministrandum sit, ut per idem duntaxat breve tempus, ac prima vice, speciosam aegritudinis mitigationem efficiat.

1) E. g. si sedandis urgentibus morbi diuturni symptomatibus succus papaveris qua *palliativum* crescentibus semper dosibus opponitur.

Hunc vero remediorum usum nobis perfectissimam atque optimam morbos curandi viam praebere, non solum mea aliorumque medicorum meam doctrinam sequentium experientia ipseque usus quotidianus [1]) innumeris exemplis docet, sed etiam argumentis ac rationibus facile evinci licet.

---

1) V. g. (ut aliquot saltem exempla ex usu quotidiano depromta commemorem) dolor urens, ex ambustione cutis per aquam fervidam proveniens, a coquis manum adustam flammae ignis admovendo extinguitur. — Plures artifices, e. g. laccae obductores, aliud comprobatum habent ambustiones sanandi remedium; adustam manum scilicet spiritu vini vel oleo terebinthinae calefacto continuo humectant. Dum hisce fortibus spiritibus novus et fortior dolor urens excitatur, inflammatio ab adustione proveniens homoeopathica ratione superatur et extinguitur; quo facto dolor artificialis solus per aliquas horae sexagesimas remanet. Interim a vi reproductiva organismi in locum laesae epidermidis nova cuticula, quam spiritus vini penetrare nequit, substituitur; et sic intra paucas horas remedio similem dolorem urentem provocante (spiritu vini nempe vel oleo terebinthinae) malum ambustionis sanatur, quod, unguentis refrigerantibus aliisve remediis palliativis tractatum, in ulcus malignum degenerasset et plures per hebdomadas adeoque menses maximis cum doloribus suppurare perrexisset. — Constat inter peritos saltatores, eos, qui saltando summopere incaluerunt, nudato corpore vel aqua frigidissima hausta initio quidem valde recreari, deinde vero lethalem in morbum necessario incidere. Dum autem omnem refrigerationem, ab aëris afflatu vel vestibus depositis capiendam, diligenter fugiunt, nec non potione suapte natura sanguinem incalescente, v. g. sicera Anglica (*Punch*), vel calido *theae* infuso cum spiritu oryzae vel sacchari (*Rum* vel *Arak*) mixto utuntur, inter lenem ambulationem a febre acuta, saltando concitata, brevi tempore liberantur. — Ita etiam vetus ac peritus messor inter nimium sole sub ardente exantlandum laborem nulla sui recreandi causa utetur potione nisi aliquantulo *aquavitae*, qua, hora vix

Curatio *homoeopathica* legibus naturae nititur, quarum prima haec est: Organismus humanus multo minus a morbis naturalibus quam a medicamentis semet affici patitur.

Licet quotidie et quavis adeo hora permultae causae morbiferae in nos agant, valetudinis aequilibrium tamen turbare nequeunt; vis vitae conservatrix plurimis earum ita resistere solet, ut sanitas integra maneat. Tum demum, quum externae istae potentiae nocivae majore violentia in nos irruant atque ipsi iis nimis expositi simus, aegritudine afficimur. Sed haec quoque aegritudo gravis non erit, nisi corpus eodem tempore singulari dispositione morbosa, i. e. parte quadam infirma et aggressui praecipue obnoxia laboraverit, qua ad impulsionem causae morbiferae praesentis (simplicis sive compositae) recipiendam et valetudinis turbationem patiendam proclivius reddatur.

Si innumeris istis potentiis inimicis, tum psychicis tum physicis, quae causae morbiferae dicuntur, vis absoluta valetudinem vitiandi inesset, neminem sanum esse sinerent; nam, undique late diffusae, omnes homines corriperent, nec notio qui-

---

praeterlapsa, sitis et aestus extinguentur atque bona valetudo restituetur. — Nemo prudens membra frigore emortua aquae calidae immittet vel fornaci calido admovebit, sed nive ea tegendo vel aqua glaciali fricando auxilium omnibus notum (et *homoeopathicum* quidem) sibi ministrabit. — Symptomata morbosa a nimio gaudio provenientia, i. e. delira hilaritas, contremens inquies, et nimia corporis mobilitas, palpitatio cordis et insomnia, celeriter ac funditus tolluntur potu *coffeae*, quae similia symptomata in hominibus huic potioni haud adsuetis excitat. — Sic multa adhuc praesto sunt in usu quotidiano, magnam quae confirmant veritatem: Naturam diuturna hominum mala malis simillimis sed brevibus sanari velle.

dem rectae valetudinis nobis remaneret. Quum autem morbi nonnisi exceptiones ab ordinaria hominum valetudine constituant, atque tot variarum rerum concursus, tum ex parte potentiarum nocivarum, tum ex parte hominum ab his afficiendorum requiratur, ut morbus e causis suis excitantibus nasci possit, sequitur: Hominem ab hisce potentiis nocivis non ita affici, ut necessario inde aeger fiat, sed eum nonnisi existente peculiari dispositione morbosa aegritudine affligi.

Longe aliter autem sese habent erga nos potentiae dynamicae artificiales, quas medicamenta dicimus. Quodvis verum medicamentum nempe quocunque tempore et quibuscunque sub conditionibus in quodvis corpus humanum tanta efficacia agit et in eo symptomata ipsi propria (a sensibus etiam, dosis satis magna si fuerit, percipienda) tanta necessitate gignit, ut, quemvis organismum humanum a morbo medicinali affici et quasi infici oportere, manifestum sit; quod, uti vidimus, de morbis naturalibus affirmari non potest[1]. Omnis experientia clarissime nos docet: corpus humanum multo pronius et proclivius esse ad affectionem valetudinis a potentiis medicinalibus, quam ab aliis rebus noxiis et miasmatibus contagiosis recipiendam, sive quod idem ait: Potentias medicinales vi absoluta et praeponderante, reliquas autem res morbiferas vi admodum conditionali valetudinem immutandi praeditas esse.

---

1) Pestilentiales adeo morbi vi absoluta quemcunque inficiendi non gaudent, multoque minus alii morbi, qui multo majorem hominum copiam intactam relinquunt, licet isti omnibus tempestatis varietatibus aliarumque rerum noxiarum impulsioni sese exposuerint.

Intelligimus jam nunc, quomodo fieri possit, ut morbi omnino medicamentis sanentur, i. e. intelligimus fieri posse, ut affectio morbosa in organismo residens extinguatur, si idem organismus a medicamine aptissimam valetudinis immutationem nanciscatur.

Ut autem sanatio morbi reapse obtineat, altera quoque lex naturae adimpleri debet, quae ita edicit: Affectio dynamica in organismo residens ab affectione dynamica fortiori superveniente funditus tollitur, si posterior priori similis est.

Dynamica valetudinis immutatio nec *allopathica*, i. e. a praesenti morbo plane diversa esse debet, ne major valetudinis turbatio moveatur (sicut in praxi medica vulgari fieri solet), nec *antipathica*, i. e. morbo praesenti contraria, ne fallax tantum aegritudinis *palliatio* existat, quam morbi incrementum necessario subsequitur. Medicamini potius insit nisus, tenorem valetudinis ipsi morbo similem suapte natura producendi, i. e. requiritur, ut ejus virtus, symptomata morbo praesenti similia in corpore sano excitandi, experimentis comprobata sit, ut tutum et salutare remedium fiat.

Sicuti affectiones dynamicae (sive a morbis sive a medicaminibus genitae) nonnisi e symptomatibus, i. e. ex immutatis organismi actionibus et sensibus cognoscuntur, sic etiam similitudo, quae inter duas hujusmodi affectiones intercedit, nonnisi ex ipsis his symptomatibus intelligi potest. Quum porro organismi valetudo multo facilius a medicaminibus quam a morbis immutetur, ideoque novae affectioni simili, a medicamine illatae, potius cedat, quam in

priore, quam a morbo acceperat, perseveret, sequitur: Corpus ab aegritudine naturali liberari debere, si medicamentum tale in id egerit, quod, essentia quidem a morbo praesente diversum [1]), symptomatibus autem ei simillimum, i. e. *homoeopathicum* sit. Quum enim organismus humanus tamquam individuum vivum et finitum duabus affectionibus dynamicis similibus eodem tempore imbutus esse nequeat, quin debilior fortiori cedat, a potentia medicinali (affectione fortiori) correptus morbum (affectionem inferiorem) exuat, i. e. sanetur necesse est.

Ne putes, organismum aegrotum, cui affectio similis a remedio *homoeopathico* impertitur, gravioris et novi mali accessione onerari; veluti bractea plumbea, ferreo pondere jam pressa, addito insuper lapide fortius premitur; sive lamina aenea, frictione jam calefacta aqua fervida superfusa calidior adhuc existit. Minime gentium. Organismus noster non mere *passivum* sese gerit adversus impulsiones exteras, sicuti materiae anorganicae quae legibus physicis tantum diriguntur; sed nisu proprio contra affectionem medicinalem reagit atque simul ad affectionem naturalem removendam contribuit, quippe quum, dato remedio *homoeopathico*, morbus medicinalis morbo naturali simillimus sit. Hac vi *antagonistica* organismus morbum naturalem tam-

---

1) Nisi ista diversitas quoad utriusque potentiae essentiam intercederet, nulla sanatio fieri posset. Si enim affectio morbosa et affectio medicinalis non solum similes sed pares essent, aut omnino nihil aut mali augmentum inde sequeretur; e. g. si quis ulcus venereum sanare vellet, dum id pure venereo alieno humectaret.

quam valetudinis affectionem inferiorem expellit et excludit, simulac potentia medicinalis eum affectione fortiore et simili imbuerit. Simile quid contingere solet in affectionibus psychicis [1]).

Sicuti jam organismus sanus multo facilius a medicamentis quam ab aliis potentiis morbiferis valetudinem immutari patitur, ita organismus aegrotus multo facilius a remedio *homoeopathico*, quam a medicamine *allopathico* vel *enantiopathico* afficitur. Quum enim quaedam corporis organa et partes jam a morbo naturali certis symptomatibus patiendis et producendis accommodata et attemperata sint, eximia iis est dispositio ad simi-

1) E. g. si puellam morte amicae afflictam ad inopem familiam morte patrisfamilias orbatam duxeris, nudae prolis adspectu non tristior fiet, sed suae calamitatis minoris solatium exinde capiet. Sanatur veluti dolor, quo amissam lugebat amicam, quoniam animus ob individuam suam naturam duobus motibus similibus eodem tempore concitari nequit; sed priorem ex iis sedari oportet, si similis quaedam et fortior perturbatio animum invaserit, quae priori tollendo tamquam remedium homoeopathicum inservit. Ponamus vero, eandem puellam a matre irata conviciis increpatam esse, diverso hoc dolore illato (affectione diversa sive *allopathica*) minime a moestitia primitiva liberaretur, sed nonnisi aegrior animi inde fieret. Nec magis luctum ejus tolleres, si hilare festum instituendo fallacem laetitiam per aliquot horas in ea excitares (affectionem contrariam sive *enantiopathicum*); mox enim ad solitudinem reversa in graviorem adeo incideret moerorem et largiores morti amicae solveret lacrymas. — Quod autem hic in vita psychica observamus, etiam in vita organica obtinet, quae pro natura sua individua non magis quam animus duabus affectionibus dynamicis similibus et generalibus eodem tempore occupari et imbui nequit; nam si posterior affectio priori similis est, haecce ab illa expellitur, simulac organismus ab ea magis corripitur.

lium symptomatum tenorem a remedio *homoeopathico* recipiendum [1]). Hanc vero ob causam nonnisi minimae talis remedii doses ad morbum naturalem in morbum medicinalem commutandum eoque ipso sanandum necessariae et utiles sunt. Primum enim doses majores necessariae non sunt, quoniam hic virtus medica non quantitate et materia, sed qualitate et convenientia dynamica, i. e. *homoeopathica* finem praescriptum adimplet. Verum majores doses adeo nocent, tum quia dynamicam morbi immutationem haud certius quam minimae doses efficiunt, tum quia nimiam affectionem medicinalem gignunt, quae semper malum quoddam manet, licet tale quod certo temporis spatio elabatur.

Magna igitur vi organismus corripitur et imbuitur a parvissima adeo dosi medicamenti, quod complexum symptomatum morbi nisu proprio similia symptomata excitandi aequare et extinguere valet; liberatur corpus ab affectione naturali, simulac affectio medicinalis, cui recipiendae multo facilius se praebet, eo potita est.

Quodsi medicamenta majoribus licet dosibus ministrata sanum corpus nonnisi per aliquot dies affectum tenent, facile cogitabis, aegrotum corpus ab exigua ejusmodi dosi quae ad curam homoeopathicam perficiendam requiritur, solum per breve tempus, immo, minimis dosibus in malis acutis adhibitis, per aliquot tantum horas affici posse; quo facto morbus medicinalis, qui in locum morbi naturalis successit, gradatim et levato velo in rectam valetudinem transibit.

---

1) Sic animus, propriis malis jam affectus, similium alienorum malorum narratione facillime irritatur.

Jam nunc exposui leges, quibus natura curationem morborum medicamentis perficiendam adstrinxit; his solis legibus dirigi vult, ut firma sanatio efficiatur; has vero sequens, mathematica paene certitudine procedit. Nullus est casus morbi dynamici, excepto tantum agone, nec non (si huc omnino pertinet) marasmo senili et destructione visceris partisve ad vitam necessariae, cujus symptomatibus complexus symptomatum, inter effectus genuinos medicaminis cujusdam reperiendus, ratione similitudinis quam maxime respondeat, qui hoc ipso medicamento celeriter ac radicitus sanari nequeat. Nulla igitur est medendi via, qua homo facilius, certius ac plenius a morbis liberari possit, quam exiguis remediorum *homoeopathicorum* dosibus [1]).

---

1) Rara ista eminentium sanationum exempla, qnae in praxi medica vulgari quoque inciderunt, nonnisi eo contigerunt, quod variis illis, quae in formula quadam continebantur, medicaminibus fortuito etiam remedium homoeopathicum, congruum ac praevalens, sese immiscuerit. Dixi „*fortuito*;" nam consilio remedia homoeopathica hactenus a medicis eligi non potuerunt, quum effectus medicaminum puri, experimentis in corpore sano reperiendi, ab iis non investigarentur incognitique iis manerent. Immo, si tales effectus ex aliis scriptis iis innotuerant, nihil eos ad artem medicam exercendam proficere putaverunt. Insuper etiam rationem symptomata morbi ad similia medicaminis symptomata referendi, i. e. legem *homoeopathicam*, qua omnis tuta curatio dirigenda est, ignoraverunt.

II.

De fontibus materiae medicae vulgaris disquisitio.

Praeter cognitionem *objecti* curationis, i. e. omnium eorum quae in quocunque morbi casu sananda sunt, nulla est, quae magis necessaria medico sit, quam instrumentorum curationis cognitio, i. e. notitia omnium eorum quae quodvis medicamentum certo efficere ac sanare valeat.

Huic scientiae adipiscendae atque tutissimae, quae ad eam duceret, viae inveniendae per 2300 annos medicorum myriades operam dederunt. Sed frustra; omnibus moliminibus ne gradu propius ad finem accesserunt. — Quodsi per tot saecula tot medicorum cohortes viam solummodo, qua ad scientiam istam pervenire liceret, reperissent, jam multa, jam omnia paene parata fuissent. Hac enim via ulterius progressi, studio ac laboribus optimi cujusque tantam sensim cognitionis copiam acquisivissent, ut reliqua investiganda mox in manus nostras incidissent.

Ast nunquam adhuc recto solidoque itinere ad finem perrexerunt, sed fallacibus labyrinthis ab eodem aberraverunt. Haec ipsa vero quae sint, jam nunc paullisper lustremus.

* * *

Primus fons *materiae medicae*, qualis adhuc fuit, mera conjectura et fictione, virtutes medicaminum generales definientibus, consistit.

Sicuti jam XVII saeculis abhinc Dioscorides: „hoc vel illud remedium *resolvens*, *discutiens*, *diureticum*, *diaphoreticum*, *emmenagogum*, *anodynum*, *antispasmodicum*, *aperiens*, etc.“ declaravit, ita et recentis-

simae *pharmacologiae* nobis praecipiunt. Eaedem nobis occurrunt virtutes *therapeuticae generales*, quae tamen in rerum natura non obtinent; eadem praesto sunt asserta generalia, quae tamen ad aegroti lectum eventu destituuntur.

Experientia nos docet, rarissime a remedio id effici, quod pro laudata virtute generali efficere deberet, et, si quando vere id efficiat, hunc effectum vel aliis e causis provenire, vel *palliativum* tantum et transeuntem (effectum remedii priorem) esse, cui contraria postea conditio eo certius et cum majore aegroti detrimento succedere soleat.

Fac interim ut remedium simplex, quod *diureticum*, *diaphoreticum* vel *emmenagogum* praedicatur, in singulo e permultis casibus et peculiaribus sub conditionibus reapse talem effectum exseruerit; num idcirco gloria perpetua medicaminis absolute *diuretici*, *diaphoretici*, *emmenagogi* ornandum erit? Pari jure hominem, qui rarissime tantum probus apparet, praestantissima viri probi laude, vel eum, qui rarissime non mentitur, honestissimo veracis fidique viri cognomine decorares. — Num tantopere humanas notiones contorquere et subvertere licet?

Sed ne quidem rari isti casus effectum rarum certo demonstrant. Nam inter tot centenos casus vix unus exstabit, quo medicamentum simplex atque solum adhibitum fuerit, verum paene semper aliud cum aliis mixtum fuisse reperies.

Quam pauci ab omni tempore fuerunt medici, qui aegroto remedium sincerum dederint atque hujus unius effectum exspectaverint, dum a quocunque usu secundario alius rei medicatae abstinerent? Sunt nonnisi mixturae plurium me-

dicamentorum, quae a medicis vulgaribus praescribuntur. Etsi quando substantiam simplicem, e. g. sub forma pulveris, ministrasse iis evenerit, nunquam tamen sibi temperare poterunt, quin hoc illove *infuso herbario theiformi*, vel *clysmate* medicato, vel *fomento* et *cataplasmate* diversis ex herbis composito, simul uterentur. Hocce vitium hereditarium cuilibet medico vulgari tanta tenacitate inhaeret, ut vix unquam id excutere possit; omni ex parte aliquid ei deficeret neque satis fecisse sibi videretur, nisi praeter remedium principale multifariis etiam adminiculis inniti liceret.

Huic consuetudini tuendae varia iis diverticula in promptu sunt. Unum scilicet e pluribus medicamentis in formula mixtis remedium principale esse contendunt, cui omnis effectus tribuendus sit; caeteras vero substantias tantum ob finem secundarium additas fuisse, nempe ut ab iis remedium principale adjuvetur, vel corrigatur, vel huc et illuc in corpore ducatur, et quae alia sunt mandata, quibus ista *remedia accessoria* (pro viribus suis genuinis ac puris incognita) instruunt; quasi animantia ratione, voluntate et obedientia praedita essent, quae necessario jussus *Domini Doctoris* nec tantillum ultra exsequerentur.

Num vero haec *accessoria* ob decretum nostrum desinent eos gignere effectus, quos secundum aeternas naturae leges ab iis gigni oportet et quos nec divinare nec conjicere, sed puris tantum experimentis cognoscere licet? Nonne haec *accessoria* hisce suis effectibus actionem remedii principalis aut turbabunt aut immutabunt?

Nonne absurdum est, mixti remedii effectum unicae tantum potentiae tribuere, quum aliae ta-

men vires heterogeneae simul egerint, quibus pari jure pars effectus et quidem praecipua persaepe debeatur?

Certo haud magis absurdum esset, si quis persuadere nobis studeret, sese optimum alimentum in *sale culinari* invenisse, quippe quo homines fame jam paene consumti statim ac veluti miraculo satiati, recreati et roborati fuissent. Scilicet: Unciam salis culinaris tamquam *basin* et *ingrediens principale* hujus remedii alibilis praescriptam; hanc deinde lege artis in sufficiente quantitate aquae fervidae tamquam *excipiente* et *vehiculo* solutam; huic autem largam portionem butyri tamquam *corrigens*, et libram panis secalini tenuiter concisi tamquam *adjuvans* additas esse. Hac mixtura (jusculum vulgo dicunt) bene peragitata et uno haustu ab esuriente sumta, plenissimam satietatem obtigisse; omnia reliqua, praeter unciam salis culinaris, *accessoria* tantum fuisse; istam autem pro *basi* et remedio *principali* formulae a se praescriptam esse, atque excellentissimum hoc remedium, accurate juxta formulam laudatam praeparatum, optimum semper effectum exercuisse. — Si quis post haec in *materia medica culinari* ad articulum sal culinare virtutes: „*saturans*, *analepticum*, *restaurans*, *reficiens*, *nutriens*," adderet, certo haud puerilius ageret quam medicus, qui substantiam quandam medicinalem tamquam basin remedii *diuretici* initio formulae statueret, deinde duo, tria, quatuorve medicamina efficacia (sed pro viribus genuinis ei incognita) tamquam *corrigens*, *dirigens*, *adjuvans*, *excipiens*, adderet, porro aegrotum sub usu mixturae in cubiculo frigido continuo ambulare, nec non potione e sero lactis cum vino Rhenano parato saccharoque abunde condito frequenter uti juberet; — et post haec omnia tamen trium-

phans praedicaret: „Basin remedii sui mirificum attulisse effectum; aegrotum urinam solito copiosiorem reddidisse!" Nimirum ex ipsius opinione additamenta caetera et diaeta inter usum medicamenti observata, levia tantum adiaphora fuerunt, ut unicae substantiae quam principem in formula scripsit, et cui (nesciens ipse cur?) maxime favet, omnem effectus honorem vindicare posset.

Hisce laudibus, quas medicamentis gratiosis ex arbitrio et absolute tribuerunt, factum est, ut fallaces illae virtutes: „*diureticae*, *emmenagogae*, *resolventes*, *sudoriferae*, *expectorantes*, *antispasmodicae*, etc." in credulam materiam medicam irreperent, verique speciem prae se ferentes imitatorum legionem deciperent.

Ex his omnibus sequitur: „Effectum quemcunque salutarem remedii compositi omnibus ejus ingredientibus simul tribuendum esse." Eheu, quam exigua pars incertae gloriae remedii *diuretici*, *sudoriferi*, *emmenagogi* etc. unicuique e compluribus medicaminibus in ejusmodi mixtura contentis cederet! Fictitiae igitur sunt virtutes illae *therapeuticae generales* (*diureticae*, *diaphoreticae*, *catharticae*, *expectorantes*, *sanguinem humoresque corrigentes*, etc.) quae, fiducia Dioscoridis ejusque prolis pro veris acceptae, ad nostram usque pervenerunt aetatem et hodienum adeo multum loci in *materiis medicis* occupant.

Quodsi nullam aliam medicamentis qualitatem affingere poterant, *evacuantem* certe iis tribuebant effectum. Omne remedium hoc vel illo modo *evacuans* esse debebat; nam absque evacuatione *materiae morbiferae*, quam pro notionibus suis cras-

sis ac rudibus in omni morbo adesse fingebant, nullum medicamentum mederi posse arbitrabantur. Quum igitur et excitatio et continuatio morbi ab ista *materia morbifera* pendere iis viderentur, quibuscunque secretionis viis perniciosam istam materiam e corpore expurgarent, anxie meditabantur, atque remediis munus eandem e multifariis corporis vasis et humoribus enucleandi, seligendi, nec non per urinam, sudorem, salivam, sputa et sedem evehendi imponebant. Hi fuerunt praecipui, quos a medicaminibus expectabant effectus; quapropter omne remedium in *materia medica* ejusmodi partem agere oportebat.

Aliae quae de medicamentis praedicantur qualitates, nempe hoc vel illud in corpore resolvendi et discutiendi, ***sensibilitatem***, ***irritabilitatem*** et ***reproductionem*** augendi vel minuendi, aeque arbitrariis conjecturis nituntur. Jam, quod in genere tale quid in morbis immediate efficiendum sit, hypothetica assumtio fuit, cui probandae nec rationem solidam nec *objectum reale* proferre licuit. Quo jure igitur ejusmodi virtutes ambiguas absque ulla demonstratione medicaminibus tribuere potuerunt? Adde, quod remedia ista rarissime simplicia, verum paene semper cum aliis mixta fuerint, — et de evidentia fictionis non amplius dubitabis.

Ecquis unquam aliquid a medicamentis interiori in corpore oculis suis dissolvi vel discuti vidit? Ubi sunt facta, quibus nititur fides mirificae hujus medicaminum potestatis, animatas organismi partes resolvendi? Cur non producuntur argumenta omni refutatione majora? — Si autem fieri non potest, ut tales effectus mechanicos et che-

micos in vivis partibus corporis interioris (nunquam adhuc investigati nec unquam investigandi) conspiciamus, cur non pudet talia commenta tamquam verissima dogmata proponere atque medicamina fallacibus virtutibus ornare? In curandis enim hominum morbis, re inter omnia humana negotia gravissima ac discriminis plenissima, quilibet error nobis funestus, quodlibet mendacium autem perduellio contra genus humanum appareat oportet!

Ubinam in corpore animato interiore aliquid dissolvendum vel discutiendum est, quod vis vitalis congruo remedio ad restaurandam sanitatem excitata, ipsa dissolvere vel discutere nequeat, si omnino id necessarium sit? — Num autem id, quod hypothesis tamquam resolvendum sistit, reapse in corpore interno extat? Nonne Soemmeringius noster glandulas tumidas, ab antiquissimis temporibus pro obstructis declaratas, e contrario, vasa nimis dilatata habere, probavit? Nonne experimentis in robustis juvenibus agrestibus demonstratum est, frequentibus *clysmatibus Kaempfianis* eadem horribilia excrementa e sanis intestinis artificiose extorqueri posse, quae Kaempfius pro *infarctibus* et *obstipationibus* in abdomine plurimorum diuturne aegrotorum praesentibus hypothetice acceperat. Ipse potius illorum creator fuit, dum centenis saepe clysmatibus, e multifariis herbis compositis, intestina artificiose afficeret atque tetra ista excrementa gignere cogeret. Attamen major pars medicorum tum temporis ei adhaerebat, in omnibus paene aegrotis nihil nisi infarctus et obstipationes tenuissimornm vasorum abdominis assumebat, infusa herbaria Kaempfiana (vesano modo mixta) re vera pro discutientibus et resolventibus habebat, atque, hypothesi sua freta, miseros aegrotos maxima cum pertinacia *clysteri-*

zabat — interdum usque ad internecionem! O probrum et dedecus!

Ponamus interim, fictos illos casus, quibus in aegroto corpore aliquid dissolvendum vel discutiendum sit, vere existere; quis, inquam, si aegrotus convaluit, id in corpore interiore ab ipso medicamine immediate resolvi vel discuti vidit, ita quidem ut vis vitalis, quae alias tamen omnes corporis functiones dirigit et coercet, iners hic spectatrix maneret atque medicamentum pro lubitu in partibus obstructis et induratis veluti coriarium in pellibus molliendis operari pateretur?

Secundum historiam morbi in Hufelandii *ephemeridibus medicis* (anno 1815. mens. Decemb. p. 121.) enarratam, vomitus chronicus, post coenam ingruens, usu *Calomelae* sanatus esse fertur. Auctor narrationis indurationem stomachi et oesophagi pro causa hujus symptomatis accepit. Curnam? Ut hoc modo *Calomelae* vim resolventem absolutam, sibimet ipsi vero gloriam sanationis mali tam rari quam insanabilis vindicare posset. — Simili modo alius medicus in Hufelandii ephemeridibus (an. 1813. p. 63.) aegroto, qui cardialgia, spasmis ventriculi, ructibus et vomitu laborabat, scirrhositates, tumores et indurationes stomachi affinxit. Quae symptomata quum inter usum diuturnum *infusi radicum graminis* (cui haud dubie etiam melior diaeta accessit) cessavissent, audacter et sine argumentis inde concludit: „*Radices graminis* virtute *scirrhositates* stomachi resolvendi pollere." At cardialgia, ructus et vomitus post coenam (etsi inveterata mala sint), haud raro tamen vitae ordine meliori observato facile sanantur; tantum vero abest, ut ex his molestiis solis *scirrhus* stomachi vel oesophagi ullo modo demonstrari possit,

ut multo graviora symptomata ad istius mali suspicionem movendam requirantur.

* En vero laudabilis methodus, medicamentum quoddam ad immeritam dignitatem remedii resolventis, discutientis, etc. promovendi, scilicet vitium internum, nunquam visum nec demonstratum temere divinando!

* * *

Secundus fons, e quo medicaminum virtutes in *materia medica* hauriuntur, solidioris originis esse dicitur, quippe qui a sensibilibus istorum qualitatibus repetatur. Quam turbida autem et haec nobis defluat unda, mox videbimus.

Nolo hic exprobrare medicinae vulgari absurditatem antiquiorum illorum medicorum, qui e *signatura*, i. e. e forma et colore rerum medicatarum crudarum vires salutares earundem comminiscebantur. Tacebo igitur de iis, qui *radicem Orchidis*, formam testiculorum repraesentantem, potentiae virili restituendae idoneam censuerunt; qui *Phallum impudicum* medendis labantibus erectionibus aptum, qui flavam *Curcumam* salutarem in ictero, rubrum succum, quem flavi flores *Hyperici perforati* compressi emittunt, sanguinem sancti Johannis, salutarem in haemorrhagiis et vulneribus, etc., praedicaverunt; tacebo de pristina illa ineptia, licet aliqua ejusdem vestigia in recentissimis quoque pharmacologiis supersint.

Commemorabo vero nonnulla de singulari conatu, apud recentiores etiam obvio, vires medicaminum olfaciendo et gustando divinandi.

Omnibus plantis *amarum* sapientibus unam eandemque qualitatem decreverunt, ob id ipsum quod *amarum* saperent.

Quantum vero amari sapores inter se ipsos differunt! Nonne magna ista diversitas nobis diversos quoque effectus indicare videtur? — Quo jure in saporem amarum cadit honos, a *materia medica* ei tributus, signum certum virium *stomachicarum* et *tonicarum* praebendi? Quo jure porro contendi potest, has cuilibet *amaro* communes neque alias nisi has ei qualitates inesse? Quodsi compluria horum medicaminum qualitate propria nauseam, fastidium ciborum, cardialgiam et ructus in hominibus sanis excitandi ideoque similem aegritudinem sanandi, praedita sint; cuivis tamen harum plantarum longe aliae praeterea istisque graviores vires medicae (licet hactenus haud exploratae) insitae sunt, quibus mirum inter se discrepant. Turpissimum igitur maximeque trivialem sequuntur morem, qui substantiis amaris promiscue quasi idem efficientibus utuntur, vel plures earum in eadem formula conjungunt et sub nomine *amarorum* (*extractorum amarorum*) tamquam medicamenta haud dubie homogenea ac nonnisi vim roborandi atque ventriculi tonum emendandi exercentia, simul ministrant.

Si secundum haec dictatoria *materiae medicae* et *therapiae* decreta amaritudo sola ad omnia *amarum* sapientia pro absolute roborantibus digestionemque laesam corrigentibus declaranda sufficeret, tum etiam *Colocynthis*, *Squilla*, *Agaricus albus*, *Angustura* illa corticosa tam diffamata, *Eupatorium cannabinum*, *Saponaria*, *Myrica Gale*, *Lupinus*, *Lactuca virosa*, *acidum Borussicum* et venenum *Bohon-Upas* eodem jure, tamquam *amara*, medicamentis stomachicis adnumeranda essent.

Facile ex his intelligitur, quam temeraria sint materiae *medicae vulgaris* enunciata, quantumque merae fictioni appropinquent! Fictionibus autem medelam morborum fundare — — quantum nefas!

Cinchonae corticem amari et constringentis saporis esse invenerunt; quod iis ad medicas ejusdem vires aestimandas suffecit. Statim omnes substantias et cortices, amaro et constringenti sapore praeditas, eadem ac *Cinchonam* virtute pollere jusserunt. Tam praejudicatae et praefestinatae fuerunt conclusiones, quas a solo medicaminum sapore ad effectus eorundem in corpus humanum admiserunt. Verumtamen semper falsum manebit, ut cortici *Salicis* vel mixtione ex *Aloë* et *Gallis* compositae eaedem ac *Cinchonae* vires insint. Quot ejusmodi *Cinchonae factitiae* tamquam verae *Cinchonae* vicariae a medicis illustrissimis publice laudatae, fabricatae, venditae et ab aliis medicis bona fide aegrotis ministratae fuerunt!

Sic mortalium valetudinem et vitam arbitrio aliquot capitum confusorum subjecerunt, et, quod in horum cerebro male concoctum fuit, *materiam medicam* dixerunt.

Simili modo ingens copia odorum infinite diversorum in unam eandemque patinam conjecta communique *aromaticorum* nomine appellata est, quo commodius sic pluribus plantis eandem qualitatem medicam, scilicet vires excitandi, nervos roborandi, tumores discutiendi, etc., affingi liceret.

Ergo imperfectissimum et fallacissimum inter omnes hominis politioris sensus, qui tam paucas notiones diversarum impulsionum sensibilium verbis exprimere permittit, odoratum inquam, dijudicandis

plurium medicaminum viribus dynamicis [1]) sufficere existimabant? Omnes sensus jungas unitaque eorum ope externam rerum medicarum naturam diligentissime scruteris, nec tamen ullam tibi notitiam de gravissimo mysterio, de vi earum dynamica valetudinem hominis immutandi, i. e. de vera earum vi medica et salutari suggerent, quippe quae diversissima in quolibet remedio efficaci existat atque nonnisi in ipsum organismum vivum immediate agendo manifestetur!

Num *Lilium convallium*, *Mentha crispa*, *Angelica*, *Arnica*, *Sassafras*, *Serpentaria*, *Santalum album*, *Coriandrum*, *Chamomilla*, *Levisticum* et *Ledum palustre* eundem effectum medicum exercere debent, quia Dominis pharmacologis omnes has plantas *aromaticas* invenisse placuit? An potius talis confusio diversissimorum et gravtssimorum medicamentorum praecipitem audaciam, laxam conscientiam et imperitam arrogantiam auctorum manifestasse videtur?

Ne infimi quidem opifices tam levis fictionis quoad fines et effectus instrumentorum ac materiarum, quibus utuntur, reos se fecerunt. Sed, novo quodam artis subsidio usuri, prius experimenta cum eo in exiguis rei tractandae partibus instituerunt atque commutationes, quas in iis efficere valeret, rite observarunt, quam isto ad opus magnum et pretiosum conficiendum uterentur, quippe ubi damnum errore datum non mediocre extitisset. Sic bombycinorum textilium artifex *acidum Muriaticum oxygenatum*, quod omnes materias vegetabiles de-

---

1) Acerrima medicamina, uti *Belladonna*, *Digitalis*, *Tartarus emeticus*, *Arsenicum*, etc., nullum paene odorem reddunt.

struit, in paucis primum ejusmodi textilibus tentavit, priusquam omnem mercium apparatum discrimini exponeret. Nec sutor fila cannabina filis lineis ad suendos omnes calceos praetulit, antequam illorum qualitatem diligentissime explorasset, atque ea firmioris fibrae esse, tumescendo in humiditate foramina corii melius explere et putredini fortius resistere spectatum habuisset. Egit tamen solummodo sutrinam!

At in superba illa arte medica vulgari substantiae medicae pro fallaci tantum summaque earum specie secundum arbitrarias pharmacologorum opiniones, i. e. cum periculo errandi, deludendi ac decipiendi, gravissimo muneri humano perficiendo, a quo aut vita aut mors singulorum, adeoque aut salus aut calamitas integrae familiae remotissimaeque ejusdem prolis persaepe pendet — — tractandis hominum morbis, inquam, adhibentur! Et quidem, ne proprii singulae cujusvis substantiae effectus distinguantur, — aliae cum aliis miscentur!

Jam satis autem diximus de secundo turbido *materiae medicae* fonte, satis de inanibus istis *virtutum therapeuticarum generalium* praedicationibus, quae, a coeca conjectura, praejudicatis opinionibus et audaci fictione genitae, lapsu temporis immerito ad dogmatum dignitatem pervenerunt.

* * *

Chemia quoque fontem cognoscendis medicamentorum viribus generalibus aperuisse sibi vindicavit; caeterisne puriorem, statim scrutemur.

Jam saeculo abhinc praeeunte Geoffroy, multo magis autem ex eo inde tempore, quo chemia artis nomen meruit, dilucidandae *pharmacologiae* gratia in

chemia quaesiverunt, quod aliis viis reperire nequiverant. —

Nihil omnino dicam de erroribus illis mere theoreticis Baumii, Steffenii, Burdachii aliorumque, qui substantiis medicinalibus nota ista *substrata gasiformia* et elementa quaedam chemica tamquam unicas medicas earum partes pro lubitu tribuerunt, simulque hisce elementis certas vires salutares affinxerunt, ut volupe esset videre, quam facile ingeniosi isti viri creationem virtutum medicarum ex nihilo absolverent! Enimvero ad ejusmodi fabricationem nec naturae cognitione, nec experimentis in vivo organismo humano instituendis, nec observatione et experientia, sed imaginatione, digitis mobilibus et audacia tantum opus fuit.

Loquar autem de severis probisque recentiorum studiis, ope *phytochemiae* et *zoochemiae* veros medicaminum in corpore humano effectus (quos semper adhuc in *materia medica* desiderari intelligebant) investigandi.

Chemiam, artem istam egregiam quae stupenda saepe miracula sub oculis nostris patravit, fontem *materiae medicae* constituisse, haud dubie speciem veri multo majorem prae se tulit, quam omnes illae, de quibus jam diximus, veterum et recentiorum nugae atque *saltus mortales literarii*. Permulti etiam hac spe incantati fuerunt, maxime tamen ii qui *chemiae* imperitiores essent pluraque, quam ipsa praestare valet, ab ea quaererent, vel ii qui medicinae indolem veraque ejus desideria ignorarent, vel ii qui utramque artem haud satis callerent.

Zoochemia e substantiis animalibus eas tantum partes inanimatas secernere potest, quae diversam rationem chemicam erga reagentia chemica

ostendunt. At medicamina, dum medendi causa valetudinem organismi vivi immutant, nec in has partes secretas, quae a chemico nobis enumerantur, nec immediate in eas agunt. Partes ope chemiae e carne musculari eductae: „*materia fibrosa animalis*, *lympha coagulabilis*, *gelatina*, *acidum zooticum* et reliqua *salia terraeque*," toto coelo differunt a musculo integro, irritabilitate praedito et corpori vivo (sive sano, sive aegroto) inhaerente! Quo pacto igitur ex emortuis illis et secretis partibus qualitatem organismi vivi atque medicaminum in eodem effectus argumentari licet? Num forsan ob exiguam illam, quae in succo gastrico continetur, *natri* et *salis phosphorici* quantitatem, digestio, mirifica illa diversissimorum alimentorum commutatio, variis corporis organis et humoribus restaurandis comparata, perspicitur? An ideo causa materialis, ne dicam dynamica, aegrae digestionis et reproductionis ita patet, ut solida medendi ratio inde proficiscatur? Minime gentium!

Sic etiam *phytochemia*, elementa plantarum, quantumvis asperrimarum, secernendo, nihil sensibus percipiendum offert, quod ingentem diversissimamque istarum potestatem, valetudinem humanam dynamice immutandi patefaciat. *Aqua* vel *oleum* e planta destillatum, vel *resina* inde educta neutiqnam nobis ante oculos sistunt ipsum efficax elementum, quippe quod hisce partibus extractis tantum involvatur, nec a sensibus nostris per se dignosci possit. Tum demum illius effectus manifestantur, quum *oleum*, *aqua*, *resina* (sive, quod praestat, *tinctura* ex integra planta parata) vivo corpore ingesta, vim dynamicam et prope spiritualem ibi exerceat.

Quid *materia fibrosa vegetabilis*, quid *terrae*, *salia*, *materia gummosa*, *albuminosa*, etc. quoad usum medicum significant, quum hae materiae in omnibus paene plantis aequaliter reperiantur, quae tamen maxime viribus medicis discrepent? Num forsan e minima illa quantitate *calcis oxalicae*, quam chemia e *radice Rhei* educit, potestas hujus medicaminis, „somnum turbatum et aestum singularem corporis absque siti in hominibus sanis excitandi similemque aegritudinem sanandi," elucet?

Quid igitur omnes istae materiae, diligentissima *phytochemiae* ope secretae, de virtute plantarum dynamica valetudinem hominis vivi immutandi, quae alia atque propria in quavis planta extat, nobis indicaverunt?

Grenius chemicus (a medicina alienus), in *pharmacologia* sua audacissimis sententiis plena, persuadere medicis cupit: „Remediorum efficaciam nonnisi ex elementorum praeponderantium, quae a *chemia* noverimus, cognitione recte aestimari."

Noverimus? Eia! quid chemia ex inanimatis istis mutisque medicamentorum elementis notum nobis facit? Docet nonnisi chemicam eorum qualitatem, i. e. docet, ea nunc hoc nunc illo modo erga reagentia chemica se habere atque hac ratione multifarias denominationes, ut *gummi*, *materiae albuminosae*, *resinae*, *muci*, *terrarum* et *salium*, etc., accipere. Quid autem hoc ad medicum? Num exinde plantarum mineraliumque naturam internam et dynamicam perspicit? Num, quid singulae pro diversa et peculiari sua indole in valetudine hominis vivi immutare valeant, intelligit? Attamen hac sola cognitione

sanatio praesertim nititur! Hi tantum effectus, in ipso corpore humano obvii, medicamentorum indolem medicam et vim salutarem manifestant!

„*Calomelam* senis octonisve partibus *Mercurii* atque una parte *acidi muriatici* sublimatione junctis consistere, eundemque *aqua calcaria* tritum, nigrescere," optime a *chemia* demonstratur. Num autem hoc praeparatum, corpori humano inductum, fluxum salivae specifici odoris excitet, *chemia* qua talis nec scire nec docere potest. At docetur usu medico, quo dynamica ratio *Mercurii dulcis* erga corpus humanum vivum patefit. Sic ubivis medicaminum virtutes medicae nonnisi tentando et experiendo quid in organismo vivo efficere valeant, manifestantur; nunquam vero *chemiae* ope, quae anorganica tantum in anorganica agere jubet.

Chemia porro explanare valet: *Belladonnam* eadem ferme ac *Brassicam oleraceam* innumerasque alias plantas, i. e. *materiam albuminosam*, *collam*, *principium extractivum*, *resinam viridem*, *acidum vegetabile*, *kali*, *calcem*, *terram siliceam*, etc., continere. Quodsi Grenio auctore cognitio elementorum quae a *chemia* reagentium ope dignoscuntur, efficaciam medicam remediorum definiret, *Belladonna* cocta aeque innocens et proficuum alimentum ac *Brassica oleracea* praeberet; vultne hoc chemicus? Attamen ejusmodi chemia, quae vires medicas rerum e separatis elementis chemicis aestimare audet, facere non potest, quin omnibus substantiis, in quibus eadem elementa chemica invenit, eandem etiam efficaciam medicam tribuat, ideoque *Belladonnam* et *Brassicam oleraceam* aut edulia aeque innocentia aut plan-

tas aeque venenatas declaret. Qua quidem argumentatione, quam ridicula et inanis sit illa *chemiae* arrogantia, luce clarius perspicitur.

Nonne Greniani intelligunt, *chemiam* nonnisi *chemicas* explicationes de praesentia hujus illiusve materiae suppeditare posse? Rationem, qua diversae substantiae ad varia reagentia chemica sese habeant, indicare, unicam analysis *chemicae* provinciam constituit. Quas vero dynamicas valetudinis humanae immutationes quodvis singulum medicamentum, corpori vivo ingestum, efficiat, has chemia nec in *digestore Papini*, nec in *retorta*, nee in *excipula* nobis monstrare potest.

Omnis doctrina ea tantum, quae provinciae suae sunt, indagare et illustrare valet; aliena eam dijudicare velle, admodum incongruum apparet.

Hydrostaticae est, rationem mutuam specifici ponderis argenti puri et auri puri accurate definire; sed rationem mutuam pretii utriusque metalli, quae in commercio obtineat, constituere, neutiquam sibi arrogat. Num pretium argenti a pretio auri, aequali licet utriusque pondere, in Europa vel in China duodecies, tredecies vel quaterdecies superetur, *hydrostatica* decernere nequit, quippe quod a raritate aut necessitate hujus illiusve metalli, quae in commercio contingit, pendeat.

Nemo negabit, verum oeconomum *botanica*, i. e. accurata plantarum pro externa earum forma cognitione atque distinctione, carere non posse. Nunquam vero a *botanica* comperiet: num haec illave planta porco vel ovi congruum aut incongruum pabulum praebeat? nec magis: quod-

nam semen, quaeve radix equo plus roboris aut bovi plus sebi addat. Nec Tourneforti, nec Halleri, nec Linnaei, nec Jussieui systemata botanica, sed pura tantum experimenta in ipsis bestiis instituta et diligenter inter se comparata, haecce eum docebunt.

Quid *chemia* in magnete naturali et in chalybe magnetico artificiali deprehendit? In illo nonnisi *uberam mineram ferri* cum *terra silicea* et partim cum *magnesio* intime junctam, in chalybe magnetico autem nihil nisi *ferrum purum* invenit. Ingentis vero potentiae magneticae ne vestigium quidem subtilissima quacunque analysi detegitur. — At alia ars, *physica* nempe, mirificam illam vim in magnete et chalybe magnetico residere, luculenter demonstrat. Facultatem eorum ferrum (*niccolum*, *cobaltum*) attrahendi, directionem acus magneticae versus septentrionem, declinationem ejusdem a polo septentrionali in diversis decenniis atque diversis terrae regionibus, tum versus occidentem tum versus orientem, variam ejus devergentiam pro diversis latitudinis gradibus, quid multa? omnem rationem physicam qua magnes ad res externas se habeat, nobis manifestat. *Physica* igitur permulta, quae chemiam latent, in magnete animadvertere callet. Sed nec in *chemia* nec in *physica* cognitio rerum de magnete comperiendarum absolvitur; utraque enim nonnisi ea, quae ad provinciam suam pertinent, invenire valet. Nec chemicarum nec physicarum, quae de magnete extant, notitiarum summa didicimus: Quanam efficacia ingente, singulari et specifica magnes in valetudinem hominis vivi ipsum tangentis agat, et quanam virtute egregia nulloque modo compensanda, mor-

bos, quibus convenit, sanandi polleat. Hujus enim facultatis investigatio medicinae soli relinquenda!

Quum igitur nulla disciplina absque irrisionis periculo rerum a se alienarum explorationem sibi arrogare possit, spero tandem fore, ut homines intelligant: Ad *chemiam* tantum id pertinere, ut chemica corporum elementa separet vel jungat, atque sic *pharmaciae* technicam utilitatem praebeat; medicamenta autem ratione *chemiae* non tamquam talia, i. e. non tamquam potentias, valetudinem humanam dynamice immutando idoneas, sed solum quatenus chemicae substantiae, i. e. quatenus corpora chemicis elementis composita sint, exstare; *chemiam* igitur nonnisi chemicam medicamentorum indolem, neutiquam vero dynamicos eorum in valetudine humana effectus, i. e. vires medicas atque salutares eorundem explanare posse.

* *
*

E quarto denique fonte praedicationes remediorum *clinicae* atque *therapeuticae speciales* manaverunt. Hic latissimus omnium *materiae medicae* fontium praxi medica sive usu remediorum in morbis continetur, e cujus eventu virtutes medicaminum salutares adversus singulas aegritudines intelligendas esse opinantur. Hanc fodinam ab omni tempore medici studiose exercuerunt; interdum quidem ditiorum venarum inquirendarum gratia istam deserentes, semper tamen ad eam reversi sunt, quum nulla discendarum medicaminum virium ratio naturae magis consentanea videretur.

Fac interim hanc esse veram medicamentorum virtutes eruendi viam, certo existimaveris, medicos

experimentis ad aegroti lectum instituendis, simplices tantum et singulas substantias medicas adhibuisse, quum plures earum, mixtim administratae, nunquam nos docere possint, cuinam ex iis eventus tribuendus sit. Sed pauci vel nulli in medicinae annalibus reperiuntur casus, in quibus congruum istud consilium re vera perfectum fuerit.

Semper potius mixta medicamenta morbis sanandis adhibentes, viam remediorum vires discendi ipsi sibimet praecluserunt. Nam si curatio prospere successerit, cuinam e pluribus *ingredientibus* auxilium debeatur? ambiguum; si autem mixtura nihil profecerit vel nocuerit, cuinam e diversis medicaminibus infelix eventus tribuendus sit? aeque incertum.

Nescio, an affectatione eruditionis, aut timore, ne simplex remedium morbo tollendo impar esset, medicamina in formulis miscere adamaverint. Hoc certe constat ab antiquissimis inde temporibus statimque post Hippocratem infaustam illam consuetudinem, *mixturis* loco *simplicium* utendi, incepisse. Inter multos illos libros Hippocrati falso tributos operibusque ejus adnumeratos, quorum plurimi a Dracone et Thessalo filiis, deinde vero ab Hippocrate III. et IV. nepotibus, nec non ab Artemidoro Capitone ejusque cognato Dioscoride post mortem Hippocratis sub nomine ipsius fabricati fuere, nullus extat, quin formulas e complu ribus ingredientibus mixtas contineat; sicuti insequentibus, recentioribus et recentissimis temporibus idem fieri consuevit.

E mixturarum autem usu vires medicas *simplicium* neutiquam disci posse, medici recentiores demum intellexerunt. Incensi ardore com-

periendi, quid hoc vel illud remedium in certo morbo efficere valeret, simplicioribus formulis praescribendis operam dederunt, atque curationes *simplicibus*, ut ajebant, perfectas in libellis publicaverunt.

At, quomodo prudens istud consilium exsecuti sunt? Mox videbimus. — Lustrabo hunc in finem ea, quae in tribus voluminibus *ephemeridum medicarum* Hufelandii ab annis 1813, 1814 et 1815 collecta sunt. Jam enim ex his, vim singulos morbos sanandi singulis medicaminibus, quae nequaquam sola et sincera in istis morbis adhibita fuerint, tributam esse, luculenter apparebit [1]). Itaque sub-

1) Unus tantum ex omnibus his observatoribus, Ebers nempe, pura experimenta cum singulis remediis in diversis morbis instituit (v. Hufel. *ephem.* a. 1813. Sept. et Octob.). *Arsenicum* in febribus intermittentibus tentavit; attamen haec tentatio ita comparata fuit, ut vis salutaris illius substantiae neutiquam inde patefieri posset. Tum enim casus, in quibus *Arsenicum* adhibuit, haud satis accurate descripsit; tum etiam doses tantas ministravit, ut plus damni quam utilitatis aegroto ex iis contingere oporteret. Attamen sincerae ejus confessiones damni ab *Arsenico* effecti longe praestant permultis illis sanationum narrationibus, in quibus idem, magnis adeo dosibus datum, solummodo salutare nulloque respectu nociferum fuisse praetendunt. Ebers fatetur: „Doses suas tam „exiguas fuisse, ut plurimis in casibus ne integrum „quidem granum continerent; attamen vitam aegrotae cu„jusdam, cui intra 24 horarum spatium nonnisi $\frac{2}{7}$ partes „grani ministratae fuerint, in discrimen venisse; unde „concludendum: perexiguam immo hujus veneni do„sin terribilibus malis excitandis sufficere." — Hoc quidem sinceri observatores jam diu noverunt; Ebers autem, vulgares medicaminum doses respiciens, falsam concepit opinionem: $\frac{2}{7}$ partes grani *Arsenici* intra 24 horarum spatium ministratas perexiguam dosin esse. Ingens fuit dosis nulloque pacto excusanda, praesertim in morbis! Ita pronuntiat experientia pura. Quan-

tilior tantum errandi modus in locum crassioris illius, qui manifesta versabatur multorum medicaminum mixtione, successit.

Suppurationem pulmonum *Phellandrio aquatico* sanatam esse, in Hufel. *Ephem.* a. 1813. *mens. Aug.* narratur; sed ex eadem narratione (p. 110.), *Tussilaginem*, *Senegam* et *Lichenem Islandicum* simul in usum venisse, apparet. Quomodo igitur auctor hujus rationis medendi in fine relationis suae contendere potest: „Ex animi mei persuasione aegrotus recuperatam valetudinem soli *Phellandrio aquatico* debet!" Ecce probas illas persuasiones, e quibus spuriae virtutes clinicae singulorum medicaminum prodierunt!

Syphilin inveteratam, quae diversis praeparatis mercurialibus haud cesserat (reapse enim morbus mercurialis fuit), *Ammonio* intra quatuor hebdomadas sublatam esse ferunt (ibid. a. 1813. m. Febr.), licet nihil aliud eodem tempore adhibitum fuerit — — nisi *Camphora* et *Opium*. Haecne pro nihilo putatis?

---

do unquam *Arsenicum* nobis indicavit, se in quantitate grani vel $\frac{1}{10}$ grani aegrotis praebendum esse? Multifaria experimenta, imminutis semper dosibus a me instituta, penitus mihi persuaserunt; *Unam guttam* quae decillionesimam grani *Arsenici* soluti partem contineat, multis in casibus adhuc nimiam esse dosin, scilicet in iis quibus *Arsenicum* homoeopathica ratione maxime respondeat. Quodsi Ebers hoc scivisset, certo non miratus esset, quod dosis $\frac{2}{9}$ partium grani vitam aegrotae in discrimen duxerit. — Igitur ne ex his quidem, caeteroquin maxime sinceris experimentis, quidquam disci licet, ne hoc quidem, quid *Arsenicum* sanare nequeat; quia ingentes ejus doses omnino impediverunt, quin ullum effectum salutarem exsereret.

Alius quis se epilepsiam sola *Valeriana* intra 14 menses sanasse asserit (ibid. a. 1813. m. Mart.), dum nullo praeter hoc usus esset medicamento — — nisi *oleo Tartari per deliquium*, *tinctura Colocynthidis*, nec non balneis *Calamo*, *Mentha* aliisque plantis aromaticis conditis. Haecne nullius momenti vobis videntur?

Etiam alio in casu epilepsiae *Valeriana* sola salutaris fuisse praetenditur; accesserunt tamen uncia una et dimidia foliorum *Aurantiorum*. Fueruntne nihil? (Ibid. p. 57.)

Insaniam cum nymphomania junctam sola liberali potione aquae frigidae sanatam esse ajunt. At sapienter simul ministrabatur *infusum Valerianae* cum *tinctura Chinae Whyttii*, ut effectus aquae frigidae penitus turbaretur. Idem in alia quadam aegrota evenisse, quae tamen validis illis remediis secundariis rarius usa esset, dicitur. (Ibid. a. 1814. m. Jan. p. 12. et p. 16.)

Tymon, sanguinis missionem usque ad lipothymiam qua specificum rabiei caninae remedium se explorasse asserit. Sed videas, quaeso; altera quaque hora aegroto 300 guttas *Laudani* in clysmate injici et tertia quaque hora drachmam *unguenti mercurialis* ei infricari jussit. (Ibid. a. 1814. m. Aug. p. 38.) Hocne modo vis specifica sanguinis missionis adversus hydrophobiam demonstranda est?

Sic etiam alio in casu hydrophobiae sanguinis missio cum subsequente per integram horam lipothymia unicum et specificum auxilium aegroto tulisse dicitur; attamen *magnae doses succi Papaveris*, *pulveris Jamesii* atque *Calomelae* usque ad salivationem simul adhibitae sunt. (Ibid. p. 102.) Haecne nihil fuerunt?

Ut tertius denique hydrophobiae jam eruptae casus missione sanguinis usque ad animi deliquium continuata sanatus appareret, nec *cantharides* imponi et inspergi, nec tertia quaque hora *unguentum mercuriale* infricari et *magnas Calomelae doses* usque ad salivationem ministrari oportuisset. Ridiculum videtur, quod auctor nobis persuadere cupiat: „vix opus fuisse *Calomela.*" (Ibid. 1815. m. Jul. p. 8—16.)

Ecce artem vulgarem. unico remedio gratioso gloriam sanationis aucupandi, dum caetera medicamenta haud minus valida, quae simul in usum venerant, aequalem certe meriti partem sibi vindicare possent! Benevolus lector rogatur, ut oculos paullulum claudat atque omnia *remedia accessoria* pro non efficacibus habeat.

Tetanum sola perfusio cum aqua frigida sanasse fertur. Opium quidem eodem tempore adhibitum est; „quum vero aegrotus ipse soli perfusioni refectionem valetudinis adscripserit, isti quoque soli sanationem tribuendam esse." (Ibid. a. 1815. m. Sept. p. 119.)

Alcali vis salutaris adversus anginam membranaceam vindicatur; sed aliae efficacissimae substantiae simul in usum vocatae sunt; initio morbi (praesumti) scilicet *sal Tartari* cum infuso radicis *Senegae* duobus infantibus auxilium tulit[1]). Num effectus, qui utrique medicamini convenit, Alcali soli adscribi potest? (Ibid. a. 1815. m. Sept. p. 128.)

Graphites solus veterum ulcerum fistulosorum copiam medicasse dicitur; attamen *Mercurius corro-*

---

1) Alterum ex his, rure degentem, auctor ne quidem vidit, sed naturam morbi tantum e descriptione ejus conjecit.

sivus ei admixtus fuit! Inanis est, quam auctor profert excusatio: „*M. sublimatum* jam antea morbo medendo frustra adhibitum fuisse;“ haud enim solus adhibitus fuerat, sed una cum *succo papaveris* et quantitate *decoctorum lignorum* atque adamata *China factitia.* Quum autem partibus adstringentibus horum medicaminum *Mercurius sublimatus*, sicuti omnia salia metallica, maximam partem vel penitus destruatur et dissolvatur, fieri non potuit, ut sub ista mixtura vim ullam salutarem exsereret. Multo minus alia valet ratio, qua auctor commixtionem *Mercurii* cum *Graphite* defendit: „*Sublimatum* nempe nonnisi *adjuvantis* loco fuisse.“ Quodsi ejusmodi argumenta admittere velimus, medicamenta non amplius id, quod naturae eorum consentaneum sit, sed quod medicus formulam scribens fieri jubeat, exsequi statuamus! Num in libidine et arrogantia longius procedi potest? Quae sana mens servilem ejusmodi obedientiam remediis imputabit? Si auctor observare voluisset, possetne *Graphites* solus morbo mederi, hunc solum ministrari oportuisset; simulac autem Graphiti *Mercurius sublimatus* additus est, hicce efficere debuit, quod naturae ejus convenit, minime vero id quod medico formulam scribenti fieri placuit. Quid igitur ex hac curatione discere licet? *Graphites* solus salutaris fuisse praetenditur, dum *Mercurius sublimatus*, medicamentum potentissimum, simul adhiberetur. (Ibid. a. 1815. m. Nov. p. 40.)

Inanior adhuc, si fieri potest, sanatio phtisis pulmonum floridae, quae *pulveri carbonum tiliae* tribuitur, apparet. Nunquam enim hic pulvis simplex, sed *Digitali purpureae* mixtus ministrabatur. Quid? *Digitalis purpurea* nihil effecit? Omnino ni-

hil? praesentissimum hoc venenum? Nescio mehercle, an similia affirmantes semet ipsos aut lectores decipere velint!

Radix Angelicae hydropem, vel potius morbum quendam indefinitum sed tumoris symptomatibus comitatum[1]), sustulisse dicitur. Neutiquam! *Tincturae Angelicae* enim *tinctura succi papaveris* et *Aether*, denique etiam *Calamus* accessit. (Ibid. a. 1815. m. April. p. 19. et 20.) Ecquis vir sapiens omnem effectum *tincturae Angelicae* soli adscribere potest?

Nemo *aquae minerali Driburgensi* eximias vires medicas inesse negabit; quod vero sanationes in Hufel. Ephem. a. 1815. m. April. p. 75. 80. 82. expositae, huic aquae soli tribuantur, fallacem assertionem esse arbitror, quum multa valida medicamenta simul in usum venerint. Nec magis sanatio cardialgiae cum vomitu frequenti p. 85—93., nec hypochondriae et hysteriae p. 94—97., quae aqua ista effectae esse dicuntur, vim salutarem ipsius adversus ejusmodi aegritudines demonstrare valent; tum ob ambiguam et multifariam harum denominationum pathologicarum significationem, tum propter simul adhibitorum aliorum remediorum efficaciam. — Ingentis saxi moles unito multorum hominum atque machinarum auxilio sublata est; num singulum operarium id perpetrasse contendes? Risum moveres.

Sufficiant haec, quae modo proposui, specimina simplicium curationum, quarum in-

---

1) Pathologia vulgaris enim, quid pro quo nobis tradens, omnes morbos, quibus aliqua hujus generis similitudo est, sub communi hydropis nomine coercet.

numerae in recentiorum scriptis extant. Simplex medicamentum morbo sanando adhibitum esse dicitur, ut tandem vera illius utilitas exploraretur, — quum tamen semper aliud quoddam remedium, illo saepe efficacius, simul in usum venerit. Fidenter sane medicus affirmet; „Illud me„dicamentum simplex (cui scilicet gloriam sanationis „vindicare cupit), omnem effectum attulisse; aegro„tum ipsum huic remedio soli felicem successum cu„rae tribuisse; semet huic unico medicamini fidem „habuisse; alterum *ingrediens* nonnisi *adjuvantis* of„ficio functum esse, vel antea jam frustra adhibitum „fuisse; etc. etc.“ Omnia ista diverticula virum gravem nunquam eo adducent, ut sanationem soli medicamento gratioso tribuat, si vel unum *remedium accessorium* simul aegroto ministratum fuerit. *Materia medica vulgaris* autem, quae, impuris ejusmodi observationibus freta, stabiles virtutes medicas inde colligit, mendacia atque commenta, perniciei infinitae semina propagat!

Non negabo recentiores istos medicos simplicitati appropinquasse; propius, immo longe propius ei accesserunt, quam vulgares illi moris veteris sectatores, qui mixturas mixturis jungere et formulas formulis quotidie cumulare adamant!

At, simplicitati tantum appropinquasse, nihilominus est a fine penitus aberrasse. Alioquin et ei gratulandum esset, cujus nnmerus in lusu publico (*Lotterie*) nonnisi unica nota a numero, qui optimam duxit sortem, distulit; alioquin etiam venator praedicandus foret, qui feram dejecisset, nisi latum unguem excessisset; vel naufragus navis rector laudandus, qui naufragium evitasset, si pollicari latitudine a scopulo abfuisset.

Quaenam igitur fides virtutibus medicis, quales ab usu remediorum in morbis derivatae in *materia medica vulgari* extant, debetur? Quid existimandum de praedicationibus effectuum salutarium singulis medicamentis tributorum, quum tamen medici rarissime vera *simplicia* sed mixturas plurium *simplicium* experti sint? Respondetur: „Inter mille ejus-„modi attributiones, tum therapeuticas „generales, tum therapeuticas speciales, „vix unam fide dignam esse; omnem enim „virtutem medicaminis, quod nunquam „solum et sincerum adhibitum fuerit, pro „fallaci vel commentitia habendam!“

* * *

Quid autem? Si omnes medici novam nunc agere vitam et *simplicia* tantum in omni morbo praescribere inciperent? Nonne tum, quid unumquodque medicamentum sanare valeat, sensim cognosceremus?

Hoc nunquam eveniet, quamdiu medicorum primores dictata *materiae medicae vulgaris*, turbidissimis licet fontibus hausta, pro veris habebunt magnaque severitate mixtorum remediorum usum defendent, huic nempe innisi sententiae: „Singulum „medicamentum pluribus ejusdem morbi indicationibus haud sufficere, sed „plura medicamina pluribus indicatio-„nibus simul opponenda esse.“ Haecce assertio duabus hypothesibus falsissimis fundata est; altera scilicet, qua praesumitur: „Virtutes, quae medicamentis simplicibus in libris practicis et in *materia medica* ex his compilata adscribuntur, veritati consentaneas esse et morborum indicationibus respondere.“ Altera au-

tem, qua sistitur: „Plura medicamina pluribus ejusdem morbi indicationibus ideo opponenda esse, quia remedium simplex haud multo magis, quam singulae indicationi satisfacere valeat."

Quid vero *materia medica vulgaris*, quae ex impuris tantum observationibus doctrinam suam repetiit, quae vires salutares, singulo farraginis ingredienti a medicis pro lubitu tributas, bona fide accepit; quae nunquam facultates medicaminum simplicium sincero scrutinio, i. e. experimento in hominibus sanis tentando subjecit; quid, inquam, haecce *materia medica* de mirifica illa copia virium *simplicibus* insitarum novit? num falsae istae et semiverae qualitates medicae, quas a scriptoribus suis practicis (qui mixta remedia morbis *pathologice* denominatis sed rarissime accurate descriptis adhibebant) emendicavit, totam facultatum opulentiam, qua summum Numen instrumenta sanandi praedidit, nobis offerunt? Minime gentium! Nondum explorata sed certo exploranda miracula sapientiae atque benignitatis divinae in substantiis istis recondita sunt, ut carae hominum proli auxilium et salutem uberrimam afferant, quam myops *materia medica vulgaris* ne quidem suspicata est!

Quamvis omnino constet, medicamenta simplicia tantum et seorsim ministrata prudenti morborum curae convenire et sufficere, multum tamen abest, ut ex ejusmodi curationibus ipsam doctrinam de viribus medicamentorum puris ac genuinis repetendam esse affirmem. Licet haec experiendi via permultis tutissima videri possit et reapse visa sit, incertam tamen et haud idoneam ad finem

nostrum assequendum esse, luculenter demonstrabimus.

Investigatio virium medicarum *ex usu in morbis* duplici tantum modo perfici posset. Aut singula remedia simplicia omnibus in morbis experienda essent, ut tandem cognoscatur, in quonam morbo unumquodque medicamentum vere salutare existat; aut omnia remedia simplicia in singulis ac definitis morbis pertentanda forent, ut tandem eluceat, quonam medicamine unusquisque morbus certissime et plenissime sanari possit. — Dicemus primum de via posteriore; quo facto etiam, quid de priore sentiendum sit, manifestum erit.

Innumeris experimentis innumerarum substantiarum simplicium, in morbo definito semperque stabili institutis, omnino quidem verum, certum atque specificum illius remedium, — sed solo casu fortuito, inveniri potest.

Quis scit, per quot saecula incolae altarum vallium strumis laboraverint, donec tandem sors, multis medicamentorum et remediorum domesticorum millibus frustra pertentatis, miram in hominis cujusdam capite ideam gigneret: „*spongiam tostam* optimum illius mali remedium esse!“ Hoc certe constat, Arnoldum a Villanova saeculo decimo tertio primum hancce *spongiae tostae* virtutem commemorasse.

Novimus, quamdiu syphilis a medicis scholasticis inedia, purgantibus, aliisque remediis, adversus lepram Arabicam adhiberi solitis, iniquo Marte debellata fuerit, donec tandem *empiricis*, ingentem rerum copiam in terribili isto malo frustra expertis, *Hydrargyrum* in manus incideret, quod speci-

ficum se remedium praestitit, quantumvis Arabicae scholae medici acriter contradicerent.

Peruviani, febre intermittente laborantes, quae in regionibus paludosis Americae meridionalis endemica est, ingenti forsan copia rerum frustra pertentata, *corticem Cinchonae* tamquam saluberrimum hujus morbi remedium agnoverant; at Europaeis, quorum febris intermittens paludicolarum illi febri Americanae valde similis est, anno 1638. demum virtus medica istius corticis innotuit.

Diu ferenda fuerunt mala ab ictu, lapsu, contusione vel luxatione illata, priusquam plebi inter durum opus laesae vis salutaris *Arnicae montanae* fortuito patefieret. Franciscus Joël certe saeculo decimo sexto virtutem *Arnicae* adversus ejusmodi mala primus indicavit; saeculo decimo octavo demum generaliori agnitione gavisa atque ab I. M. Fehr et I. D. Gohl amplius publicata est.

Sic multis millibus rudium experimentorum, multifariis cum substantiis a myriadibus hominum institutorum, congrua quidem remedia adversus mala quaedam definita inventa sunt. Inertes mortales, hanc viam sequentes, nec ingenii acumine nec spectata cognitione, quibus summum Numen ad tollenda mala naturalia eos uti voluit, indigebant. In sola pertentatione omnium, quae in manus iis incidebant, rerum acquiescentes, saeculorum lapsu et fortuna favente pauca nonnisi medicamenta sibi paraverunt, quae specifica semperque salutaria extiterunt.

Haec pauca remedia specifica, paucis morbis sanandis idonea, sola sunt, quae tot materiae medicae vulgaris voluminibus continentur vera remedia, et maximam quidem partem a praxi domestica reperta sunt.

Cur autem paucis tantum morbis remedia specifica hoc modo inveniri potuerunt nec reliquis quoque innumeris aegritudinibus? Quia maxima morborum pars aut in singulis ac diversis casibus, aut in epidemiis, quae nunquam adhuc apparuerant nec unquam plane eaedem revertentur, consistit; stabilia autem remedia ope pertentationis reperiri nequeunt, nisi objecta curationis, i. e. morbi ipsi stabiles sint. Omnia ista mala, quibus homines specifico remedio mederi didicerunt, uniformia semperque aequalia fuerunt; tum ea quae a miasmate per omnes aetates constante, v. g. a lue venerea, gignebantur, tum ista, quae a causa excitatrice aequali, v. g. ab exhalationibus paludum, proveniebant.

Omnium etiam scholarum medicarum sectatores optime intellexisse videntur: aequalibus et constantibus solum morbis certa et tuta remedia requiri posse. Sub certis igitur formis omnes aegritudines comprehendere conabantur, ut medicamina quaecunque pertentando congrua et firma tandem auxilia iis afferrent. Hunc in finem ex innumera morborum vagorum turba eos, quibus signa quaedam communia erant, selegerunt atque stabiles morborum species creaverunt, quas, nominibus propriis ornatas, in pathologiae systema redegerunt. Jam nunc continua casuum varietate non amplius semet turbari passi sunt, sed propositas semel species morborum pro finitis et clausis declaraverunt, ut unicuique earum specificum remedium reperiretur.

Sic immensam aegritudinum discrepantium copiam sub nonnullis formis, suopte arbitratu constitutis, coercuerunt, immemores infinitae naturae, quae humanis erroribus non mutatur! — Ita, si vitrum

polyedricum collectivum oculis admoveris, magnam quantitatem rerum externarum valde diversarum sub una fallaci imagine conspicies; vitro autem seposito, longe alia et disjuncta elementa videbis!

„At, probo consilio tuta remedia inveniendi illas morborum species excogitaverunt.“ Optime! Quid autem juvat arma contra phantasmata quaerere? —

Quaecunque igitur vires singulis medicaminibus adversus fictas illas ac subreptitias morborum species a materia medica vulgari tribuantur, nulla prorsus fide dignae sunt.

Quid enim congrui per tot saecula permultis illis medicamentis artificiosas species pathologicas impugnando effectum est? Quae tutae medendi viae inventae? Nonne adhuc, sicuti 2300 annis abhinc, innumerae aegritudines diversissimis remediis adhibitis multifarie quidem et violenter commutantur, plerumque autem in deterius vertuntur? Quid mirum, tanto temporis spatio medicinae conditionem haud meliorem factam esse, quum vetera semper remanserint impedimenta: „ficta medelae objecta et fictae medicamentorum virtutes!“ Quomodo has illis applicando veritas salutaris enasci potuit?

At objicies: „Haud raro tamen gravem morbum, „quem alius alio nomine pathologico appellaverit, re-„medio simplici sive composito a medicis aut a lai-„cis quasi miraculo sanatum esse.“ Omnino id nonnunquam evenit; nemo peritus contradicet. Quid vero exinde colligere licet, nisi quod omnes jam scimus: „morbos medicamentis sanari posse.“ Casus fortuiti sunt, seorsim in historia medicinae extantes, qui arti hactenus nihil profecerunt. Misero tantum illi congratulor, cui contigit esse tam felici, ut velociter ab aegritudine liberaretur, nec tamen medicinae

quae nullum lucrum e mirifica ejus sanatione percepit. Immo, hae ipsae curationes mirificae *materiam medicam* fallacibus medicaminum attributionibus quam maxime repleverunt. Quum enim medicus vulgaris casum morbi pro omnibus ejus symptomatibus accurate describere non soleat, sed aegritudini feliciter sublatae nomen pathologicum tribuere praesertim nitatur, fallax curae objectum simul cum remedio simplici vel composito, quod sanationem effecisse dicitur, recta via ad *materiam medicam* pergit, quae nonnisi pathologica nomina admittit. Quicunque deinde alium casum morbi ei obvium pro indicata illa specie morbi habuerit, verbis primi observatoris vel *materiae medicae* fretus pretioso, quod commendatur, specifico statim utetur. At revera forsan in casu diversissimo tractando versatur, ubi remedium nihil prodest sed nocet.

Utinam omnes isti observatores fortuitas suas sanationes publicando eam rationem secuti essent, ut casum morbi pro omnibus ejus symptomatibus religiose descripsissent et remedium adhibitum diligenter indicassent, sed a quocunque nomine pathologico addendo abstinuissent! Tum saltem sincera nobis facta transmisissent, *materiam medicam* nullis falsis medicaminum virtutibus ditassent ac imitatorum turbam ab infaustis curationibus tentandis impedivissent! Ex his ipsis enim candidis relationibus manifestum factum esset, eundem casum morbi nunquam plane geminum redire ideoque nunquam veluti miraculo iterum sanari posse.

Jam ex his omnibus sequitur: *Materiae medicae* vulgaris fidem hactenus eo nisam esse, ut virtutes medicamentorum thera-

peuticas generales, a scriptoribus mere fictas, fidenter decantaret, virtutes autem therapeuticas speciales eorundem, ab usu remediorum in morbis fortuito sanatis deduceret, i. e. nomina pathologica, quibus observatores casus morbi ornaverant, cum remediis simplicibus, quibus prae reliquis formulae ingredientibus eventnm felicem praecipue vel unice imputaverant, copularet!

Tam turbidi et impuri nobis defluunt *materiae medicae* vulgaris fontes! Qualis ars medendi male perspectis medicamentis!

* * *

Ars medendi reformata, quam *homoeopathicam* diximus, nec e fontibus illis impuris *materiae medicae vulgaris* haurit, nec antiquis illis et fallacibus labyrinthis incedit, sed via directa naturaeque congrua ad finem pergit. Medicamenta nunquam prius morbis sanandis adhibet, quam puros eorundem effectus, i. e. immutationes valetudinis humanae, quas unumquodque medicamentum in hominibus sanis excitare possit, invenerit. Inde *materia medica pura* oritur.

Quodsi hac unice tuta via vires medicaminum genuinas investigaverimus, omnibus morbis vere stabilibus etiam specifica stabilia quaerere licet, scilicet complexum symptomatum morbi cum effectibus puris medicamentorum exploratorum diligenter comparando atque remedium tale, quod simillimam morbo naturali affectionem gignere valeat, eligendo.

Hanc rationem homoeopathicam secutus, remedium specificum et prophylacticum adversus febrem scarlatinam veram, laevem et rubore laeto erysipelatoso distinctam, quae pridem in Europa tam-

quam epidemia contagiosa periodice grassabatur, inveni. Consistit nempe minimis *Belladonnae* dosibus, quae valde similem febrem et ruborem cutis suapte natura excitare valet. Cavendum autem, ne ista febris scarlatina vera cum febre miliari purpurea confundatur, quae, ab anno 1800. e Belgia in nostras regiones irrumpens, scarlatinam veram paene omnino expulit, attamen a multis medicis, utriusque morbi discrimen ignorantibus, cum illa commutatur.

Sed huic etiam febri miliari purpureae sanandae remedium specificum eodem modo exploravi. Totum enim symptomatum complexum, febre mere inflammatoria cum angore et inquiete extrema insignem, respiciens, *Aconitum Napellum*, interdum alterna vice cum *Coffea cruda* ministratum, medicamentum proprium huic morbo fore, concludi; et experientia reapse id comprobavit.

Symptomata anginae membranaceae similia inter effectus puros *spongiae tostae* et *hepatis sulphuris calcarei* reperiuntur (v. meam *Materiam medicam puram*); utroque autem remedio alterna vice et minimis dosibus ministrato, terribile illud infantiae malum optime tollitur; quod equidem primus inveni. Praemittatur attamen minima *Aconiti Napelli* dosis ad exstinguendam inflammationem.

Nullum medicamen notum symptomata tussi clangosae epidemicae similia gignere valet, nisi Drosera rotundifolia. Ecce, exiguam partem guttae decillionariae dilutionis succi hujus plantae paucis diebus isti malo mederi primus comperi. Sic facile sanatur haec puerilis aetatis aegritudo, quae

aliter, summa licet allopathicae medicinae opera impensa, aut chronica aut lethalis evadit.

Quis medicus, ante *materiam medicam puram* a me editam, morbum interiorem, qui condylomatibus subest, simul cum his ipsis excrescentiis funditus tollere potuit? Contenti erant condylomata toties urendo, corrodendo, desecando vel ligando auferre, quoties e corpore rursus progerminarent; at ea sanasse, nemini contigerat. — Effectus puri *Thujae occidentalis* mihi indicaverunt, hanc plantam specificum auxilium malo isti allaturam esse; et re vera succus *Thujae* maxime dilutus minimisque dosibus adhibitus vim tam egregiam in organismum exercet, ut condylomata simul cum morbo interno evanescant neque redeant.

Medicus allopathicus aegrotos dysenteria autumnali affectos ingenti medicaminum empiricorum copia torquet; infelici tamen successu. Multis vero jam annis abhinc ex effectibus puris *Mercurii sublimati corrosivi* vim specificam hujus substantiae adversus morbum illum collegeram; et experientia me certiorem fecit, unicam dosin parvulae guttae, quae trillionesimam partem grani soluti hujus praeparati Mercurialis contineat, morbo celerrime et plenissime sanando plerumque sufficere.

Omnes vero reliqui morbi, sive acuti sive chronici, qui ad genus malorum stabilium non pertinent sed varii semper ac diversi obveniunt, pro casibus singularibus atque propriis habendi sunt[1]). Quaelibet ejusmodi aegritudo tamquam

---

1) Excipimus tamen morbos chronicos eos, qui e malo stabili primitus proficiscuntur.

individuum novum consideranda et exacte sic uti omnibus sensibus percipi potest, i. e. pro omnibus symptomatibus accuratissime notanda est. Hinc autem symptomatum complexui juxta idem, quod in morbis stabilibus obtinet principium, i. e. juxta rationem similitudinis affectionis naturalis cum affectione quadam medicinali, remedium congruum atque homoeopathicum inter medicamenta explorata quaeratur. Quodsi medicamentum tale, quod simillimas aegritudini medendae immutationes valetudinis suapte natura excitare valeat, electum atque dosi minima adhibitum fuerit, morbus celerius et perfectius quam ulla, quam hactenus novimus, curandi methodo sanabitur.

Doctrina nostra de viribus medicamentorum genuinis, nulla fallacia et commentitia auxilia adversus inanes morborum species promittit, nec virtutes therapeuticas generales medicaminibus affingit; sed veram indolem et peculiarem efficaciam uniuscujusque medicamenti lucide et clare, absque omni fraude, errore et conjectura manifestat. Ex illis autem medicamentorum effectibus in corpore sano observatis omnia elementa salutaria ipsorum, i. e. indicationes omnium morbi casuum a quolibet singulo remedio specifice sanandorum elucent. Sic materia medica nostra ei, qui elementa medica morbis curandis juxta rationem homoeopathicam sapienter et congrue applicare callet, fontem salutis humanae purissimum et perpetuum aperit!

E. G. a B.

Medicamenta,

quae hoc volumine continentur.

Aconitum.

Arnica.

Belladonna.

Cannabis.

Cocculus.

Cyna.

Dulcamara.

Mercurius.

Moschus.

Nux vomica.

Oleander.

Opium.

Aconitum Napellus.

(Succus herbae florescentis recens expressus cum pari spiritus vini rectificatissimi ponderis parte mixtus.)

Quamquam quae sequuntur symptomata nondum totam, qua insignis haec planta pollet, virtutem medicam patefaciant, sagaci tamen medico homoeopathico eximiam illius salubrem vim annunciabunt in quibusdam affectionibus morbosis, quibus schola medica hucdum praedominans curandi methodum periculis non expertem, i. e. largas sanguinis missiones ceterumque quem antiphlogisticum nuncupant apparatum saepissime frustra atque tristibus haud raro inde sequelis opponit. Febres dico sic dictas mere inflammatorias, quas minima aconiti dosis, omnia illa remedia antipathice agentia, quibus adhuc utuntur, superflua reddens cito ac nulla mala relinquens sanat. In morbillis, in purpura miliari, in febribus inflammatoriis cum pleuritide etc. mirificum praestat auxilium, si quidem aegro strenue a quocunque alio remedio imo acidis vegetabilibus abstinenti atque regimen frigidiusculum observanti parva guttulae octillionesimam grani partem continentis portiuncula pro dosi propinatur. Raro altera talis dosis, 24 vel 36 horis a prima praeterlapsis, necessaria est.

Ast ne hic vulgarem curandi methodum e fictis morborum denominationibus indicationes therapeuticas desumentem imitemur, monere juvabit, aconitum in qualibet affectione, hinc quoque in acutis morbis

tantummodo adhibendum esse, quum praecipua status morbosi phaenomena inter seriem symptomatum aconiti persimilia occurrunt. Successus tunc stupendus non desiderabitur.

In eo ipso enim, de quo allopathicae methodi sectatores gloriari solent, unam suam methodum in febribus inflammatoriis validis audacter et crebro sanguinem mittendo vitam salvare atque in ejusmodi morbis quod homoeopathica medendi ratio nullo modo valeat auxilium ferre, toto coelo errant. Eminens potius methodi nostrae praestantia eo elucet, quod ne guttula quidem sanguinis, succi illius pretiosi quem allopathici intemperate pleno rivo atque irreparabile in damnum saepius detrahunt, effusa, haud raro totidem intra horas periculosas illas funditus tollat febres, quot hebdomadas, imo menses, consumit methodus allopathica vires vitales prosternens ad perfectam sanationem eorum, quos mors non abripit inter hujusmodi curationem vel per mala chronica secundaria arte provocata.

Interdum his in morbis acutis elapsis horis 12 — 16 a primae aconiti dosis propinatione, reliqua quae supersunt symptomata aliud remedium homoeopathicum interponi jubent, rarius autem postea secunda aconiti dosi, uti supra memoravi, opus est.

Jam intra horas quatuor, si sollicite, uti docui, aconitum in hujusmodi affectionibus adhibueris, omne vitae discrimen praeteribit citatiorque sanguinis circulatio per singulas horas pacabitur.

Quamquam aconitum ob breve temporis spatium, quo exspirat efficientia (ubi tam pusillae doses praebentur horam quadragesimam non excedit), nonnisi acutis casibus convenire videatur, in pertinacissimis tamen quoque morbis chronicis necessario subsidio

est, ubi corporis conditio fibrae strictae (*stricti* veterum) relaxationem exigit, de qua re hic fusius disserere nequeo; utile ibi esse aconitum, ex symptomatibus elucet in sanis hominibus ab eo suscitatis et infra partim recensitis.

Similia provocat omnia symptomata, quibus homines, quos terror cum indignatione conjunctus incessit, affici solent illisque certissime et citissime medetur.

Quotiescunque aconito uteris, maxime respicias animi symptomata, quae praesertim simillima sint.

Plurima eorum aconiti symptomatum infra legendorum, quae sibi contraria esse videntur, status nonnisi sunt alternantes (sibi per vices succedentes), quorum utrisque potest esse salutare, potissimum tamen iis, qui tonico charactere excellunt.

Effectum aconiti acida vegetabilia et vinum tollunt, aliaque quaedam medicamina quae symptomatibus (nimia dosi vel incongruo usu forsan excitatis) aut palliative aut homoeopathice respondent*).

---

*) Symptomata litera (*H*) signata, ab ipso Samuele Hahnemanno profecta, caetera maximam partem ex tabulario homoeopathico, „Archiv für die homöopathische Heilkunst, IV. 1." eaque a Grossio et Stapfio observata, sumta sunt.

E. Stapf.

Symptomata.

Vertigo; sensus nutationis in cerebro. (*H.*)
Vertigo, maxime inter pronationem; huc et illuc titubat, maxime dextrorsum.
Vertigo, ut vix lectum adsequi posset, cum nutatione, quasi circumageretur in orbem.
Vertigo motum capitis impediens, cum sensu, quasi oculi conniverent.

5. Quasi ebria esset; omnia in gyrum circumagi videntur; inter eundum titubatio cum nausea, quasi esset collapsura; nec tamen inter sedendum, maxime autem inter adscensionem a sessu, minus inter eundum.
Vertigo, quassatione capitis admodum aucta, simul oculorum caligo.
Capitis gravitas vertiginosa, maxime in fronte et in pronatione, cum nausea et atoniae sensu in scrobiculo.
Caput a parte antica quasi clavis adactis obstructum, in cubiculo calido.
Ideae instabiles; cogitatio, quam mente amplecti tendit, protinus ab altera pellitur, haec a tertia et sic porro ad confusionem usque.

10. Memoria nunc debilis, nunc viva. (*H.*)
Memoriae defectus; quae modo fecit, somnii instar sunt et vix eorum meminisse potest.
Mens capta; cogitationem animo conceptam et ex parte literis jam mandatam sine meditatione reiterata perscribere nequit (post triduum).

Caput mane turbidum et vacuum, quasi a crapula gravi.
Sensus in fronte plenitudinis et gravitatis quasi ab onere foras eluctanti, praesertim inter pronationem, quasi omnia per frontem eruptura essent.

15. Sensus, quasi capillis traheretur.
Capitis dolor, quasi oculi e capite casuri essent (post dimidiam horam). (*H.*)
Capitis dolor, quasi cerebrum foras exprimeretur (post dimidiam horam). (*H.*)
Capitis dolor, quasi cerebri pars modo hic, modo illic tolleretur, jam motu levi, immo loquendo et potando auctus. (*H.*)
Loquendo auctus capitis dolor. (*H.*)

20. Dolor in regione temporum premens, deinde etiam per intervalla in occipite; denique capitis obnubilatio cum dolore constringente.
In capitis latere sinistro dolor, quasi caput comprimeretur.
Premens capitis dolor supra frontem, maxime excrucians.
Dolor in fronte foras premens.
Tractio in capitis parte dimidia.

25. Inter pronationem frons tam plena, quasi omnia foras eruptura essent (post 25 horas).
Dolor in tempore sinistro per accessus pungens; punctus e temporibus caput petentes.
Capitis dolor obtusus, quasi a conquassatione, cum conquassationis omnium membrorum sensu. (*H.*)
Capitis dolor punctim pulsans, ut ab ulcere interno, per accessus loqui impediens. (*H.*)
Capitis dolor modo pungens, modo pulsans, modo premens in fronte inter eundum, sessu diminutus. (*H.*)

30. Cephalalgia; pulsatio in fronte sinistra, dum in latere frontis dextro ictus sentiuntur vehementes. (*H.*)
In temporibus cephalalgia punctim pulsans,

Calor vespere in toto capite, mox totum caput dolorosum; maxime frons dolet toto vespere (post 11 horas).

Sensus, quasi quid e capite evelleretur, dum palpebrae superiores sursum trahuntur (post dimidiam horam).

Capitis dolor arctans in fronte, maxime ad orbitam supra nasi radicem, quasi mente privaretur; eundo in aëre libero augetur (per 4 horas). (*H.*)

35. Dolor in fronte uti forcipe premens et arctans, quasi in ossibus; caput aegrotum sentit, quasi delirium instaret (post 12, 24 horas). (*H.*)

Capitis dolor supra orbitam in maxillam superiorem tendens, pungens, nauseam ciens, qualis a vomitoriis oriri solet, quadantenus premens (post 2 horas). (*H.*)

Pupillae dilatatae (statim). (*H.*)

Oculi horridi (statim). (*H.*)

Aviditas lucis; cupiditas in lucidum inspiciendi (post 3 horas). (*H.*)

40. Aversatio lucis (post 6 et 12 horas). (*H.*) *)

Visus acutus. (*H.*)

Muscae volitantes in visu. (*H.*)

Dolor, dum palpebrae aperiuntur, in oculo interno, quasi foras premeretur, per superciliorum regionem ad cerebrum usque serpens (post 21 horas).

Oculi per accessus contrahuntur, quasi a somnolentia insuperabili.

45. Palpebrarum gravitas; si aperire eas vult, nimis graves videntur.

Nebulae ante oculos; visus non satis acutus, cum sensu vertiginis.

Dolor in oculis premens, maxime si deorsum vel huc et illuc vertuntur, simul cum calore in ipsis.

Pressio et calor ardens in oculo sinistro et supra supercilia.

---

*) Symptomata 39. et 40. effectus alternantes sunt.

Tumor palpebrae dextrae superioris durus et ruber, cum sensu tensionis, maxime mane.

50. Siccitas palpebrarum superiorum pressionem quasi in oculis ciens (post 5 horas). (*H.*)
Ophthalmia maxime dolorifica (Chemosis). (*H.*)
Dolor in osse jugali quasi ab ulcere interno. (*H.*)
Dolor genarum formicans. (*H.*)
Aurium tinnitus (post 10 minutas).

55. Compressionis stupefacientis in nasus radice sensus.
Haemorrhagia narium. (*H.*)
Maculae prurientes ad labium superius.
Siccitatis sensus primum in labiis, deinde in faucibus, cum ardore e pectore ad caput ascendente (genis haud rubris). (*H.*)
Dolor dentium pungens.

60. Dentium dolor premens in maxilla sinistra superiore.
Ictus in maxilla superiore pungentes. (*H.*)
Paralysis linguae brevi transiens. (*H.*)
Siccitatis sensus in faucibus et in media lingua, sine siti (post 1 horam). (*H.*)
Sensus in ostiis glandularum salivalium quasi ab attritione vel corrosione proveniens, (*H.*)

65. Sensus titillans in linguae radice uti a pipere sumto, cum salivae affluxu. (*H.*)
Mordens in lingua sensus, magis versus apicem.
Penetrantes in linguae apice punctiunculae.
Rasio in faucibus cum deglutitione difficili.
Dolor formicans in gula. (*H.*)

70. Punctiunculae in faucibus, quasi a setis granorum cynosbati (post 1 horam). (*H.*)
Ardor et punctiunculae in faucibus, quasi ab ingestis austeris. (*H.*)
In latere colli sinistro intrinsecus, in loco parvo, vomituritio pungens, praecipue inter deglutiendum et loquendum. Dolor e latere colli sinistro post quadrantem horae in latus dextrum

migravit, unde, pari praeterlapso tempore, prorsus evanuit.

Sapor amarus. (*H.*)

Sapor fatuus, quasi ab esu piscium vel potu aquae mucidae, putrescentis. (*H.*)

75. Cerevisiae appetitus; post potum autem ventriculi molestiae. (*H.*)

Sapor subacidus in faucibus, cum anorexia.

Quae antea sapore jucundo et acuto fuerint, nunc insipida.

Sensus, quasi totum os aëre impleretur, cum sapore hepatico-sulphureo.

Fastidium diuturnum, vapiditas nauseosa, appetitus prostratus. (*H.*)

80. Nausea vomituriens inter eundum in aëre libero. (*H.*)

Nausea vomituriens, primum in scrobiculo. tum sub sterno, denique in faucibus, sine salivae concitatione. (*H.*)

Vomituritio, quasi ab esu nauseose dulcis seu pinguis cujusdam. (*H.*)

Ructuum molimina frustranea; — ructus inanes. (*H.*)

Regurgitatio aquae dulciusculae nauseosae, quasi a verminatione; simul aurium susurrus.

85. Dolor in scrobiculo premens, in angustiam pectoris transiens (post 2½ horas). (*H.*)

Rasio inde a scrobiculo ad collum usque cum nausea circa scrobiculum, quasi ab aqua in ore confluxura.

Dolor in scrobiculo premens inter eundum, sedendum et standum.

Dolor in scrobiculo, quasi intus tumidum esset, cum anorexia et respiratione per accessus brevi. (*H.*)

Pressio in scrobiculo, quasi a lapide imposito; paulo post in dorsum migrans, cum sensu coarctante, quasi nimium pondus sustulisset; aegrota veluti rigida.

90. Nausea vomituriens in scrobiculo, sessu aucta, eundo vero cessans (statim).

Dolor premens, veluti pondus, in ventriculo et hypochondriis (post 1½ horam). (*H.*)

Dolor tensive premens, quasi a pondere et plenitudine in ventriculo et hypochondriis (post 1½ horam). (*H.*)

Sensus adstringens in ventriculo, quasi ab ingestis austeris. (*H.*)

Sensus constrictionis vehementis in hypochondriis. (*H.*)

95. Dolor premens in regione hepatis, respirationem angustans, tum statim tormina in regione supra umbilicum. (*H.*)

In regione hepatis ictus vehementes, adeo respirationem intercipientes.

Mane ejulatus in lecto; torminibus intolerabilibus ita vexatur, ut uno loco commorari nequeat; cum jactatione in lecto (post 16 horas). (*H.*)

Tormina ab utroque latere umbilicum versus tendentia, etiam inclinatione abdominis mota. (*H.*)

In regione umbilici sensu ardenti ad scrobiculum propagato invaditur, cum sensu pulsationis anxiae ibidem et punctionis; post aliquod tempus frigiditas cum horrore totum corpus occupans, cessante sensu caloris et dolore circa umbilicum (post 1½ horam).

100. Colica uti a flatibus; dolores tendentes et prementes. (*H.*)

Colica flatulenta in ima abdominis parte, quasi remedium purgans sumsisset. (*H.*)

Inter cachinnationem in latere dextro infra costas punctus acutus.

Punctus obtusi inter respirationem in latere sinistro infra costas.

Tractio e latere sinistro hypogastrii versus dorsum; latus pressum dolet.

105. Hypogastrium tactu dolens. (*H.*)

Cum sensu flatus inopinato abeuntis, stercoris tenuis secessus (post 4 horas). (*H.*)
Sedes molliores, parvae, cum tenesmo, 3 — 5 per diem. (*H.*)
Excrementa alba, urina rubra. (*H.*)
Sedes aliquot horis prius quam solito, sed dura et difficilis.

110. Dolor intestini recti (post 1 horam). (*H.*)
Punctio et pressio in ano. (*H.*)
Paralysis ani transitoria, sedes involuntariae. (*H.*)
Diarrhoea aquosa. (*H.*)
Haemorrhoides fluentes. (*H.*)

115. Intestinorum debilitas, qualis a laxantium abusu venire solet. (*H.*)
Inter eundum dolores in lumbis, uti dolores parturientium. (*H.*)
Micturitio anxia: micturitio a tactu abdominis (post 4 horas). (*H.*)
Mictus difficilis (dysuria) (post 12 et 18 horas). (*H.*)
Micturitio dolorosa: mictus creberrimus propter vesicam cito multa urina aquosa impletam.

120. Micturitio: urina praeter consuetudinem pauca, non sine difficultate, quasi haesitaret, tamen sine dolore; simul pressio uti a forcipe lenis circa umbilicum.
Paralysis transitoria sphincteris vesicae urinariae, mictus involuntarius. (*H.*) *)
Ardor extra mictum in vesica urinaria. (*H.*)
Dolor vesicae inter eundum (post 4 horas). (*H.*)
Tenesmus vesicae urinariae. Urina fusca cum ardore excernitur, cum sedimento deinde coloris lateritii. (*H.*)

125. Pruritus in praeputio, frictioni cedens, sed cito rediens.
Punctio et pressio uti forcipe in glande penis durante mictu. (*H.*)

---

*) Symptomata paralysin declarantia (112. et 121.) ad effectus secundi ordinis referenda esse videntur. *St.*

Pruritus in genitalibus lenis, nec injucundus.
Accessus Veneris vehementes.
Veneris appetentia imminuta. (*H.*)

130. Dolor in testiculis simplex, qualis post contusionem restat (post 2 horas). (*H.*)
Menstrua die ante sumtum aconitum finita, statim vehementiora redeunt.
Menorrhagia. (*H.*)

* * *

Sensibilitas nervorum olfactoriorum summa; odores molesti acriter afficiunt. (*H.*)
Catarrhi, coryzae symptomata (inter horam 8 et 12). (*H.*)

135. Raucitas matutina (post 8 horas). (*H.*)
Tussicula a titillatione in larynge excitata (statim). (*H.*)
Tussis brevis. (*H.*)
Tussis ex potu. (*H.*)
Tussis a tabaci fumo statim vehemens; — fumum tabaci, licet ei adsuetus, ore ducere non potest, quin tussicula perpetua sequatur, vel propter fumum per epiglottin in arteriam asperam pervenientem, vel propter nimiam laryngis sensibilitatem. (*H.*)

140. Post mediam noctem per singulas dimidias horas tussis brevis (cujus sonus: Kächekäh), a titillatione in larynge profecta; vehementior et frequentior, quo magis eam reprimere nisa est. (*H.*)
Tussis sanguinolenta. (*H.*)
Respiratio inter somnum brevis, post mediam noctem. (*H.*)
Respiratio per nares intercepta, maxime inter somnum. (*H.*)
Anima foetida. (*H.*)

145. Respiratio strepens et sonora, ore aperto, cum asthmate. (*H.*)
Epiglottis affecta (per accessus paralytica?); cibus et potus inter glutiendum frequentius in arteriam asperam delapsi, suffocationem minantur et tussim cient. (*H.*)

Angor respirationem intercipiens, cum sudore frontis calido. (*H.*)
Anxietas in cavo pectoris, angustia in dextro pectoris dimidio, deinde per totum pectus.
Pectoris coarctatio, dextrorsum juxta sternum, asthmatis instar.

150. Inter quamvis inspirationem punctio inde ab infima costa lateris dextri ad summam scapulam usque, transversim per pectus, cum animo querulo. (*H.*)
Punctus singuli vehementes in latere dorsum versus (post 24 horas). (H.)
Dolor respirationem intercipiens in pectore, quasi pungens. (*H.*)
Ardor et punctiunculae in pectore. (*H.*)
Angor et morositas cum punctione in pectoris latere; tum pulsatio in scrobiculo, tum capitis dolor premens. (*H.*)

155. Sensus quasi a torpore et stupore in arteria aspera, sub sterno. (*H.*)
Dolor quasi a conquassatione in costa ultima, tactu vehementer auctus, cum multis querelis. (*H.*)
Dolor coarctans in pectore, sub sterno. (*H.*)
Dolor angustans in pectoris latere. (*H.*)
Dolor formicans in pectore, quasi a scarabaeis reptantibus. (*H.*)

160. Dolor pectoris premens, reclinato corpore superiore paululum cedens, erecto rediens.
Sensus gravitatis in pectore, quasi undique comprimeretur totum pectus.
Punctus in dextro pectoris latere dolorosi, in regione costae ultimae, ad os sacrum tendentes.
Dolor in dextro pectoris latere uti forcipe premens et ruens, inter costam tertiam et quartam, plane implacabilis, donec sponte cederet.
Dolor pungens, terebrans et fodiens in pectoris latere dextro, costam inter quartam et sextam, per sextantem horae durans.

165. Punctus in pectore (inter respirationem).
Rigiditas dolorosa vertebrarum ossis sacri et coxae inter motum (quasi claudicaret?). (*H.*)
Dolor quasi a conquassatione articulorum ossis sacri infimarumque vertebrarum lumborum, os sacrum quasi decussum. (*H.*)
Dolor vertebrarum lumborum extendens et premens, vel quasi a conquassatione, simul cum torminibus uti in colica flatulenta. (*H.*)
Dolor ab osse sacro transversim per dorsum ad nucham usque, quasi a conquassatione. (*H.*)

170. Dolor formicans in spina dorsi et pectore, quasi a scarabaeis reptantibus. (*H.*)
Dolores ardenter corrosivi juxta dorsi vertebras, dextrorsum.
Dolor vehementer pungens et fodiens, sinistrorsum, per totam spinam ad os sacrum usque, respiratione ita auctus, ut identidem lacrymae oborirentur (quatuor per horas).
A spina ad abdomen usque dolor circumscindens, supra coxam sinistram.
Sub costis lateris sinistri per accessus punctus, respirationem intercipientes, in decubitu vespertino (post 12 horas).

175. Dolor in nucha, quasi a soluta carne, cum sensu, quasi nucha infirma et caput ex ea prolapsurum esset; inter motum capitis in nucha punctio.
Dolor rheumaticus in nucha, colli motu tantum percipiendus (inter horam 5 et 9). (*H.*)
Dolor colli introrsum uti ad arteriam asperam directus, premens, quasi ab apice digiti collo impresso.
Dolor ruens, fodiens et terebrans, inde a scapula dextra adversus pectus tendens, inspiratione auctus, exspiratione non auctus, nullo modo levandus (per 12 minutas).
Dolor lancinans inde ab humero per cubitum tendens ad carpum usque, per digitos etiam, fere

nonnisi in motione quavis; inter dolorem manus livida (post 1 et 14 horas). (*H.*)

180. Post somnum dolor inter motum in humeri (et lumborum) articulis, quasi a contusione vel lecto nimis duro. (*H.*)
Brachiorum frigus, stupor. (*H.*)
Dolor in osse cubiti trahens et pungens, motu excitatus. (*H.*)
Brachia quasi conquassata languida recidunt.
Sensus gravitatis in brachiis, a cubitu ad digitos usque, quasi brachia laberentur; si quid prehendit, in digitis torporis sensus.

185. Dolor in cubitorum articulis trahens.
Punctus singuli in medio brachio dextro, in latere anteriore, iidem inter quietem, motum et tactum.
Dolor repentinus tractim pungens in latere brachii dextri posteriore.
Sensus quasi a paralysi in brachio et manu (inter scribendum) magno motui cedens, sed mox in scribendo et quiete rediens, attamen imminutus.
Dolor per totum brachium sinistrum inferius et manum dextram vulsorius, prorsus non diminuendus.

190. Dolor lancinans in carpo. (*H.*)
Altera manus gelida, cum stupore, quasi emortua (post 2 horas). (*H.*)
V o l a r u m s u d o r f r i g i d u s. (*H.*)
D o l o r i n d i g i t i s f o r m i c a n s. (*H.*)
Formicatio in digitis, etiam inter scribendum.

195. Si ad carpum usque digitos reflectit, statim punctus vehementes in articulis cubitorum carpo tenus, in externa brachii superficie.
Dolor spastice stringens volae sinistrae, ita ut digitos vix extendere posset.
Debilitas in cruribus et femoribus paralytica fere, post sessum. (*H.*)
Debilitas in femoris capite inter eundum, sive impossibilitas incedendi ob dolorem ineffabilem, intolerabilem, quasi a contusione, vehe-

mentiae nunc majoris, nunc minoris, post decubitum et somnum nascens (post 5 horas). (*H.*)
Infirmitas et instabilitas genuum, quae inter statum et incessum vacillant. (*H.*)

200. Pedum gravitas (statim). (*H.*)
Dolores in pedum articulis; cogitationes desperantes; considerationes mortem spectantes. (*H.*)
Pedes ad talos usque frigidi, cum sudore digitorum et plantarum pedum. (*H.*)
In talis sensus, quasi ligatura constricti essent, mane. (*H.*)
Dolor tali immanis, compressione externa imminutus (post 7 horas). (*H.*)

205. Pressio tendens in femoribus, quasi a ligamento ante adstricto, cum languore magno inter eundum.
Dolor lancinans in articulo pedis sinistri externo, superne petens.
Pedum, maxime digitorum frigus.
Sensus, paralytico similis trahens ad calcem usque.
In femoris capite pedis sinistri dolor trahens inter statum et sessum, vehementior inter eundum.

210. Crura infima et pedes inferiores, quasi torpentes sunt.
Punctus profundus et lentus in genu dextro.
Debilitas et infirmitas ligamentorum omnium articulorum (post 4, 6 hor.). (*H.*)
Crepitus omnium articulorum haud dolorosus, maxime genuum. (*H.*)

215. Sensus trahens et stringens crampoides passim in artubus, maxime in articulationibus, motu tamen libero.
Punctiunculae uti ab acu illutae passim per corpus.
Sensus paralysis et conquassationis in brachiis et pedibus cum vehementi totius corporis tremore, praesertim extremitatum, ut vix incedere posset, simul facies admodum pallida, pupillae dilatatae, lipothymia, cordis palpitatio, sudor

frigidus in dorso, cephalalgia displodens in temporibus — paulo post faciei aestus, cum sensu tensionis, faciei rubore et somni appetentia (post prandium). *)

Punctus singuli, diuturni, cum sensu adtritionis mixti, denique in merum quasi a vulnere dolorem desinentes, hinc inde. (*H*)

Cutis formicatio, pruritus, desquamatio, maxime in parte affecta. (*H.*)

220. Maculae quales a pulicum morsu, in manibus, in facie, etc. (*H.*)

Tactu dolorosum totum corpus; infans tactum horret, vagit. (*H.*)

Sensus quasi convalescentis e morbo gravi (per 6 et 12 horas). (*H.*)

Caput in aëre libero liberum et omnia symptomata minuta.

Lassitudo artuum, maxime pedum, cum somnolentia et morositate continua. (*H.*)

225. Mane experrecti e somno tantus languor, ut lectum deserere nollet; cessans tamen, postquam surrexit. (*H.*)

Motus molestus, sessio jucundior.

Lipothymia. (*H.*)

Vires prostratae.

Propensio decumbendi invincibilis. (*H.*)

230. Dormituritio, somnus (post 2 horas). (*H.*)

Somnus levior (a prima usque ad quintam horam). (*H.*)

Agrypnia (post 4 horas). (*H.*)

Somnolentia et inertia, adeo inter ambulandum somnolentia maxima.

Post meridiem valde dormiturit, oculi connivent, leui strepitu expergiscitur, sed denuo obdormiscit.

235. In latere dextro aut in dorso decumbere nequit; in lecto jactatio cum dolore. (*H.*)

---

*) Symptoma 217. An ad effectus aconiti secundarios referendum? — *St.*

Mane inter somnum in dorso decubitus, vola sinistra occipiti supposita. (*H.*)
Sedens dormit, capite prono. (*H.*)
Inspiratio inter somnum lenta. (*H.*)
Insomnia cum angore in pectore, respirationem intercipiente, unde expergiscit e somno (incubus). (*H.*)

240. Insomniis vexatur molestis.
Insomnia noctu anxia et crebra; evigilatio e somno cum terrore.
Insomnia cum multo blateratu. (*H.*)
Pavide cohorrescit; agitatio et blateratus in somno. (*H.*)
Vigilans delirat, e lecto fugit; oves agere imaginatur (post 14 horas).

245. Insomnia post decubitum vespertinum et inter sessum diurnum; vigil somniat se a domicilio longe abesse. (*H.*)
Ad auroram somno vivido res, cujus vigil nullam sibi reddere poterat rationem, clarissima ei redditur (post 20 horas). (*H.*)
Per dimidiam noctis partem de una tantum re somniat, qua, expergefactus, deinde multas per horas aeque occupatur, ita ut una haec imaginatio (quasi animo aegro idea fixa) cum molestissimo cruciatu ei obversetur. (*H.*)
Mane, dum expergiscit e somno, temulentia capitis et sensus quasi ab anima foetida. (*H.*)
O s c i t a t i o c r e b r a s i n e s o m n o l e n t i a.

250. Horrore tremit et crebre oscitatur, mane postquam e lectulo surrexit.
Vespere in decubitu horror. (H.)
Frigiditas anxia (post 3 horas). (*H.*)
Frigus sub motu minimo (post 10 horas). (*H.*)
Primum gelidi, frigidi et pallidi digiti extremi, tum digiti integri; tum sensus crampi in plantis pedum et suris, denique frigus in fronte (post ½ horae). (*H.*)

255. Frigus totius corporis. (*H.*)

Ad vesperam manus et pedes frigidi, tum vomituritio sub medio sterno, adeo inter esum ciborum jucunde sapientium, licet eorum neque appetitus, neque taedium adsit; post esum vomituritio cessat, sequiturque ardor faciei cum tristibus, desperantibus cogitationibus. (*H.*)

In abdomine frigus.

Frigus perpetuo per brachia, pedes et dorsum reptans, et in facie horror.

Horror in dorso et brachiis.

260. Ad vesperam ardor capitis et faciei, cum genarum rubore et cephalalgia foras premente; simul totius corporis horror cum siti.

Febris: Frigus totius corporis, fronte calida, calidis auriculis et calore interno sicco. (*H.*)

Paroxysmi crebri (horis fere alternis) debilitatis maximae et insensibilitatis, per horae quadrantem, ita ut neque pedes, neque manus movere, neque erecto corpore in lecto sedere, neque videre, audire, neque clare loqui posset; simul femora protensa (post paucas horas). (*H.*)

Febris: Frigiditas cum totius corporis rigiditate, gena altera rubida et ardens, altera frigida et pallida, oculis apertis, horridis, pupillis contractis, in obscuro tarde et parum dilatabilibus. (*H.*)

Paroxysmi alternantes (post 3, 4, 6 horas): modo inter genarum ruborem lascivia, caloris sensus universalis et capitis dolor inter movendum oculos sursum et ad latus; modo inter genarum ruborem et calorem capitis horror per totum corpus, cum sapore integro; modo inter genarum ruborem horror et lacrymatio cum cephalalgia premente; modo inter genarum ruborem obstinatio pertinax, ardor circa umbilicum et premens in capite dolor. (*H.*)

265. Caput ardens cum fronte tactu calida, motum minimum totius corporis horror sequitur.

Genarum rubor summus, cum morositate flebiliter querula (post 3 horas). (*H.*)

Ad vesperam calor faciei siccus, cum angore. (*H.*)
Caloris sensus primum in manibus, dein in toto corpore, sine calore intus sensibili (post 4 horas). (*H.*)
Calor cum siti universalis. (*H.*)

270. Inter calorem cerevisiae sitis modica. (*H.*)
Sudor cum horrore febrili (post 3 horas). (*H.*)
Sudor lenis universalis. (*H.*)
Sudor languidus. (*H.*)
Tremor; propensio in cordis palpitationem. (*H.*)

275. Cordis palpitatio et anxietas, capitis calor auctus, maxime in facie.
Cordis palpitatio cum magna anxietate, respiratione angusta et omnium membrorum fatigatione magna; in caput ascendit, cum sensu quasi a stupore cum rubore faciei volatili.
Morosa, quasi exanimis esset.
Hilarescit, subsequiturque cantandi et saltandi libido.
Animus solito hilarior et excitatior.

280. Morosus animus, nulli rei operam dare paratus et promptus, etiam inter ambulandum dejectus.
Angor et morositas cum punctiunculis in pectoris latere; tum pulsatio in scrobiculo cordis, tum capitis dolor premens. (*H.*)
Angor inconsolabilis et ejulatus miserabilis, cum libidine exprobrandi et conquerendi de malis saepe exiguis (post 5 horas). (*H.*)
Querelae admodum anxiae, cum pavore meticuloso, desperatione, fletu lamentabili et opprobriis acerbis. (*H.*)
Mortis instantis timor et querelae; metus, ne quid mali sibi accidat, neve vacillet. (*H.*)

285. Homines fugit (post 3 horas). (*H.*)
Cogitationes et meditationes profundae; praesagia. (*H.*)
Moeror, sollicitudo. (*H.*)
Intolerantia strepitus maxima (post dimidiam horam). (*H.*)

Intolerantia musices; omnes nervos penetrat atque animum flebilem reddit (post 24 horas). (*H.*)

290. Propensio in terrorem summa (post ¼ horae). (*H.*)

Jocos quoscunque aegerrime ferens animus.

Facillime irascitur (post dimidiam horam). (*H.*)

Opprobrandi et rixandi libido (post 6 horas). (*H.*)

Rixae cum mania scurrili alternantes singulis horis; puerilium narratio cum hilaritate immodica. (*H.*)

295. Animus iracundus. (*H.*)

Pertinacia. (*H.*)

Hominum odium. (*H.*)

Imaginatio vivida. (*H.*)

Observata medicorum veteri doctrinae addictorum.

Vertigo, pectoris angustia, tussis sicca cum dolore ischiadico. (*Greding*, verm. Schriften, p. 90 — 113.)

Obscuratio oculorum vertiginosa, pulsu immutato. (*Claud. Richard*, apud *Schenk* Obs. Lib. VIII. Obs. 136.)

Neque cogitare, neque meditare, neque ideas se cerebro concipere posse sentit ut alias, sed omnes has animi functiones in regione scrobiculi cordis peragi; duas post horas vertigo, redeunte deinde in caput vi cogitandi consueta. (*I. B. v. Helmont*, in Demens Idea §. 12.)

Cephalalgia, quasi a cranio extrinsecus ligamentis contorto et arcte constricto. (*Helmont*, l. c.)

(5) Sensus quasi a globo e regione umbilici suprema petente, inque vertice et occipite auram quandam frigidam diffundente. (*Mathiolus*, in Comment. in Dioscorid. L. IV. C. 73.)

Dolor capitis ardens, quasi cerebrum ab aqua bulliente commoveretur. (*Mathiolus*, l. c.)
Quasi a refrigerio post sudorem largum perpesso —: cephalalgia, aurium susurrus, gravedo et tormina, maxime mane. (*Greding*, l. c.)
Obcoecatio reiterata; loquela integra. (*Mathiolus*, l. c.)
Ophthalmia lippitudinosa, adeo dolorosa et molesta, ut mori mallet. (*Richard*, l. c.)

(10) Aurium susurrus obtusus continuus, lipothymia subsequa. (*Vinc. Bacon*, in Philosoph. Transact. XXXVIII. p. 287.)
Sensus, quasi a tumore genarum. (*Bacon*, l. c.)
Dolor maxillarum acutissimus, quasi excidere vellent. (*Mathiolus*, l. c.)
In lingua et maxillis ardor et formicatio, ita ut dentes vacillare viderentur. (*Bacon*, l. c.)
In lingua ardor diuturnus. (*Ant. de Stoerk*, in libello de Stramonio, Hyosciamo et Aconito, p. 71, 74, 80, 96, 110.)

(15) Dolores pungentes, momentanei vagi, in lingua, cum salivae affluxu. (*Stoerk*, l. c.)
Sapor quasi piperis. (*Mathiolus*, l. c.)
Vomitus pituitae cruentae, tribus vel quatuor diebus insequentibus. — Vomitus cruentus. (*Greding*, l. c.)
Nausea vomituriens cum diarrhoea vehementi. (*Greding*, l. c.)
Singultus matutinus. (*Greding*, l. c.)

(20) Vomitus reiteratus et sedes crebrae, cum querela, lapidem quasi frigidum in ventriculo esse. (*Richard*, l. c.)
Ventris tumor, quasi hydropicus. (*Mathiolus*, l. c.)
Diarrhoea cum lotii profluvio copiosiore et sudore modico. (*Greding*, l. c.)
Punctio in renibus, cum suppressione urinae. (*Richard*, l. c.)
Urinae profluvium inter sudorem vehementem et diarrhoeam crebram aquosam cum torminibus. (*Greding*, l. c.)

(25) Leucorrhoea copiosa, tenax, flavescens. (*Stoerk*, l. c.)
Inter menstrua erumpentia furor. (*Greding*, l. c.)
Anxietas cum suffocationis periculo. (*Rodder*, apud *Alberti*, in Jurisprudentia medica, T. VI. p. 724. [a succo aconiti vulneri applicato].)
Tussis sicca. (*Greding*, l. c.)
Torpor ut paralysis in crure (et brachio) sinistro. (*Mathiolus*, l. c.)

(30) Formicationis et ardoris sensus, totum corpus sensim occupans, maxime brachia et crura. (*Bacon*, l. c.)
Pruritus in corpore, maxime circa pudenda. (*Stoerk*, l. c.)
Pustulae rubicundae, acri humore impletae. (*Stoerk*, l. c.)
Pustulae latae, rubrae, prurientes, per totum corpus. (*Stoerk*, l. c.)
Post delirium dolores stomachi, capitis, maxillarum, pectoris et modo unius, modo alterius articuli. (*Richard*, l. c.)

(35) Artuum concussio. (*Greding*, l. c.)
Vespere ejulatus subitus, strepitus dentium, tum singultu diuturno immobilitas rigida, statuae instar (Catalepsis). (*Greding*, l. c.)
Aucta totius corporis debilitas; omne corpus dolet. (*Greding*, l. c.)
Quasi omnes venae frigescerent; quasi circulatio sanguinis impedita esset. (*Mathiolus* — *Bacon*, l. c.)
Quiescit, sed friget et horret, et multis stragulis operiri gestit. (*Bacon*, l. c.)

(40) Calor magnus cum siti. (*Rodder*, l. c.)
Vox audax, vividi oculi, frons sudore frigido madida, et pulsus vix sensibilis. (*Mathiolus*, (l. c.)
Nocturnum delirium furiosum; in lecto teneri non potest; sudor maximus, mane. (*Dürr*, in *Hufelandii* Journ. der pract. Heilkunde, IX. 4. p. 108.)

Imprudenter multa facit, per domum circumcursat. (*Helmont*, l. c.)

Vicissitudines contrariarum mentis perturbationum. (*Mathiolus*, l. c.)

(45) Modo rationis compos est, modo delirat, modo de vita desperat, modo spem erigit. (*Mathiolus*, l. c.)

Post vomitum spes statim erecta. (*Richard*, l. c.)

Modo ploranti similis, modo cantans. (*Mathiolus*, l. c.)

Delirium, ineptiae. (*Richard*, l. c.)

Arnica montana.

(Tinctura e granis quinquaginta radicis recenter in pulverem redactae mille guttis spiritus vini affusae parata.)

Quodsi radicem plantae hujus, in regionibus nemorosis excelsis et planis praecipue provenientis, aëri exponas, et odor et virtus medica multo minores redduntur, maxime autem coctione. Recens vero in pulverem redacta cito et plane in balneo Mariae siccata in vasis vitreis bene obturatis per plures annos integra fere servari potest.

Omnia dogmata artificiose statuta scholae medicae hucdum praedominantis, omnes definitiones scholasticae, distinctiones et demonstrationes argutae per omnia saecula neque specificam hujus plantae vim salubrem eruere, neque affectioni universali haud raro admodum periculosae a lapsu gravi, ictibus, verberibus, contusione, distortione vel disruptione partium solidarum corporis humani enascenti certum remedium investigare valuerunt. Contigit plebi, tale, innumeris aliis antea frustra tentatis, in Arnica montana (quam hac ex causa herbam ad lapsum nominavit) detegere. Postea medicus quidam (Fehr) ducentis abhinc annis, quod casus secundus docuerat, communicavit caeteris medicis (panaceae lapsorum nomine dein arnicam dignam habuerunt), qui hoc, aeque ac omnia alia quae noscunt specifica medicamina, a medicina domestica mutuati sunt, ipsi autem invenire nescierunt, quippe qui mutationibus, quas cor-

pora medicata in organismo hominis sano provocent, perscrutandis nunquam operam dederint.

Omnia incommoda ex contusionibus validis atque fibrarum ruptionibus originem trahentia eadem fere semper symptomata exhibent.

En! persimilia illa leges inter seriem phaenomenorum, quae Arnica in hominibus sanis generare solet. — Ex his quoque invenies, Arnicam etiam variis aliis affectionibus morbosis certum esse remedium homoeopathicum. Medicamentum est polychrestum et licet efficientia, immo si magnae doses propinantur, non sex dies excedat, nihilominus in diutissimis vel morbis, uti expertus sum, illa qua remedio subsidiario aliisque interponendo carere non possumus.

Nunquam vero in morbis acutis mere inflammatoriis cum calore maximam partem externo, universali, nec in diarrhoeis adhibeatur; hic semper nocebit, quod ex ejus effectu peculiari facile intelligi potest.

Eo salutarior est in quibusdam pleuritidis spuriae speciebus, quarum symptomata illis Arnicae similia sunt.

Camphora est antidotum dosium magnarum non juxta rationem homoeopathicam in usum vocatarum; vino autem illarum noxius effectus adaugetur.

Parvam immo partem billionesimae dilutionis in usum homoeopathicum semper plane sufficere expertus sum *). *St.*

---

*) Symptomata litera (*H*) non signata praesertim a Doctoribus Franz, Grofs, Friderico Hahnemann et Wislicenus observata sunt.

Symptomata.

Vertigo. (*H.*)
Inter coenam vertigo repentina, quasi prolapsurus esset.
Caput obrutum. (*H.*)
Capitis obrutio, angor et vertigo augentur vomitu artificiali. (*H.*)

5. In cogitationibus defixus videtur, sed reapse nihil cogitat.
Memoriae defectus; oblivio eorum, quae jam elocuturus est.
Mentis perturbatio; cogitationes vagae.
Formicatio in fronte antica et supra orbitas. (*H.*)
Capitis ardor cum dolore pressim distendente. (*H.*)

10. Ardor in cerebro, corpore frigido, saltem non calido. (*H.*)
Calor in capite, corpore ceteroquin frigido, saltem non calido. (*H.*)
Inter capitis obnubilationem et partium cranii lateralium gravationem pupillae contractae.
Calor internus, praesertim capitis cum gravitate ejus, sine siti.
Capitis dolor in fronte premens, calore fornacis auctus, quasi conglobatum esset cerebrum.

15. Cephalalgia supra oculos versus tempora premens, quasi tegumenta frontis spastice contraherentur (p. 1 h.).
Post cephalalgiam prementem, etiam in temporibus, cephalalgia pulsatim premens succedit. (*H.*)
Primum dolor in fronte premens, deinde pungens et vulsorie pungens, cum frigore (p. 8 h.) (H.)

Punctio in fronte. (*H.*)
Dolor in capite quasi a clavo per tempora transfixo, cum sudore universali, languore subsequo, media nocte. (*H.*)

20. Dolor in fronte tenuiter pungens, levatis oculis auctus, cum faciei calore et siti. (*H.*)
Cephalalgia; punctus sursum directi, tussi et adeo capitis motu rursus excitati, decubitu in latere capitis doloroso tantummodo sedati. (*H.*)
Dolor punctim lancinans in temporibus sinistris, identidem rediens. (*H.*)
Capitis dolor vulsorie lancinans, pronatione et tussi auctus. (*H.*)
Cephalalgia premens ct distendens, quasi a molli quodam pondere in vertice; in occipite tractio; versus tempora lancinatus.

25. Dolor in fronte premens, maxime inter eundum, scalarum adscensionem, meditationem et lectionem.
Pressio in osse frontis dextro, tunc sternutatio, migrans deinde pressio primum in aurem sinistram, tum in aurem dextram (p. 2 dies).
Dolor in sinistro frontis latere post sternutationem bis repetitam, quasi ab ictu vehementi.
Punctus obtusi per tempora.
Dolor lancinans in temporibrs sinistris; inter eundum sub dio redit cephalalgia pressim distendens (post decem horas).

30. Magnus capitis calor et externus et internus.
Calor faciei siccus, post aures usque propagatus, sine siti, naso gelido (post 24 horas).
Lancinatio crampoides ad supercilium sinistrum.
Oculi rigentes, anxietatem indicantes. (*H.*)
Margo palpebrarum superiorum, ubi intus pupillam tangit, motu earum dolens, quasi a nimia siccitate sive ab attritione.

35. Pupillae contractae post 2 horas; dilatatae post 26 horas.
Ardor in oculis sine siccitate.

Lacrymae interdum quasi candentes et igneae.
Oculus dexter aliquantulum e capite procedit, et altior et major videtur, quam sinister.
Pressio in orbita sinistra externa admodum dolens, intermittens, obtusa.

40. Vulsio spastice premens infra oculum sinistrum, in os nasi simulque in pupillam pertinens.
Ardor et rubor in gena alterutra, corpore ceteroquin frigido, saltem non calido. (*H.*)
Genae dextrae tumor ruber cum dolore pulsatim vellicante; labium tumidum capitisque calor magnus, corpore frigido; pedes tantummodo interdum calidi. (*H.*)
Tumor genae sinistrae calidus, rubicundus, rigidus.
In gena tumida pulsatio et pressio uti a forcipe, carnem contundens, quasi mallei duo colliderentur.

45. In genis eruptio variolosa, maxime infra oculos.
Aurium susurrus. (*H.*)
Auditus multo acrior post 10 horas; hebetior autem post 30 horas. (*H.*)
In aure primum punctus, tunc lancinatus (post 1 horam). (*H.*)
Tumor nasi. (*H.*)

50. Narium exulcerationis sensus; nasus intus ulcerosus. (*H.*)
Pustulae et in naso et sub eo, in apice pus colligentes, cum dolore mordaci. (*H.*)
Nasus superne dolens, quasi lapsu vehementi laesus esset.
Narium haemorrhagia crebra.
Labia sicca, quasi siti torrida. (*H.*)

55. Fissurae labiorum. (*H.*)
Pustula in medio labio superiore cum rubore circumfuso et dolore tensivo.
Formicatio in labiis, quasi a narcosi (post 2½ hor.).
Calor in labio utroque ardens, modico interim corporis calore.
Labia valde turgida.

60. Anguli labiorum ulcerati, cum dolore ardente, maxime inter motum. (*H.*)
Glandularum submaxillarium tumor. (*H.*)
Glandulae submaxillares tumidae, admodum dolorificae, dum caput tollit vel torquet, maxime inter tactum (post 4 dies).
Glandulae colli tantopere tumidae, ut promineant, jam sponte maxime dolorificae, plurimum tamen inter motum et locutionem.
Dentes mucosi (post 1 horam). (*H.*)

65. Dentium vacillatio et sensus elongationis eorundem non dolens. (*H.*)
Dolor dentium, quasi cultro radices eorum scalperentur.
Pressio in gingivis inferioribus internis, quasi a globulo plumbeo.
Inter edendum dolor lancinans dentium maxillae superioris sinistrae, post edendum cessans.
Inter manducationem gingiva dolens, quasi suppurata, maxime infra linguam.

70. In lingua sensus mordax et quasi ab attritione (post 4 horas). (*H.*)
Siccitatis siticulosae sensus in apice linguae, in palato et labiis, cum horrore in brachiis et femoribus (post 2 horas). (*H.*)
Lingua prorsus albida, cum appetitu integro et justo sapore (post 2 dies).
Siccitas oris matutina, sine siti, cum sapore oris putrido (post 14 horas). (*H.*)
Sensus corrugationis in palato, quasi ab austeris (post 50 horas). (*H.*)

75. Siccitas in ore, cum magna siti.
Dolor pungens in faucibus extra deglutiendum. (*H.*)
Ardor in faucibus cum caloris interni sensu, seu potius eo angore, quem calor excitare solet (sine calore externo). (*H.*)
Dolor in gula, quasi a duro et aspero quodam (crusta panis verbi gratia) inter decubitum pomeridianum, surgendo dolor pacatus (post 6 horas). (*H.*)

Deglutitio nausea quadam impedita, quasi escae descendere detrectent. (*H.*)

80. Deglutitio difficilis.
Sapor in ore post evigilationem matutinam amarus. (*H.*)
Sapor in ore putridus, mucosus. (*H.*)
Extra edendum sapor in ore hepatico-sulphureus.
Tabaci fumum ducendi consuetudo ei grata esse desinit. — Carnis et jusculi fastidium. (*H.*)

85. Appetentia aceti. (*H.*)
Anorexia, lingua flava et alba. (*H.*)
Vespere: appetitus immodicus et statim post coenam plenitudinis sensus et dolor premens colicus in pluribus hypogastrii locis, maxime in lateribus. (*H.*)
Post coenam lacrymatio, morositas, obtemperare et attendere detrectans. (*H.*)
Post edendum plenitudo in scrobiculo, et in loco hypogastrii infimi parvo, supra os pubis (in vesica urinaria?), dolor premens sensibilis, maxime inter statum, perpetuo fere minctionem excitans (post 4 horas). (*H.*)

90. Ructus inanes. (*H.*)
Ructus amari hepatico-sulphurei (p. 2 hor.). (*H.*)
Regurgitatio aquae salsae. (*H.*)
Saliva excreta sanguine mixta (post 2 dies).
Bibere semper cupit, nescia quid?

95. Lectione continua vertigo et nausea excitantur.
Mane: nausea vomituriens (post 24 horas). (*H.*)
Vomituritio aegerrima, attamen frustranea. — In scrobiculo cordis gravitas quasi a mole ponderosa. (*H.*)
Plenitudinis sensus fastidiosus in ventriculo. (*H.*)
Pressio quasi a manu in scrobiculo, sensim ad collum usque adscendens, tunc nausea, aqua in ore confluente; post decubitum omnia symptomata cessant, excepta tantum pressione in hypogastrio. (*H.*)

100. Cardialgia spastica, forcipis modo premens. (*H.*)
Dolor premens quasi a lapide in ventriculo praesente (statim).
Pressio supra scrobiculum transversum dolorosa, respirationem angustans.
Dolor subruens in ventriculo (post ½ horam) et sensus, quasi quid ibi conglomeraretur (p. 24 hor.).
Borborygmi, flatus, quasi colica cum flatulentia. (*H.*)

105. Lancinatio supra umbilicum. (*H.*)
Abdominis, maxime hypogastrii, aliquot horas post coenam (modicam quidem) tensio et inflatio, cum pressione obtusa universali, in latere praesertim abdominis (licet flatus non distincte sentiantur), per totam noctem, cum calore artuum et cum somniis meditationem admodum tendentibus; singulis quibusve horis e somno evigilatio; flatuum inodororum secessus qui nullum affert levamen. (*H.*)
Latus abdominis dextrum durum, inflatum, jam inter quietem quasi a vulnere interno dolens; inter tussim, emunctionem et incessum autem quasi dolorifice concussum, dilaceratum, vel dissectum; tactu adeo minimo externo dolorosum, quasi vulnus incideretur, flatuum exitu solummodo levatum; quotidie a primo mane usque ad horam secundam pomeridianam. (*H.*)
In regione lienis dolor premens, superna petens, cum punctione continua inter eundum (post 6 horas).
Infra costas spurias in latere sinistro punctus respirationem praecludentes inter standum.

110. Tormina in sinistro abdominis latere vehementia, ad verticem capitis usque punctuum instar penetrantia, ita ut quasi ictu electrico commotus in lecto exsurgeret.
Tormina supra umbilicum, praesertim inter respirationem profundam et incessum, nec tamen immediate ante sedes sive inter eas. (*H.*)
Tormina dysenterica; dolores subruentes in infimis ossium ilei reces-

sibus ab utraque parte, cum nausea et sopore juncti (a secunda ad quintam usque horam). (*H.*)
Dolor in abdominis latere dextro, quasi a contusione subitanea, inter eundum (post 36 horas).
Sinistrorsum inter scrobiculum et umbilicum pulsatio tensiva.

115. Punctus acuti in utroque lumbo (post 3 horas).
A latere uno ad latus alterum ictus per abdomen transversum acuti (p. 3 hor.).
In regione hepatis pressio dolorosa (post 2 dies).
Nisus alvum exonerandi creber, quavis hora dimidia elapsa, sed secessus nonnisi merae pituitae. (*H.*)
Tenesmus ani. (*H.*)

120. Intestini recti dolor premens. (*H.*)
Dejectiones alvi parvae, crebrae, mere mucosae (post 6 et 7 horas). (*H.*)
Sedes crebrae; post unamquamque decumbi cogitur. (*H.*)
Egestiones diarrhoeicae albae. (NB. Diarrhoea cum largo stercoris profluvio inter symptomata Arnicae secundaria numeranda est.)
Excrementorum secessus involuntarius inter somnum. (*H.*)

125. Excrementa indigesta nec tamen fluida. (*H.*)
Inter nisum alvum exonerandi flatuum secessus, praeeunte in intestinis borborygmo.
Flatus hepatico-sulphurei.
Tensio premens in ano inter statum.
Tenesmus vesicae urinariae, micturitio frustranea. (*H.*)

130. Micturitio cum stillicidio urinae involuntario (post 1 horam). (*H.*)
Micturitio cum ardore aliquantulum mordace, antequam aqua prolabatur, non vero inter mingendum. (*H.*)
In urethrae orificio dolor secans, sub finem mictionis. (*H.*)
Punctus post mictum in urethra. (*H.*)

Micturit solito crebrius.

135. Mictus frequens urinae aquosae (p. 12 hor.). (*H.*)
Urina badia et clara, sed statim post mictum albide-turbida (post 48 horas). (*H.*)
Urina badia cum sedimento lateritio. (*H.*)
Crebrior secessus urinae albae, aquosae, minoris, quam hausti potus copiae conveniebat, guttas ultimas difficulter tantum exprimere poterat.
Mane multum emittit urinae, quae tarde fluit, quasi coarctata esset urethra (post 24 horas).

140. Micturitio frequens cum urina pauca flavo-rubescente (post 46 horas).
Pruritus in urethrae parte anteriore, circa glandem; extra mictum pruritus seu punctio pruriens in glande penis; item macula rubra pruriens in eadem. (*H*)
In praeputio pustula pruriens. (*H.*)
Punctus singuli in scroto. (*H.*)
Post evigilationem: penis erectiones vehementes, continuae, sine concubitus appetentia et cogitationibus obscoenis (post 12 horas). (*H.*)

145. Appetentia veneris summa et penis rigiditates continuae (in effoeto observatum). (*H.*)
*Plures intra unam noctem pollutiones cum somniis libidinosis. (*H.*)
Interdiu in complexionibus libidinosis semen profluit. (*H.*)
Mane in lecto sensus debilitatis cum testiculis laxis, quasi a pollutione nocturna, quae tamen nulla facta erat. (*H.*)
Anima foetida. (*H.*)

150. Halitus ex ore foetidus per biduum, inter exspirationem.
Halitus inter exspirationem in larynge sensum frigoris excitat, quasi cutis ibi nimis tenuis esset.
Sternutatio. (*H.*)
Vespere inter decubitum gravedo (post 3 horas) et mane inter expergiscendum catarrhus pectoris. (*H.*)
Mane raucedo. (*H.*)

155. Tussis plane sicca, ob pruritum in infima bronchiorum parte (post 4 horas). (*H.*)

Inter somnum meridianum tussis ob irritationem prurientem in superiore laryngis parte (post 4 horas). (*H.*)

Tussis nocturna inter somnum. (*H.*)

Oscitatio adeo tussim movet. (*H.*)

Vociferatio tussifera infantum cum morositate et jactatione (hor. 7 et 8). (*H.*)

160. Post vagitum tussis in infantibus. (*H.*)

Exscreatio sanguinis. (*H.*)

Tussis vomitum gignens. (*H.*)

Tussis qua omnes costae quasi confranguntur. (*H.*)

Tussis cum punctibus in latere abdominis (post 10 horas).

165. Dolor pungens in alterutro pectoris latere, cum tussicula dolorem exasperante et asthmate continuo. (*H.*)

Tussicula quasi a pruritu in infima larynge, sicca, etiam mane post experrectionem.

Respiratio angusta, exspiratio et inspiratio citae.

Dolor in infimo sterno premens, vehementissimus inter respirationem altam (post 12 horas).

Punctus in pectore prementes.

170. Pressio ex utroque latere pectoris secans, inspiratione aucta.

Punctus obtusi per sternum in pectoris cavum.

Dolor pungens in pectore sinistro medio. (*H.*)

In utroque latere sub costis punctus, quasi a flatibus (post 1 horam). (*H.*)

Quasi a distortione et confractione in articulationibus partium pectoris et dorsi dolor, maxime inter motum et respirationem. (*H.*)

175. Angor per transversum pectus cum nausea vomituriente (post 2 horas). (*H.*)

Mane inter evigilationem sanguinis massa in pectore collecta videtur; motu levi melius se habet. (*H.*)

Sensus in pectore sinistro medio constringens, respirationem angustans, non dolorificus; scrobiculum, si tangitur, dolore respirationem praecludente affectum. (*H.*)

Dolor premens in pectore (dextro), parvo spatio circumscriptus, nec motu, nec tactu, nec respiratione auctus. (*H.*)

Dolor in osse sacro pungens, tussi, respiratione profundiore et itione lacessitus. (*H.*)

180. Cordis palpitatio, potius vulsio nominanda.

Dolor in cordis regione, quasi comprimatur, vel ictum patiatur (post 36 horas).

Cordis motus primo citissimus, deinde subito admodum lentus.

Pruritus in pectoris lateribus et in dorso pungens, frictione non exstinctus (post aliquot minutas).

Os sacrum dolorificum, quasi abscissum esset.

185. Inter respirationes singulas in dextro dorsi latere punctus, a costis ultimis ad scapulas superiores usque (post 48 horas).

In media spina dorsi et inter scapulas pressio dolorosa (in sessu).

Spina dorsi dolet, quasi corpus sustinere non posset.

Ictus secantes inter scapulas ad pectoris cavum petentes inter eundum.

In scapula dextra, dorsum versus dolor, quasi ab ictu gravi, sive lapsu.

190. Dolor crampoides in musculis nuchae, cum punctibus obtusis intus (post 2 horas).

Dolor arthriticus in dorso, in artubus. (*H.*)

Dolor in dorso, quasi a confractione, inter eundum in aëre libero ardens. (*H.*)

In nuchae musculis dolor tensivus crampoides inter sternutationem et oscitationem. (*H.*)

A latere in nucha pustula, inter tactum cum dolore pungente, quasi ab ulcere (p. 48 hor.) (*H.*) *)

195. Punctus lati et acuti infra axillae cavum, interna petentes.

Dolor lancinans in brachiis et manibus. (*H.*)

In parte brachiorum anteriore dolor, quasi a confractione. (*H.*)

Dolor retrorsum adscendens, tractim-crampoides, in tubis ossium digitorum et brachii inferioris. (*H.*)

Brachia lassa, quasi a plagis contusa, ita ut digitos inflectere non posset.

200. Concussio dolorosa, fere electrica, sive ictus in brachiis.

Punctus sensibiles quasi intus in brachio superiore.

In sinistro brachio superiore vulsio, quasi nervus distenderetur.

Ab inferiore parte brachii superioris sinistri versus cubitum dolor intermittens, sensibiliter premens et lancinans, quasi in osse.

Brachii flexu, intensio musculorum flexorum brachii inferioris, ita ut dolorem tendentem flexio iterata crearet (post 2 horas).

205. Punctus infra cubiti articulationem acuti, lati (post 2 horas).

Punctus in brachio sinistro inferiore lenti, obtusi, cum doloribus sensibilibus, quasi ibi fractum esset (mane in lecto).

Punctio ardens in brachio inferiore.

Dolor quasi a distortione in carpo (in lumbis, dorso, pectore). (*H.*)

Pustula inter pollicem et digitum indicem, tactu subtiliter pungens et dolens, quasi ab assula infixa (post 40 horas). (*H.*)

---

*) Symptoma 194. Pustulae hae tactu admodum dolorosae ab arnica specificae provocatae, cum circulo incenso, rubro, simillimae sunt furunculis, quos arnicam homoeopathice sanare atque prohibere, ne in iis oriantur, qui his saepissime laborant, usus me docuit.

210. Dolor in articulatione manus, quasi a distortione.
Punctus acuti in articulatione manus, motu acuti (post 2 horas).
In articulatione manus sinistrae, maxime inter scribendum, dolor lancinans, in dorso manus admodum sensibilis; manibus demissis dolor minuitur.
Dolor punctim lancinans in carpis, maxime in sinistro (post 3 horas).
Venae manuum inflatae, cum pulsu pleno et forti.

215. In manibus infirmitas, praesertim in arripiendo (post 2 horas).
Crampus in digitis manus sinistrae.
Ictus singuli in lumbis. (*H.*)
Dolor quasi a distortione in lumbis (in dorso, pectore, carpo). (*H.*)
Dolor in artubus inferioribus lancinans. (*H.*)

220. Tremor in artubus inferioribus.
Artus inferiores noctu dolorosi, si unus alteri impositus est.
Dolor tractim premens in articulatione femoris sinistri, femore protenso; inter sessum (p. 5 hor.).
Inter eundum dolor in femoribus quasi a plaga vel ictu.
Vulsio veluti a forcipe in sinistro femore superiore, juxta scrotum.

225. In interno femoris latere, supra genu, punctus prurientes, terendo exacerbati (post 2 horas).
In femore interno pruritus pungens, quasi vulneris sensus, tactu mitigatus.
Punctus in genu (et utroque digito medio). (*H.*)
Interdum in genu virium defectus repentinus, pedibus inferioribus obtorpescentibus quasi et insensibilibus. (*H.*)
In genu dextro, inter scalarum adscensionem, dolor quasi a contusione (post 3 horas).

230. Geniculatio inter standum (post 1 horam).
In genu inter tactum punctio veluti acubus.

Dolor in pede arthriticus cum febricula ad vesperam. (*H.*)
Dolores inter statum. (*H.*)
Dolor in tibia vulsorie pungens (p. 6 horas). (*H.*)

235. Formicatio, reptatio in pedibus. (*H.*)
Dolor in pede (aegro) ineffabilis, quasi ab inquietudine interna et quasi cubile ubique durius esset, quae inquietudo pedem huc et illuc transferre et movere cogit (vespere, p. 8 hor.). (*H.*)
Dolor in pedis talo et calce lancinans. (*H.*)
Supra suram pedis dextri dolor quasi post plagam vehementem, cum lassitudine crurum.
Dolor lancinans, quasi terebrans et fodiens deorsum in sura sinistra; ibi aliquantulum subsistens, sursum petit femur, et inde ad os coccygis circumgressus in osse dextro pelvis definit.

240. In articulatione pedis inferioris dolor, quasi a distortione.
Dolor pungens in volis pedum inter eundum, uno eodemque loco fixus, quasi clavus ibi esset.
In vola pedis punctus prurientes, uno eodemque loco fixi.
Dolor in pedibus vehementer ardens et pruriens.
Punctus in pede per pollicem. (*H.*)

245. Dolor punctim lancinans, sensim nascens, in pollicis pedis apice inter decubitum meridianum. (*H.*)
Ad vesperam dolor cum rubore in articulo pedis, podagricus, torpefaciens, qualis a distortione provenire solet. (*H.*)
Punctus singuli vehementes et ictus in pollice pedis. (*H.*)
Volarum et digitorum pedis sudor. (*H.*)
Crampus in musculis pedis dolorosus. (H.)

250. Punctio in digitis pedum vehemens inter itionem.
Passim in artubus punctus alte penetrantes, obtusi.
Per motum minimum omnes articuli et cutis dolenter sensibiles (post 4 horas). (*H.*)
Nimia sensibilitas dolorosa totius corporis. (*H.*)

Omnium membrorum paresis, dolor omnium articulationum paene paralyticus, quasi a contusione, inter motum (post 8 horas). (*H.*)

255. Dolor omnium membrorum vibrans, dum corpus concutitur (ex. gr. in rheda), vel inter statum. (*H.*)

Sensus molestus, formicans et premens in parte contusione laesa. (*H.*)

Dolor in parte laesa vulsorius. (*H.*)

Vulsio in omnibus membris, imprimis in pedibus et scapulis cum pedum calore. (*H.*)

Punctio in omnibus fere corporis partibus, maxime in naso, superciliis, palpebris, etiam in manibus et digitis. (*H.*)

260. Dolor in cute ardens, modo in hac, modo in illa corporis parte. (*H.*)

Dolor in cute quasi a frigore, modo in hoc, modo in illo corporis loco. (*H.*)

Sensus quasi corpus nimis arcte circumligatum esset. (*H.*)

Vulsio musculorum singulorum subitanea in omnibus fere corporis partibus, praesertim in membris, qua modo partes singulae, modo totum corpus concutitur.

Loquela, emunctione, motu vel sonitu quovis dolores acuti excitantur.

265. Dolores lancinantes subinde omnes fere corporis partes tentant, praesertim tamen extremitates superiores et inferiores; inferiores plurimum in sessu; dolor maximam partem sursum disseminatus.

Omnium membrorum quasi contusorum dolor, inter quietem aeque ac motum (post 10 horas).

Totum latus dextrum (maxime humerus), inter eundum sub dio, nimis grave et quasi paralyticum esse videtur, quod tamen in cubiculo non sentitur (post 8 horas).

Languor in pedibus et brachiis, inter ambulandum in aëre libero (post 2 horas).

Gravitas membrorum. (*H.*)

270. Sensus quasi lipothymiae; inter statum vires redeunt. (*H.*)
Post ambulationem sub dio pedum languor; genua labant; simulac pedes languor occupavit, somnolentia, mox somnus, deinde insomnia.
Lassitudo magna; gravitas omnium membrorum.
Lapsus virium universalis; vix membrum se movere posse putat.
Oscitatio crebra vespertina, sine somnolentia. (*H.*)

275. Inter oscitationem horror vehemens.
Somnolentia (post 1 horam). (*H.*)
Dormiturit, maxime vespere, solito maturius. (*H.*)
Somnus somniis turbatus et tam parum reficiens, ut se prorsus non dormivisse putet. (*H.*)
Somnia anxia, gravia, statim inde a vespere, per totam noctem, corpus admodum vexantia. (*H.*)

280. Somnia terribilia; exclamat in somno, ita ut expergefiat. (*H.*)
Inter somnum terrores et concussiones capitis, cum vagitu. (*H.*)
Blateratio et vagitus inter somnum, sine somniorum memoria. (*H.*)
Inspiratio stertens in somno (p. 24 horas). (*H.*)
Excrementorum secessus involuntarius inter somnum. (*H.*)

285. Somnium per totam noctem continuatum, plenum rixis perpetuis turpibusque (ob vitam dissolutam) opprobriis; diu dubitat, annon ea, quae somniaverat, in rerum natura evenerint. (*H.*)
Sub somno imperfecto plures per horas somnium, in quo admodum haesitantem somnians se praebet. (*H.*)
Agrypnia et vigilia usque ad mediam noctem, simul cum pruritu passim pungente et mordaci. (*H.*)

Somnus vespere per aliquot horas, somnia deinde usque ad horam matutinam quintam, somnus denique quietus usque ad horam nonam antemeridianam. (*H.*)

Agrypnia cum anxietate, quasi a calore, ad horam secundam vel tertiam usque post mediam noctem. (*H.*)

290. Inter obdormiscendum concussio subitanea quasi a terrore.

Somnia de rebus terribilibus, fulminis ictu, sepulcris, hominibus degluptis et ceteris, quae terrorem injicerent.

Somnia sub lucem vivida, quibus orationes habet alta voce, ita ut inde expergefiat.

Crebra e somno evigilatio cum seminis profusione (nocte secunda).

Noctu, dum obdormit, singulari caloris in capite sensatione excitatur, subsequo inter evigilationem angore et timore, ne redeant ejusmodi accessus, neve apoplexia corripiatur (p. 10 hor.).

295. Mane in lecto frigus, antequam surrexisset incipiens et per totum tempus antemeridianum durans.

Mane in lecto frigoris sensatio in latere dextro, in quo decumbebat (post ½ horae).

Frigescentia interna perpetua per totum corpus inter evigilationem e somno, die noctuque, attamen sine horrore. (*H.*)

Aquae sitis in lecto vehemens cum calore sicco; intolerantia caloris; operimenta lecti removere gestit; quum ea removit autem, friget. (*H.*)

Si diu in lecto immobilis decumbit, calor oritur, maxime capitis, quod modo hinc, modo illinc, in lecto ponere cogitur. (*H.*)

300. Post evigilationem matutinam per totum corpus calor siccus. (*H.*)

Sensus quasi a frigiditate totum corpus occupante, licet calore utatur sufficiente (p. 1 horam). (*H.*)

In dorso et femorum parte anteriore frigus, mane. (*H.*)

Frigus, vesperi maxime. (*H.*)
Appetentia aëris liberi. (*H.*)

305. Sitis sine calore externo, pupillis parum dilatabilibus (post 1 horam). (*H.*)
Sitis aquae, praesertim noctu (post 48 horas). (*H.*)
Halitus, praesertim nocturnus, acidus. (*H.*)
Crebri anxii sudores fugaces in toto corpore, nocte. (*H.*)
Febris matutina: primum frigus, deinde caloris accessus. (*H.*)

310. Dolor periostei omnium ossium molestissimus, stringens fere per omnia membra, in accessu febris intermittentis. (*H.*)
Febris: horror super totum corpus in capite, simul cum calore capitis, rubore et calore faciei, manibus frigidis et sensu quodam contusionis in lumbis, dorso et brachiorum latere anteriore. (*H.*)
Febris: inter oscitationem ante frigus magna sitis, potio crebra; — tum etiam inter calorem sitis, sed potio modica. (*H.*)
Frigus febrile cum horrore sine siti. (*H.*)
Angoris cum calore supra totum corpus accessus parvi reiterantes. (*H.*)

315. Post cephalalgiam, prima hora exacta, frigus internum et externum et angor continuus. (*H.*)
Vespere sanguinis ebullitio cum capitis gravitate; pulsus per totum corpus perceptibilis. (*H.*)
Sensus ardoris faciem occupantis, cum sensu caloris corporis jucundo (post dimidiam horam).
Calor internus magnus, manibus et pedibus frigidis, cum horrore per totum corpus.
Sudor lenis inter evigilationem e somno.

320. M o r o s i t a s e t a n x i e t a s h y p o c h o n d r i a c a ; a d n e g o t i a q u a e v i s s e g n i s . (*H.*)
Corporis et animi inquietudo (expers tamen anxietatis verae), quasi quis a negotio quodam necessario prohiberetur; simul abhorrescentia negotiorum. (*H.*)
Animus irritabilis, sensibilis.

Pavor et terror ob res parvi momenti inopinatas.
Animi abjectio, cogitationes evanidae.

325. Post ambulationem sub dio non pronus ad cogitandum et loquendum, licet antea fuerit admodum laetus.
Animus morosus, qualis post rixam.
Taedium negotiorum. (*H.*)
Indifferentia erga negotia. (*H.*)
Animi hyperaesthesis; propensio in animi affectus jucundos et injucundos, sine corporis debilitate aut hyperaesthesi. (*H.*)

330. Hyperaesthesis; ad ridendum parata; cum ingrati quid aegrotae diceretur, tam aegre id tulit, ut indignabunda in fletum prorumperet. (*H.*)
Morositas, primum alia atque alia appetit, eadem deinde fastidit. (*H.*)
Obloquitur, accuratiorem scientiam cujuslibet rei sibi vindicans; quaecunque aguntur, ei displicent. (*H.*)
Morositas; cum quovis rixandi cupidus. (*H.*)
Reluctatio pertinax. (*H.*)

335. Morositas imperiosa (post aliquot horas). (*H.*)
In terrorem proclivitas. (*H.*)
Lacrymatio. (*H.*)
Meticulositates; anxiae meticulositates malorum futurorum. (*H.*)
Spei abjectio. (*H.*)

Observata medicorum veteri doctrinae addictorum.

Soda. (*A. Crichton*, in Samml. br. Abh. für pr. A. XIII. 3.)
Vomitus sanguinis coagulati. (*de la Marche* Dissert. de Arnica vera. Halae 1719. p. 15—22.)
Excrementa sanguinea, purulenta. (*Pelargus* Obs. I. p. 263. 264.)

Haemorrhoides coecae. (*Collin*, Obs. circ. morb. IV. p. 5. et V. p. 108.)

(5) Effusio largior urinae subrubrae, quam pro copia potus hausti conveniebat. (*Collin*, l. c.)

Sputa sanguinea e pectore. (*a Thuessink* Waarnem. Groning. 1805.)

Angustia pectoris cum anxietate et dolore abdominis et capitis. (*de Meza*, l. c.)

Oppressio pectoris summa. (*Fehr* in Ephemerid. Nat. Cur. Ann. 9. 10.)

Sudor pectoris ruber. (*Vicat* mat. med. I. p. 20. et 362.)

(10) Sensus quasi a liquore in medullam spinalem vi injecta. (*Collin*, l. c.)

Concussio quasi electrica. (*Collin*, l. c.)

Formicatio et reptatio in manibus; in artubus hinc inde dolores pungentes. (*Collin*, l. c.)

Dolor lancinans in extremitatibus inferioribus. (*Collin*, l. c.)

Sensus in cute pungens. (*Crichton*, l. c.)

(15) Ardentes et secantes hinc inde dolores. (*Collin*, l. c.)

Ictus in corpore quasi electrici. (*Crichton*, l. c.)

Dolores vehementissimi, ita ut multi, vesanorum instar, unguibus parietem sive solum raderent; non ultra horam durantes (**statim post sumtam arnicam**). (*de la Marche*, l. c.)

Atropa Belladonna.

(Succus plantae integrae sub florescentiae initio recens expressus, cum pari spiritus vini ponderis parte mixtus.)

Herbam in horto (humo tamen paulo aridiore, optime in collis devexo) satam, viribus medicis ei, quae sponte germinat, paulum vel nihil cedere expertus sum, quamvis plures medici, solam sequentes opinionem, contrario modo rem se habere voluerint.

Jam ex hac serie symptomatum pleniori facile intelligi licet, belladonnam multis malis, quae haud raro medico occurrunt, similitudine respondere et eam ob causam ad morbos lege homoeopathica sanandos crebro, polychresti instar, esse accommodatam.

Homines illi pusilli, qui naturam virosam belladonnae accusant, tanti medicaminis auxilio destituti, magnum aegrotorum numerum interitui eripere nequeunt, nec decantata saepenumero ab iis naenia, satis multa esse remedia, eaque probata ac leniora, quae ei utiliter possint substitui, aliunde quam ex ignorantia profecta est, quum remediorum aliud pro alio neutiquam possit substitui.

Quam saepe ex. gr. graviores illae anginae species (imprimis, quae cum externo colli tumore conjunctae sunt) venaesectione, hirudinibus, emplastris vesicatoriis, gargarismatibus, cataplasmatibus emollientibus, pulveribus temperantibus, diaphoreticis et laxantibus juste et copiose adhibitis, fieri solent mor-

tiferae, quae sine omnibus istis cruciatibus **una** belladonnae dosi minima paucas intra horas sanari potuissent! —

At quaenam medicina vera, quum ab homine virtutum ejus ignaro adhibetur, non erit noxia, perniciosa atque venefica? — Idem erit unaquaevis profecto naturae fortioris medicina, si morbo incongruo dosibusque nimis magnis propinatur, ergo culpa tantum medici. Quae quidem medicamina, per se etiam fortissima atque acerrima, mitissima rursus fiunt, dosi satis diminuta, nec humano corpori vel infirmissimo ac tenerrimo saluberrima sese non praebent, modo ut, praeter dosin, quam justo minimam consulto dederis, morbus iisdem fere symptomatibus contineatur, quae id ipsum medicamen per se efficere posse, expertus es. Nimirum in tam valida, quam belladonna se exhibuit, medicina secundum legem homoeopathicam eligenda, summa cura adhibenda est, de cujus praecepti veritate, ut constat, medici, qui e formulis aliquot medicis, memoriae mandatis, cuicunque morbo mederi conantur, adhuc sibi nullo modo persuadere potuerunt.

Jam vero experimentis in homine aegrotante centies repetitis edoctus, ut ad decillionariam belladonnae succi dilutionem non descenderem, facere non potui, ex qua guttae partem minimam ad quemvis morbum, qui huic medicamento omnino respondeat, sanandum, expertus sum.

Gutta belladonnae (ut aliarum herbarum) succi expressi, aequalibus spiritus vini partibus mixti, pro unitate habetur, et brachii (cujus manu vasculum vitreum mistioni idoneum tenetur) motu sursum deorsumque decies circiter repetito, una cum guttis centum spiritus vini quatitur, ut dilutio oriatur, cujus

guttula quaevis parte guttae primae centesima imbuta sit; quae rursus centenis spiritus vini guttis quassando eundem in modum intermixta dilutionem praebebit, cujus guttulam quamlibet pars guttae primae decies millesima implevit, cujus guttulam, quum denuo guttis centenis spiritus vini concutiendo miscueris, dilutio millionaria efficietur (in omni guttula partem primae guttae millies millesimam continens).

Ita in vasculis hujusmodi vitreis triginta iterum iterumque miscendo ad decillionariam usque dilutionem descendetur, quam ad sanandos omnes, qui belladonnae virtuti accommodati fuerint, morbos medicus homoeopathicus solet adhibere.

(Eodem modo succus ceterarum herbarum expressus diluitur.)

Dosibus istis, quas modo diximus, minimis adhibitis, belladonna acutissimis ipsis, qui quidem ex lege homoeopathica congruant, morbis medetur, quamvis rursus mala etiam diuturnissima eodem modo tollat, quum majorum dosium vis ad tres usque hebdomades atque ultra protendatur. (Hydrophobia belladonnae dosi minima, tertio vel quarto quovis die repetita, certissime solet vitari, una vero, vel duabus omnino dosibus sanari.)

Omnes fere scriptores, nihil praeter opinionem et aliorum auctoritatem secuti, acetum belladonnae antidotum esse, posuerunt, quamvis hoc omni veritati repugnet, utpote quum, majorum belladonnae dosium vim magis etiam aceto adgravari, crebrius expertus sim*).

---

*) Stapf etiam cephalaeam, e belladonnae usu ortam, aceto circa frontem applicato ad summum augeri, observavit, quare istud removeri opus fuit.

Symptomata paralytica et tormina, quae belladonna efficere solet, opio, quamvis curatione antipathica et quasi sopiente, perinde sedantur, ac soporem inde natum ejusdem dosibus minimis exstingui, verisimillimum est.

At stupor, mentis alienatio et furor, belladonnae usu effecti, una vel altera hyoscyami dosi parvula celerrime atque certissime tolluntur; ebrietatem vero solam cum Trajano et Moibano, vino jam deleri, experientia edoctus sum.

Ubi parva belladonnae dosis, praeter legem homoeopathicam adhibita, propensionem in lacrymas cum frigore et cephalaea genuerit, aeque parva dosis pulsatillae curationi inserviet.

Ceterum congruo auxilio quam maxime opus est, ubi magnam belladonnae quantitatem, v. c. baccas, homo devoravit. Tum vero coffeae potus fortior, copiose adsumtus, quum stuporem tetanique speciem, quamquam non nisi curatione antipathica, tollat, baccarum vomitum certissime adjuvat, dum longioris pennae apice ad evomendum pharynx excitetur.

Tumores, ad erysipelatis similitudinem accedentes, belladonna producti, Calcariae sulphuratae copiola mox exstinguuntur.

Quae a me facta est observatio, belladonnae vim (dosi minima sexto vel septimo quovis die repetita) obsistere scarlatinae verae, erysipelati simili, laevi, qualem Sydenham, Plencitz et alii descripserunt; hujus observationis veritatem per undeviginti annos permulti medici calumniis petierunt atque irriserunt, qui, singularis hujus puerorum morbi plane ignari, purpuram miliarem, ab anno inde MDCCCI e Belgia huc invectam, cum illo satis temere confundentes et falso „scarlatinae“ nomine appel-

lantes, remedium ad vitandam scarlatinam veram atque curam a me commendatam, in hac purpura *), ut aliter fieri non poterat, frustra experti essent. Jam nunc gaudeo, quod alii medici scarlatinam veterem eamque veram annis recentioribus denuo animadverterint, nec non, belladonnae in eam viribus probatis, a diuturna injuria me vindicarint. *Gr.*

---

*) Purpura miliaris, quum longe alius morbus sit, ad aliam etiam invitat curationem. Quam ob rem belladonna utique utilitatis nihil adfert, nec vero vulgaris medendi ratio, quin aegroti plurimi inde moriantur, prohibere potest, quorum omnium sanatio perficietur, si modo Aconitum, modo Coffeae crudae tinctura, illud contra calorem, inquietudinem adgravescentem angoremque summum, qualis esse solet instante morte; haec contra dolores nimis graves et propensionem in lacrymas — aconiti succi expressi octillionesima, coffeae crudae tincturae millionesima dilutio, utrumque medicamentum unius guttulae minima particula, duodecima, decima sexta vel vicesima quarta quavis hora, unum alterumve, prout alterutrum aptum fuerit, adhibeatur.

Symptomata.

Accessus vertiginis cum stupore mentis, per aliquot sexagesimas (post horam duodecimam). (*H.*)

Vertigo, quasi res vacillarent, ultro citroque moverentur.

Vertigo capitis cum nausea, qualis e versione in gyrum cita, vel e vigilia nocturna post somnum matutinum oriri solet.

Sensus, quasi in gyrum circumageretur, in capite similisque in scrobiculo, post surrectionem inter eundum ita ingravescens, ut cernere oculis nihil possit — scotomia oriatur.

5. Vertigo, tanquam omnia in gyrum verterentur (post horam primam).

Stupiditatis in capite et gyrationis sensus, in aëre libero levatus, in cubiculo ingravescens (post horae quadrantem).

Vertiginis accessus inter quietem ac motum.

Vertiginis instar sensus nutationis in toto capite inter sessum.

Stupor mentis. (*H.*)

10. Obnubilatio capitis, cum tumoribus glandularum in nucha (post horam sextam). (*H.*)

Perturbatio sensuum per diem integrum, ut nesciat, quid faciat.

Totum caput turbidum per multos dies.

Sinciput obnubilatum, quasi a nebula premente, maxime sub frontis osse, rursum prorsumque migrante.

Capitis obnubilatio et obrutio, ut a nimio spiritus frumenti potu et a tabaci fumo inducto,

— etiam quasi ab ingrato crapulae incipientis sensu.

15. Capitis obrutio, motu aucta.
Inebriatio; — a cibo sumto et a cerevisiae potu minimo statim inebriatio. (*H.*)
Ad nullos labores literarios pronus animus.
Animi et corporis languor.
Phantasia aucta, imaginum gratarum abundantiam progignens.

20. Nasus ei esse videtur pellucidus.
In sinistro capitis latere locus pellucidus ei esse videtur et fusco maculatus.
Sui impotens, quasi somnians sedet.
Mentis absentia — saepe attonitus cubat.
Memoriae summa debilitas; quidquid modo meditabatur, statim obliviscitur, nec in memoriam revocare potest. (*H.*)

25. Inter capitis dolorem memoria evanescit; obliviscitur quae modo cogitabat, nec recordari potest.
Animus turbatus; in negotiis gerendis facile errat, et, quae modo apud se constituerat, obliviscitur.
Modo haec, modo illa in mentem ei veniunt; rite cogitandi impotens, quae modo cogitavit vel legit, statim obliviscitur.
Quasi a stupore cerebri, cephalalgia. (*H.*)
Frigiditatis sensus in cerebro, circa frontem mediam (post dimidiam horam). (*H.*)

30. Sanguinis inter pronationem ad caput congestio, cum capitis gravitate et vertiginis sensu. (*H.*)
In frontis parte superiori gravitas, vertiginem et inebriationis sensum gignens (post diem decimum quartum). (*H.*)
In capite gravitatis sensus, quasi a dormituritionis accessu; omnium rerum aversatio. (*H.*)
Cephalalgia nonnisi supra oculos, quasi a gravitate in capite, mane inter evigilationem, oculus tactu dolorosus. (*H.*)
Totius capitis, ut a crapula, gravitas.

35. Caput grave, quasi prolapsurum esset.

Mane cephalalgia, quasi quid in fronte supra arcum superciliarum delaberetur, oculorum apertionem impediens (post horam quartam).

Sensus, quasi a pondere premente a medio cerebri adversus tempora, diminuto utrinque auditu.

Pressio in imo cerebro supra totum caput, inter ambulationem in aëre libero, et post eam. (*H.*)

Dolor capitis continuo premens in alterutro hemicranio (post nychthemeron). (*H.*)

40. Dolor capitis in fronte premens, quasi a lapide, decubitu capitis et pronatione levatus, cum pupillis dilatatis et morositate ejulatoria ob minima (post horam tertiam). (*H.*)

Dolor capitis, quasi cerebrum foras premeretur, paulo supra orbitas in fronte, apertionem oculorum impediens, decumbere cogens, pupillas maxime contrahens, vocem submittens (post horam quintam, nychthemeron). (*H.*)

Dolor capitis trahens et expandens continuus, quasi pondus in eo ictus ad instar oscillaret vel liberaretur. (*H.*)

Dolor immanis, hinc et illinc cerebrum punctibus obtusis seu pressoriis permicans. (*H.*)

Vesperi punctus aliquot magni, immanes, veloces, fulminum instar, in occipite pone ipsam aurem (post diem sextum). (*H.*)

45. Furunculus dolorosus in tempore. (*H.*)

Per horam capillorum defluvium copiosum, tum cessans (post nychthemeron). (*H.*)

Capilli antea idioelectrici, nunc minime (post nychthemeron). (*H.*)

Dolor deorsum trahens in temporibus et in orbita dextra. (*H.*)

Dolor a tempore ad orbitam dextram transverse trahens. (*H.*)

50. Dolor capitis premens, maxime in inferiori frontis parte paulo supra nasum, sub incessu intolerabilis.

Capitis dolor supra orbitas, quasi cerebrum impremeretur, oculos claudere cogens.
Dolor premens sub dextro frontis tubere, mox frontem totam occupans (post decem sexagesimas), interdum tantum levatus, tum autem eo gravius recrudescens.
Dolor in tempore sinistro introrsum premens, vehemens, hoc capitis latere suffulto, totum sinciput occupans (post horae quadrantes tres).
Dolor in dextri temporis regione premens, dum caput manu suffulcitur, in dolorem dirumpentem degenerans et ad dextrum frontis tuber tendens (post horam octavam).

55. In capite hic et illic pressio, locum magnum quovis impetu occupans.
Capitis dolor premens in fronte, motu ita auctus, ut oculos claudere cogat, sessu levatus; ad decubitum invitans, quo exstinguitur; inter surrectionem statim recrudescens et per biduum durans, nec pastu, nec potu auctus; inter eundum in aëre libero dolor, quasi frons imprimatur, ut a lapide gravi; tertio die inter sessum in cubiculo omnino cessans.
Dolor, quasi caput utrinque cochlea contortum et extenuatum sit.
Intensio cerebri totius continua.
Dolor in toto capite vehementer foras premens, dirumpens (post horam tertiam), in aëre libero et inter tussim valde auctus, quam ob rem tussire timet (post horam tertiam et dimidiam, quartam).

60. Inter pronationem dolor, quasi adversus frontem omnia niterentur.
Sensus, quasi cerebrum adversus frontem niteretur, capite paululum supinando statim restinctus (post horam primam et quadrantem).
Cephalaea in fronte, gressus saepius cohibens; inter quemvis gressum sensus, quasi cerebrum in fronte vicissim laberetur et tolleretur; pressio-

ne fortiori externa diminuitur (post horam sextam).

Arteriarum in fronte pulsatio insignis cum dolore, quasi frontis os avelleretur.

Pulsatio insignis in cerebro a parte anteriori in posteriorem et utrumque latus versus, externe in punctus dolorificos desinens.

65. In temporibus dolor foras premens et secans, sensim auctus, per cerebrum penetrans ibique in pulsationem fortissimam transiens, in quovis positu manens.

In capite hinc inde pressio lancinans.

In dextro capitis latere, non minus, quam in gena, dolor terebrans et pulsans, quovis motu auctus.

Dolor capitis interdiu terebrans et premens locis diversis, vesperi pungens.

Sub dextro frontis tubere dolor terebrans, mane paulo post evigilationem.

70. Per intervalla commovens capitis dolor, accelerato gressu et scalarum adscensione cita ingenter exasperatus, quoties pes terrae infigitur, quasi pondus sit in occipite, deorsum vellens (post horam quadragesimam octavam).

Totum caput, ut a punctione, dolorosum, magis in fronte.

In utroque frontis tubere dolor foras, quasi acuta cuspide, pungens (post horam secundam).

In dextro frontis tubere punctio vehemens, inter pronationem ingravescens, tactu levata (post minutam quintam).

Punctus per caput, quasi a cultro ancipite, vesperi.

75. In dextro capitis latere punctus secantes, quasi a cultro ancipite, tum in sinciput, deinde in verticem, postea in occiput tendentes, nulli parti incumbere sinentes.

Punctus tres, vehementes, per caput a fronte ad occiput usque, ex quo repente omnis cephalaea, quae adhuc vexaverat, evanuit (post horam tertiam et quadrantem).

In vertice capitis dolor torquens, itemque modo ruens, modo lancinans, pressione externa summopere auctus, cum sensu, quasi cranium nimis tenue et fragile esset.

Capitis dolor, quasi cranii suturae divellerentur, et quasi cranium vectis ope dirumperetur.

Sanguinis ad caput congestio, sine calore interno; inter capitis resupinationem sensus, quasi sanguis illuc pelleretur.

80. Totius capitis dolor externus, qualis a capillorum vellicatione remanet.

In dextro capitis latere simulque in brachio dextro dolor trahens inter quietem (post prandium).

Dolor in frontis tubere crampoides vehemens, supra os zygomaticum ad mandibulam usque deorsum tendens.

Pustulae rubrae, haud dolorificae, in tempore, in dextro oris angulo et mento erumpentes, serum sanguinolentum fundentes inter scalpendum (post horam decimam tertiam).

Capitis tumor.

85. Tanta capitis externi sensibilitas, ut tactu minimo, immo capillorum pressione externa doleat.

Dolor formicans et premens (ut ab arenula) in oculis, fricare cogens (post horam primam). (*H.*)

Pupilla contracta, aegre dilatabilis. (*H.*) *)

Pupillae dilatatae. (*H.*)

Pupillae maxime contractae per diem integrum, tum demum (vesperi) dilatatae; — pupillae constrictio (post decimam sexagesimam, hor. primam et quadrantem, secundam et dimidiam).

90. Pupillae dilatatio post semihoram incipiens, postea paulatim augetur; — pupillae vesperi,

---

*) Symptomata 87. 89. cum symptomatibus 88. 90. 91. alternari solent. Utravis potior sit, difficile dictu erit, quamquam pupillae dilatationem constrictioni praeponderare, verisimilius sit. Nota interpretis.

adeo prope admota candelae flamma, maxime dilatatae (post horam duodecimam), — etiam postea, e die tertio, magis latae quam pridem.
Papula albida in pupilla sinistra, summopere dilatata.
Palpebrae diductae, latius apertae. (*H.*)
Mane albuginea rubro radiata, cum dolore premente. (*H.*)
In oculis caloris sensus, quasi vapore calido circumfusi essent. (*H.*)

95. Inflammatio oculorum, albugineae vasorum turgescentia, cum titillationis sensu. (*H.*)
Albuginea flavida. (*H.*)
Lacrymosi sponte oculi. (*H.*)
Infra oculum sinistrum dolor trahens, sursum petens. (*H.*)
Continuus per diem integrum palpebrae superioris dextrae tremor et vibratio, postremum cum dolore.

100. In palpebra inferiori, ad canthum internum versus, dolor pulsans, cum tumore inflammatorio insigni ibidem et lacrymis multis, per semihoram (post horam tricesimam secundam).
Oculi collabuntur et aquosi fiunt. — Gravitas in oculis, maxime in palpebra superiori.
Post evigilationem mane oculi sua sponte clauduntur, nec aperiri possunt, nisi post surrectionem e lecto.
In interno oculorum cantho punctus prurientes, fricatu non nisi per paululum temporis restincti (post horam primam).
Internus oculi sinistri canthus vel inter levem tactum maxime dolet.

105. In utroque oculo mordax dolor; — oculi aqua salsa continuo superfusi.
Ardens siccitatis sensus in utroque oculo, vicissim in uno alterove auctus (post hor. septimam).
In oculis calor auctus, calorisque sensus.
Oculorum ardor cum pruritu doloroso; dum vero oculi sursum premuntur, utrumque desinit (post horam vicesimam octavam).

Ophthalmia, conjunctiva vasis rubris notata, cum dolore pungente, oculi aquosi.

110. Oculi mane omnino pure conglutinati.

Tumor et inflammatio suppuratoria puncti lacrymalis sinistri, initio cum dolore ardente, postea premente, per triduum (post diem quartum).

Pressio universalis in utroque oculo, quasi aqua durior ex puteo hausta ei inhaereat, vel ut ab arenula illapsa (post horam secundam et dimidiam).

Oculis clausis, dolor premens in bulbo oculi intimo.

Quasi a nebula premens dolor, orbitam dextram petens et inde frontem invadens vicissimque rediens.

115. In oculis pressio cum lacrymis, maxime mane.

In orbitis dolor; modo sensus, quasi oculi evellerentur, modo dolor (isque crebrior), quasi in caput retruderentur, una cum dolore e fronte in oculos premente.

Visus quasi obtenebratio, scotomia (post horam primam et quadrantem).

Ut a nebula, visus obtenebratio.

Sensus, quasi nihil oculis cernat; at cernit, dum videre apud se constituit et nititur.

120. Ante oculos circulus magnus, versicolor, candelae flammam cingens, maxime coloris rubri; interdum flamma in radios omnino dispesci videtur (post horam decimam quintam).

Ante oculos flammae, dum manum in gena tumida ponit, et aër nebulae instar esse ei videtur.

Opinatur videre in tecto cubiculi stellam albidam, disci magnitudine, nebulasque leves argenteas a sinistra ad dextram versus transeuntes — pluries et diversis locis.

Visus duplex.

E propinquo nihil oculis agnoscit, e longinquo omnia dupliciter videt.

125. In oculis sensus, quasi extus emineant.

Oculi prominentes, pupillis dilatatis (post horam sextam).

Instabilitas capitis, manuum (post horam sextam). (*H.*)

Capitis calor et rubor (post horam primam), ac faciei calor per diem integrum, quasi a sanguinis ad caput congestione, quae vino poto fieri solet (post hor. duodecimam); faciei tumor. (*H.*)

Sudor faciei solius. (*H.*)

130. Caloris in facie sensus sine rubore externo (post horam octavam).

In tota facie caloris ardentis sensus, sine genarum rubore et sine siti, cum modico corporis calore pedumque frigiditate (post horam quartam).

Rubor faciei insuetus calorque insignis, sine sudore (post nychthemeron, horam tricesimam), — frigidis etiam extremitatibus, cum cephalaea immensa.

Mane inter expergiscendum locus parvulus livide ruber in gena sinistra, sensim auctus, donec tumor ex livido rubens totam occuparet genam et buccam, cum dolore ardente et pungente in ipso loco rubente, terebrante et pulsante in gena tota, inter motum immense aucto; diebus aliquot post alterius quoque genae tumor oritur et per octo dies durat.

Genarum tumor cum dolore ardente.

135. Dolor lancinans in aure externa et interna versus inferiora. (*H.*)

Dolor pungens in parotide. (*H.*)

In glandula, in colli latere, punctus.

Punctus vehemens in parotide dextra ad aurem externam usque, ibique crampoides remittens (post horam secundam); postridie eadem hora repetitus (post horam vicesimam sextam). (*H.*)

Surditas, quasi a velo auribus protenso. (*H.*)

140. Primum in aure strepitus, quasi a tubis tympanisque, et ut a vento (statim); postea susurrus et murmur, sessu maxime adgravatus, statu et decubitu diminutus, eundo maxime levatus. (*H.*)

Punctus in aure interna, cum baryecoia. (*H.*)

Punctus in aure interna inter ructus ingesta redolentes (post hor. duodecimam). — Punctus e maxilla superiori in aurem internam tendentes. (*H.*)
Dolor in aure dextra externa et toto faciei latere deorsum lancinans (post nychthemeron). (*H.*)
Inter manducandum in dextro maxillarum articulo dolor vehementer pungens in aurem usque, etiam post manducationem persistens, magis tamen tum vellens.

145. In meatu auditorio externo punctus.
Sensus ingratissimus, quasi auris dextra violenter e capite evelleretur.
In auribus et temporibus per vices dolor evellens et introrsum premens, cum dolore in orbitis simili alternans.
Auris sinistrae otalgia (post diem quintum).
In aure interna ictus acuti cum constrictione, ut otalgia.

150. Pone aurem sinistram musculi ad collum usque, ut a pressione gravi, dolent, itidem musculi frontales.
Ictus secantes introrsum per processum mastoideum (post horam duodecimam).
Humoris puriformis ex auribus effluxus, per dies viginti.
Auditus sensibilitas aucta.
P u s t u l a e p a r v a e i n b u c c i s , i n n a s o e r u m p e n t e s , c i t o p u r u l e n t a e e t c r u s t a t e c t a e. (*H.*)

155. Odoratus nimis sensilis; fumi tabaci et fuliginis odor intolerabilis (post horam primam). (*H.*)
In naribus quasi ovorum putrentium odor, per horae quadrantem (post horam quartam).
Epistaxis (statim) noctu et mane. (*H.*)
In naso, supra naris pinnam, intus dolor inter tactum, quasi a contusione. (*H.*)
Punctiunculae in nasi apice a vespera inde per noctes. (*H.*)

160. Nasi apicis rubor subitaneus, cum sensu ardente. (*H.*)

Exulceratio narium dolorosa in latere, ubi cum labio superiori cohaerent. (*H.*)

In nasi ossibus dolor premens.

Naris sinistra maxime dolorosa, mane pure conglutinata (post hebdomadem sextam).

Labiorum anguli et nares exulceratae, non prurientes, nec dolorosae. (*H.*)

165. Labiorum angulus et ipsa commissura ulceratae dolore vehementer lacerante circumcirca, adeo inter quietem et sponte sua (post horam quintam). (*H.*)

In labiorum angulo ulcus margine rubro, cum pruritu exedente. (*H.*)

In labio superiori pustula, cum dolore per se formicante, inter tactum pruritive pungente. (*H.*)

Labii superioris tumor summus, cum tensione, si os hiscit. (*H.*)

Labia, maxime superius, in medio finduntur inter sternutationem et tussim. (*H.*)

170. In labii margine, et ab angulo et a medio aequaliter remota pustula, in ulcus crustosum degenerans et quasi ex inflammatione dolens. (*H.*)

In labio superiori dolor trahens; secundo tumore rubro.

Vulneris sensus in angulis oris, quasi exulcerarentur (post diem quintum, sextum, septimum).

Pustulae parvae, una in labio superiori juxta dextram nasi alam, crustosa, — altera infra marginem et in cuticula interna labii inferioris, utraque cum mordace dolore, ut ab aqua salina.

In inferioris labii margine externo dolor ardens cum vesiculis parvis (post nychthemeron).

175. Pustulae intra labium et mentum pure refertae, cum dolore ardenter mordace, idque maxime noctu (post diem sextum).

Trismus (diurnus); quasi a rigiditate dolorosa musculorum masticatoriorum, maxillas aperiendi impotentia. (*H.*)

In maxillae inferioris angulo tuber rubrum, durum et per se non dolens, inter pressionem externam cum dolore quasi pungente. (*H.*)

Pustularum miliarium parvularum multitudo in mento, ardente inter tactum dolore (post diem tertium).

Punctus acuti in mento (statim) et in inferiori mandibulae margine, lateris dextri.

180. Punctio et tensio in mandibula ad aurem versus.

Sensus, quasi mandibula retractior esset; dum ea protrahitur, dolor vehemens, inter mordendum immanis.

Colli glandularum tumidarum dolor nocturnus, inter deglutitionem nullus.

Capite retracto, in lecti stragula alte sese immergere nititur, noctu.

Colli rigiditas, quo minus caput ad latus declinetur impediens.

185. Nuchae rigiditas.

In colli musculis lateris dextri dolor tractim premens.

Sensus premens in sinistro laryngis latere, pressione externa auctus (post dimidiam horam).

Colli arteriarum pulsatio, quae tactu sentitur.

In nucha circa vertebram secundam et tertiam punctus vehementes, crebro repetiti, erecto capite (post horae quadrantes tres).

190. In gingivis, inter tactum, quasi ab ulcere dolor; ibidem calor cum vulsione et pulsatione. (*H.*)

Dentes inter mordendum dolorosi, quasi radices ulceratae et in eo essent, ut defringerentur. (*H.*)

Dentium dolor cum tractione in aure. (*H*)

Inter haustum aëris liberi dentium, quasi a vulnere, dolor simplex, aequaliter durans (post horae quadrantem). (*H.*)

Dolor pungens in dente molari superiori, carioso, per diem integrum, somnum noctu impediens, secundo buccae tumore. (*H.*)

195. Dentium dolor vesperi post decubitum et inter laborem literarium; dolor in radicis nervo, quasi a vulnere, retusus, et dum adgravatur, dolori disscindenti continuo similis. (*H.*)

Non inter pastum, sed aliquot post pastum sexagesimis dentium dolor, paulatim ad summum ingravescens itidemque remittens; post potum nullus. (*H.*)

Vulsiones seu glocitationes singulae summe dolorosae, in radicum nervis unius, vel complurium dentium. (*H.*)

Gingiva dentis cariosi sanguinem fundit (post diem sextum).

Dolor lancinans in dente inferiori carioso et in vicino dente integro, hauriendo aëre vel capiendo cibo immensum auctus (post diem quartum).

200. Dentium dolor acute trahens ab aure deorsum in dentes cariosos usque maxillae superioris, ubi terebrans fit, inter pastum levatus, post pastum auctus, interdiu nunquam cessans, noctu maxime adgravatus somnumque omnino impediens (coffea pota mutatur in dolorem ictibus obtusis invadentem et terebrantem).

I n dentium serie superiori dextra per noctem integram dolor trahens, obtusus, somnum impediens, ibique gingivae tumor nonnullus (cum dolore ardente), inter tactum calidus; interdum ictus in dentibus dolorosi.

Imbecillitas organi loquelae balbutiens, mente constante, pupillis dilatatis (post horam secundam, tertiam). (*H.*)

Paresis loquelae organi et loquelae difficultas, respiratione difficili et languore summo post anxietatem. (*H.*)

Aegre loquitur, voce exili, pipiente. (*H.*)

205. Vox submissa cum capitis dolore, quasi cerebrum foras premeretur, paulo supra orbitas, in fronte, qui dolor quo minus aperiantur oculi impedit et decumbere cogit, pupillis summopere contractis. (*H.*)

In ore quasi dilatationis sensus, tanquam lingua inferius quam loco suo locata.

In lingua sensus, quasi sit narcosi affecta et pelle obducta, mane.

Frigiditatis ac siccitatis sensus in anteriori linguae dimidio.

Tota lingua, maxime tactu, dolet.

210. Lingua fissilis, albida, cum salivatione copiosa.

In linguae albae medio dolor mordax insignis, quasi a vesicula ibi nata (post diem tertium).

In linguae apice sensus, quasi vesicula ibi erupisset, ardente inter tactum dolore, per biduum.

Linguae papillae rutilae, inflammatae, valde tumidae (post diem tertium).

Pituita in ore viscida.

215. Pituita in ore copiosa, maxime mane postquam surrexit, interdum saporis putridi; — etiam mucus in ore tenax cum siccitatis sensu.

Sapor in ore pituitae tenacis. (*H.*)

Os pituita obductum cum sensu, quasi ab anima ex ore foetida, ut in cruditate. (*H.*)

Mane pituita in ore copiosa, ad screatum, quo ejicitur, identidem invitans, post pastum evanida. (*H.*)

Os mucaginosum inter experrectionem e somno mane, cum dolore capitis premente (brevi utrumque desinit). (*H.*)

220. Salivatio. (*H.*)

Excoriatio in buccis, ubi Stenonis ductus finitur. (*H.*)

Siccitatis summae, immensae sensus in ore humido, cum pituitae viscidae sensu et siti intensa — lingua semper madida.

Sensus siccitatis oris magnae, cum animo perquam irritabili, ore et lingua humidis. (*H.*)

Sensus in ore siccitatis summae; parum pituitae tenacis in lingua, labiorum calor et deglubitio. (*H.*)

225. Gulae ac faucium constrictio ob siccitatem oris nimiam; pituita nulla aderat, cum siti modica; inter lactis potum deglutitio expedita.

In palato crudi vulneris sensus, maxime inter linguae attactum et inter manducandum dolorosus, quasi cuticula ibi abrasa (post diem sextum, per dies plures durans).

Dolor subtiliter lancinans in superficie interna anguli mandibulae sinistri, in tonsilla sinistra et pone eam, tactu non mutatus, inter deglutitionem vehementior (post biduum).

Ore rite humido in faucibus ardor insignis, potu omnino non levatus, sacchari paululo autem, quamquam nonnisi ad temporis momentum, lenitus.

Angina; dolor in pharynge pungens et quasi a tumore interno, nonnisi inter deglutiendum et motum colli ad latus sensibilis, qui non inter quietem et loquelam, externo vero tactu percipitur in latere colli. (*H.*)

230. Anginae species: constrictio pharyngis, deglutitionem impediens*) (post horam tertiam). (*H.*)

Deglutitio impedita. (*H.*)

Impotentia deglutiendi sine dolore. (*H.*)

Continuus deglutiendi nisus et labor. Sentit quasi suffocationem instantem, nisi glutierit.

Angina; inter deglutiendum in palati velo rasionis et vulneris, quasi a tritu, sensus. (*H.*)

235. Fauces inter deglutiendum et exspuendum, magis in latere sinistro, quasi a tumore dolorosae.

Angina per singulas horas aucta; cum calore et rasionis, angustationis vulnerisque sensu.

Dolor vehementer pungens in gula inter deglutitionem et respirationem.

In faucium latere sinistro punctus, extra et inter deglutitionem aequaliter durantes.

Oesophagi constrictio momentanea, at crebro repetita, magis inter deglutitionem, quam extra eam, et postea in quovis accessu dolor scal-

---

*) Coffeae potu cessans.

pens circa epiglottidem, quasi locus crudus sit et vulneratus.

240. Pharyngis angustatio et constrictio dolorosa; inter deglutitionis, vel inanis, molimina dolor tensivus, deglutitione ipsa non auctus; pharyngis angustatae sensus jam per se dolorificus (post horam sexagesimam).

Inter deglutiendum in faucibus sensus, quasi nimis coarctatae, constrictae sint, et quasi nihil per gulam transire possit (post horam secundam).

Sensus ex abdomine adscendens, in gula premens cum vomendi nisu, sine nauseae sensu et sine vomitu.

Anorexia chronica, cibi appetitus nullus. (*H.*)

Post tabaci fumum haustum cibi appetitus evanidus. (*H.*)

245. Potus appetentia nulla, adipsia. (*H.*)

Anorexia cerevisiae, — acidorum. (*H.*)

Abhorrescentia lactis, olim ex consuetudine ac lubenter poti, ob nauseosum ac foedum ejus odorem et saporem (amariuscule-acidulum), potatione assidua evanidum.

Coffeae fastidium.

Fames cum anorexia ciborum omnium.

250. Appetitus diminutus; maxime carnium fastidium.

Anorexia cum inanitionis sensu et fame; dum edere incipit, cibi gratum sapiunt et solito modo capiuntur.

A pastu minimo sensus quidam, quasi a constrictione in ventriculo.

Statim a cibo capto quasi inebriatio (post horam sextam et dimidiam).

Adipsia.

255. Potus capiendi libido, sine siti; poculum, labiis vix admotum, jam deponit (post horam octavam).

Sitis intensa vesperi cum sapore aquatili et potulentorum omnium fastidio.

Sitis intensa potus frigidi, sine calore (post horam septimam).
Circa meridiem sitis summa (per plures dies eodem tempore rediens).
P a n i s a c i d u m s a p i t et olet; vesperi panis, butyro illiti (certe ultimi frusti) sapor acidissimus, subsequa plerumque aliqua soda, per horas duas durante (octo diebus vespere rediens) (post diem quartum). (*H.*)
260. Sapor nauseosus, lingua pura; — sapor in ore putridus post pastum. (*H.*)
Sapor in ore fatuus.
Sapor in ore putridus, ut a carne putrida, horis duabus post pastum (post horam octavam).
S a p o r p u t r i d u s e p h a r y n g e a d s c e n d e n s, v e l i n t e r p a s t u m e t p o t u m, e s c a r u m e t p o t u l e n t o r u m s a p o r e i n t e g r o.
Sapor oris nauseose dulciculus.
265. Sapor oris salse acidulus; sapor escarum salsus, quasi nimium salitarum.
Pastus initio sapor ciborum integer, repente vero partim nimis salsus, partim nullus ac fatuus, cum sensu in gula (scrobiculo colli), quasi evomendi sint cibi capti.
Sapor panis acidus.
Ructus saporis ingestorum. (*H.*)
Ructus amari post pastum. (*H.*)
270. Pyrosis (inter hauriendum tabaci fumum); quasi a rasione sensus ardenter mordax in oesophagi principio et maxime in superiori laryngis margine diu remanet (post horam secundam). (*H.*)
R u c t u u m m o l i m i n a i r r i t a, r u c t u s i n c o m p l e t i, s e m i s u p p r e s s i. (*H.*)
Ructus e ventriculo crebri.
Ructus ardenter-acidi, cum liquoris acidi corrodentis in os usque adscensione et vomendi nisu quodam.
Motus e ructu et singultu compositus ac mixtus. (*H.*)
275. S i n g u l t u s r u c t u o s u s; s p a s m u s e r u c t u e t s i n g u l t u c o m p o s i t u s. (*H.*)

Singultus vehemens, creber.
Singultus insignis succutiens, deinde ad sequentem usque paroxysmum surditas.
Post jentaculum deliquescentia nauseabunda; ante meridiem accessus crebri nauseae vomiturientis (post horam septuagesimam secundam). (*H.*)
Vomituritio inter eundum in aëre libero. (*H.*)

280. Circa noctem mediam ter evigilatio cum nisu ad vomitum irrito et sudore anxio. (*H.*)
Nisus vomendi irritus. (*H.*)
Nausea et vomituritio in gula (non in scrobiculo) cum ructibus interdum amaris, vesperi.
In ventriculo nausea vomituriens.
Post pastum in ventriculo premens dolor. (*H.*)

285. In scrobiculo pressio partim rodens; ibidem punctus. (*H.*)
Pulsatio in scrobiculo sine dolore. (*H.*)
Dolor punctim secans immanis in scrobiculo, truncum resupinare et respirationem supprimere cogens. (*H.*)
Spasmus ventriculi inter prandium chronicus. (*H.*)
Post decubitum, vesperi in lecto epigastrii inflatio, cum dolore ventriculi tensivo. (*H.*)

290. Pressio in ventriculo summa post pastum et sequentibus diebus etiam serius.
Pressio in scrobiculo dolorosa, non nisi inter eundum, lente incedere cogens (post horam quadragesimam octavam).
Sub sterno sensus, quasi ab inflatione, borborygmis in abdomine oriundis, evanidus, nausea vomituriente inde aucta.
In scrobiculo dolor constringens.
In scrobiculo punctus.

295. Tormina, tensio spasmodica a pectore ad imum hypogastrium usque, corpus ne minimum quidem commoveri permittens (post dimidiam horam). (*H.*)
Subter costas breves plenitudo; inter pronationem in scrobiculo quasi plenitudinis sensus,

cum visus obtenebratione (post diem quartum). (*H.*)

In abdomine dolor, quasi pars unguibus carperetur, corripiens, scalpens. (*H.*)

Inter pressionem in scrobiculo externam, in abdominis latere dolor foras premens. (*H.*)

Circa umbilicum coarctatio, magis meridiano et pomeridiano tempore. (*H.*)

300. Tormina stringentia, truncum incurvare cogentia. (*H.*)

Dolor arctans, uti funiculis constringens, in imi hypogastrii intestinis, cum punctibus obtusis sive ictibus versus perinaeum alternans (post horam tricesimam sextam). (*H.*)

Tormina, cum intumescentiae abdominis sensu, uti funiculis constringentia infra umbilicum, per accessus invalescentia, quae truncum inclinare cogunt (post horam quartam). (*H.*)

In hypogastrio, paulo infra umbilicum, sensus, quasi viscera foras niterentur, maxime in statu (post diem sextum).

Abdominis circa umbilicum constrictio, quasi a glomere nascituro.

305. Mane, statim post surrectionem e lecto, dolor vehementer tensive premens in hypogastrio toto, maxime tamen ad os pubis; sensus dolorosus, modo quasi hypogastrium (rarius epigastrium) spasmodice constringeretur, modo tanquam inflaretur (sine inflatione); sensim ingravescens sensimque remittens.

Dolor arctans et prehendens circa umbilicum, truncum pronare cogens.

Inter eundum in dextro abdominis latere dolor vehementer corripiens, cum punctu acuto, inde per dextrum pectoris latus sursum et in axillam usque foras tendente.

Circa umbilicum dolor corripiens summus, inde a lateribus profectus, in umbilico consistens.

In abdominis latere pressio uti forcipe, in hepatis regione, de sella surgere prohibens.

310. Dolor vehementer uti forcipe premens in imo ab-

domine, retractione abdominis et trunci declinatione ad latus sinistrum valde auctus (post horam sextam).

Punctus vehementes, quasi à cultro obtuso, intra coxam dextram et umbilicum (post horam duodecimam).

Dolor inde ab umbilici regione supra coxam sinistram ad lumborum usque vertebras circumcirca uno quasi impetu punctim secans; sub finem gravissimus (post horae quadrantes tres).

Pressio vehementer secans in hypogastrio hic illic (post horam primam).

In abdomine, in pectore et facie calor anxius, naribus obturatis.

315. Calor ex imo abdomine adscendens, sudorem anxium gignens, postea nausea vomituriens cum anxietate immensa, usque dum nausea in abdomen infimum sensim descendit.

Abdominis totius, quasi a crudo vulnere, sensus diuturnus (post horam primam).

In abdomine borborygmi sonori, cum flatuum tumultuantium sensu (post horae quadrantem).

Tormina uti forcipe prementia, trunco incurvato sedere cogentia, cum diarrhoeae moliminibus frustraneis, vomitu subsequente. (*H.*)

Tormina, quasi a pondere duro, non nisi inter eundum et standum, sessu evanida. (*H.*)

320. In inguine dextro, in annulo abdominali, inter sessum trunco pronato, sensus, quasi a corpore duro foras nitente, loco inter tactum non duro (post diem sextum).

Punctus in glandulis inguinalibus. (*H.*)

Eruptio crebra flatuum sine odore. (*H.*)

Suppressio evacuationum alvi et urinae ad decimam usque horam. (*H.*)

Sedes crebrae diarrhoicae, tenesmodae; cacaturitio crebra, quovis horae quadrante alvum deponendi nisus (post horam quadragesimam octavam). (*H.*)

325. Nisus alvum exonerandi irritus. (*H.*)

Inter alvum deponendam horror puerum perreptat. (*H.*)
Post frustraneum alvum exonerandi molimen, vomitus. (*H.*)
Cacaturitionis species, sive pressio vel impetus urgens versus anum et pudenda continuus, cum ani constrictione dolorosa alternans (post horam duodecimam). (*H.*)
Dolor constringens in intestino recto, postea in epigastrio, quasi a vulnere dolor, dein diarrhoica et pituitosa egestio celeris, postremum cacaturitio inanis. (*H.*)

330. Punctus singuli, celeres, magni in intestino recto — (inter motum) (post horam tertiam). (*H.*)
Pruritus insignis, subitaneus, dolorosus in recto et ano. (*H.*)
Excrementa granulata citrina, aliquantulum mucosa. (*H.*)
Egestiones parvae, celeres, involuntariae. (*H.*)
Inter alvum deponendi nisum, in abdomine sensus, quasi a diarrhoea nascitura, cum calore abdominis interno (post horam primam).

335. Alvus pultacea cum pituita mixta.
Initio sedes mollis, diarrhoica, postea vero cacaturitio crebra cum excretione parca vel nulla.
Sedes praeter consuetudinem deminutae; per plures dies nullae, nisi minimae, egestiones.
Cacaturitio; egestio diarrhoica quidem, sed parvula et inde cacaturitio aucta (post horam tertiam); — nisus ad alvum exonerandam creber, sine sede vel cum egestione parvula, dura.
Pressio in intestino recto ad anum versus.

340. Inter alvum deponendam niti nequit.
In ano sensus vehementer pruriens simulque uti funiculo constringens.
In vesica urinaria, quasi a verme, volutationis et torsionis sensus, sine micturitione. (*H.*)
In vesicae urinariae regione pressio obtusa, noctu. (*H.*)
Suppressio urinae et alvi, ad decem horas. (*H.*)

345. Inter somnum profundum (diurnum) urina decedit. (*H.*)
Incontinentia urinae. (*H.*)
Urina dilute citrina, limpida (post horam quartam). (*H.*)
Urina sedimenti albi, crassi (post horam duodecimam). (*H.*)
Urina turbida, feculenta, sedimenti rubri.

350. Micturitio crebra cum urinae, quamvis coloris integri, minima excretione (etiam post horam primam).
Urina aurea.
Mictio crebra.
Statim post mictum in externo praeputii margine dolor mordax. (*H.*)
Extra mictum punctus obtusi in urethra, pone glandem, maxime inter motum. (*H.*)

355. Inter mictum trahens in funiculo spermatico dolor. (*H.*)
Punctus longus per urethram, a bulbo ejus incipiens et ad ostium usque penetrans, inter eundum (post horam tertiam).
P r e s s u r a v e h e m e n s in p u d e n d a v e r s u s, q u a s i o m n i a i l l i c f o r a s n i t e r e n t u r, inter sessum trunco curvato et itum ingravescens, inter statum et sessum trunco erecto levata (post horam decimam).
In regione pubis, quasi in genitalibus internis, quovis gressu punctus vehementes (post horam decimam).
Glandulae prostratae liquoris effluxus ex pene languido. (*H.*)

360. P o l l u t i o n o c t u r n a p e n e l a n g u i d o. (*H.*)
Semen una nocte bis decedit. (*H.*)
In cogitando sexuum discrimine frigidus; imagines lascivae mentem non tangunt; rei venereae appetitu e phantasia quasi deleto. (An effectus secundus?) (*H.*)
Sudor pudendorum nocturnus. (*H.*)
In penis glande tuberculum molle non dolorosum. (*H.*)

365. Punctus magni in testiculo retracto (post horam duodecimam, decimam octavam, tricesimam). (*H.*)
Menstrua. (*H.*)
Menstruatio quatuor diebus anticipata. (*H.*)
Inter menstrua dolor lancinans crampoides, modo hic illic in dorso, modo in brachiis. (*H.*)

Vox aspera, rauca. (*H.*)
370. Sternutatio crebra.
Destillatio non nisi a nare alterutra. (*H.*)
Nares modo obturatae, modo liquorem fundentes.
Coryza cum odore in naribus, quasi halecum muriae, foetido, maxime inter emunctionem.
A quavis inspiratione ad tussiculam (siccam) irritatio. (*H.*)
375. Vesperi post decubitum in lecto titillatus pruriens in posteriori laryngis parte, tussim inevitabilem siccam et brevem gignens. (*H.*)
Sensus, quasi quid scrobiculo inhaereat, tussim continuo ciens. (*H.*)
Catarrhus, seu tussis cum coryza. (*H.*)
Bronchia quasi per pituitam tenacem angustata, ut in catarrho sicco, cum tussi sicca inde nata. (*H.*)
Oppletio pectoris (in superiori tracheae parte); per tussim expectoratio materiei, pituitae catarrhalis veteris instar, puriformis (mane in lecto et post surrectionem) (post horam decimam sextam). (*H.*)
380. Tussis vesperi (hora decima) incipiens, quovis horae quadrante et saepius invadens, binis vel ternis motibus. (*H.*)
Tussis cum sapore sanguinis in ore. (*H.*)
Mane, inter tussim, expectoratio pituitae sanguinolentae. (*H.*)
Tussis valida inter somnum cum stridore dentium (post horam decimam). (*H.*)
Punctus in sterno inter tussim et oscitationem. (*H.*)

385. Tussis accessus subsequo calore.

Tussis nocturna, saepe expergefaciens, ex qua in somnum statim relabitur.

Tussis accessus, quasi aërem pulveri mixtum spiritu duxisset, noctu e somno expergefaciens, cum pituitae expectoratione.

(Ante meridiem) tussis vehemens, sicca, quasi asperi quid tracheae illapsum sit, cum coryza (post horam tertiam).

Tussis cum punctione in latere infra costas sinistras (post horam sextam).

390. Inter tussiendum in nucha dolor vehemens premens, quasi diffringeretur (post horam tertiam et dimidiam).

Punctus in pectoris latere sub brachio dextro, versus vesperam, respirationem intercipiens. (*H.*)

Premens in pectore et intra scapulas dolor. (*H.*)

In dextra pectoris parte ardor.

In dextro pectoris latere punctus ad ima penetrans, continuus, respiratione nec auctus, nec levatus.

395. Punctus dolorosi in sinistro pectoris latere, respiratione non mutati.

Punctio momentanea, quasi a cultro obtuso, infra costas duas ultimas, juxta cartilaginem ensiformem et super costis spuriis (post minutam octavam).

Dolor pressim pungens continuus in costarum sinistri lateris cartilagine, inter exspirationem ingravescens et in sensum ardentem fere mutatus (post horam tertiam).

D o l o r p r e m e n s i n p e c t o r e, c u m r e s p i r a t i o n e c i t a, s i m u l i n t r a h u m e r o s, i n t e r i t u m e t s e s s u m.

Dolor pulsans sub sterno supra scrobiculum.

400. Pressio in cordis regione, respirationem intercipiens et angorem creans. (*H.*)

A (coffeae) potu respiratio citatior (post meridiem) (post diem tertium).

Inter eundum circa scrobiculum angustatio crebra,

sensus spasticus quidam, altius inspirare cogens (post horam primam).

Supra pectus angustatio vehemens, quasi utrinque introrsum premeretur (post horam quintam).

In pectoris parte dextra pressio, anxietatem ciens. (*H.*)

405. Vesperi in lecto pectoris angustatio quaedam, ne tussi voluntaria quidem remittens; spiritum non nisi aegre ducere potest, quasi pituita, bronchiis inhaerente, impediatur, simul cum ardore in pectore (post horam sexagesimam). (*H.*)

Inquietudo summa et pulsatio in pectore. (*H.*)

Inter scalarum adscensum in corde glocitatio, — cordis palpitatio quaedam.

Punctus in mamma (post horam tertiam). (*H.*)

Lac infunditur mammis (feminae non gravidae) et destillat; in mamma sinistra pustulae oriuntur parvae, dispersae, formicatim prurientes cum sensu grato inter fricatum. (*H.*)

410. Cum tussi dolor in dorsi spina rodens, ibidemque dolor simul pungens et rodens. (*H.*)

Intra scapulas dolor immanis, in dorso deorsum trahens, vespere. (*H.*)

Punctus subinde repetiti, quasi electrici, a scapula sinistra ad dextram versus tendentes (post horam primam).

Furunculus in humero. (*H.*)

Intra scapulas et in nucha rigiditas dolorosa inter vertendum collum et caput rursum versum, mane (post horam decimam sextam). (*H.*)

415. In collo externo dolor premens inter resupinationem capitis et tactum. (*H.*)

Pustulae parvae in nucha et in brachio erumpentes, cito purulentae et crusta tectae. (*H.*)

Glandulae tumidae in nucha cum capitis obnubilatione (post horam sextam). (*H.*)

Axillae sinistrae glandula tumida, dolorosa (post horam quintam). (*H.*)

Ossa ischii dolent, cum sensu quasi musculis careant; in sella tamen dura, quam in molli, sedere mavult.

420. Tractio obscura dolorosa in toto pelvis ambitu, tum per vices ab osse sacro ad os pubis transiens.

In sinistra lumborum regione sensus spasticus.

In osse sacro et coxygis dolor crampoides ingens; nisi per temporis momentum sedere non potest ob natam inde rigiditatem, nec surgere ei tum licet per dolorem; ne cubare quidem dolor facile sinit, noctu e somno crebro excitans et cum aucto sensu doloris in alia parte decumbere cogens, dorso incumbere omnino prohibens, maxime statu et ingressu lentiori levatus, celeriter vero incedere neutiquam patiens (per dies octo).

Post sessum inter surgendum in ilei ossis margine super coxendice dolor, quasi acuti quid ibi foras secaret.

In dorsi vertebris dolor pungens, quasi a cultro extrinsecus introrsum tendens.

425. In dorsi spinae medio sensus crampoides, premens, in tensivum dolorem transiens inter trunci erectionem (post dimidiam horam).

In dorso, maxime in scapulis pustularum magnarum rubrarum copia; tota cutis rubra, tactu, quasi a vulnere, dolens, pustularum apices vero ut a punctiunculis (post diem decimum).

Pressio pungens in humeri sinistri summitate (post horam tertiam).

Extremitatum superiorum pandiculatio.

Brachii utriusque gravitas. (*H.*)

430. Formicatio lenta in brachio sinistro sursum, quasi musca in cute reptet, fricatu crebriore non deleta. (*H.*)

Concussio brachiorum convulsiva, quasi ab horrore summo (post dimidiam horam). (*H.*)

In brachii superioris musculis dolor deorsum trahens, tum statim aliquot vulsiones retrorsum

circa dextri cubiti juncturam ad humerum sursum tendentes, inde ad breve tempus evanescentes. (*H.*)

Languoris summi in brachiis sensus, magis vero in manibus, ad eas demittendas invitans.

Gravitas et paralysis extremitatum superiorum, magis vero brachii sinistri.

435. Debilitas quasi paralytica primo brachii superioris, deinde etiam anterioris (post horam quintam).

P r e s s i o p a r a l y t i c a in b r a c h i o s u p e r i o r i s i n i s t r o c u m s e n s u p a r a l y t i c o e t d e b i l i t a t e t o t i u s b r a c h i i.

P r e s s i o p a r a l y t i c a t r a h e n s c u m d e b i l i t a t e i n b r a c h i o d e x t r o s u p e r i o r i e t a n t e r i o r i (post diem quartum).

P r e s s i o p a r a l y t i c a l a n c i n a n s i n a n t e r i o r i s u p e r f i c i e b r a c h i i s u p e r i o r i s s i n i s t r i (post diem quintum).

Dolor vehemens, quasi a cultro obtuso, sub ossis humeri capite foras pungens.

440. In brachio dextro, in quo non decubuit, (hora tertia matutina) rigiditas (incurvare brachium prohibens), cum sensu, quasi sit altero brevius, et cum ejusdem dolore pungente.

I n l a t e r e b r a c h i i s i n i s t r i i n t e r n o d o l o r t r a h e n s.

Lancinans dolor in humeri osse (post horam octavam). (*H.*)

In brachiis superioribus dolor, quasi conquassata essent (post horam sextam).

Dolor paralytice trahens in cubito. (*H.*)

445. In brachio sinistro, infra cubiti articulum, pustula fusce-rubra, sine dolore per se et sine suppuratione, tactu quasi a vulnere dolens (post diem nonum); — infra cubitum dextrum pustula, inter tactum punctim dolens.

Sensus in brachio sinistro, in cubiti flexura, quasi vibrans, ut ab aqua liquoreve ponderosiori per venas labente.

In sinistri cubiti articulo dolor disscindens internus, inter eundum; — ibidem externe punctus acuti (post horam septuagesimam secundam).

Dolor paralytice trahens in cubito manusque sinistrae digitis.

In brachii anterioris latere interno, eoque medio, punctio obtusa, paulatim invalescens, postremo immane aucta.

450. Dolor secatim lacerans in musculis inferioribus utriusque brachii anterioris (inter requiem) (post horam quintam et dimidiam, post hor. quadrantes tres).

Dolor paralytice lancinans in carpi ossibus; — in manus sinistrae ossibus metacarpi dolor punctim lancinans.

In utriusque manus dorso maculae parvae, rubrae, repente evanidae.

In manu dextra digitisque rigiditatis sensus, flectere eos impediens.

Manum uno flexu expedito atque libero convertere nequit (v. c. dum liquorem e vasculo vitreo guttatim destillat), non nisi per intervalla id potest, quasi synovia manus articuli desit, sine dolore tamen inter motum istum (post horam quartam). (*H.*)

455. Sudor manuum copiosus, frigidus. (*H.*)

In anteriori digiti medii articulo, quasi a rigiditate, sensus et dolor (ut a vulnere?) simplex inter flexionem. (*H.*)

Digitus luxationi pronus. (*H.*)

Inter corporis frigus in digitorum apice dolor foras pungens, maxime inter apprehensionem. (*H.*)

In phalangibus posterioribus digitorum mediorum manus sinistrae, quasi in periosteo, dolor trahens. (H.)

460. In articulo medio digiti indicis dextri dolor paralytice lancinans.

Manus sinistrae digitorum apices quasi compressae dolent.

In digiti medii apice dolor, ut a festuca inhaerente et quasi ab apostemate, tactu adgravatus.

In articulis extremitatum inferiorum, maxime genuum, sensus ingratus, quasi geniculationi prona essent, praesertim inter eundum et maxime inter descensum. (*H.*)

Femorum et crurum, quasi a conquassatione et diffractione, dolor, ad ossium tubas versus pungens et rodens, cum lancinatione in articulis summa; inde a pedum juncturis sensim ad coxendices usque sursum tendens, inter sessum pedes motitare, vel aliter aliterque reponere cogens, eundo levatus (post horam quartam).

465. In eundo femorum et crurum gravitas cum genuum rigiditate (post horam duodecimam).

In femore et crure dextro dolor paralytice trahens.

In ossis ischii musculis dolor crampoides cum tensione, inter trunci pronationem.

In coxendice dextra punctus tres quatuorve vehementes, inter quietem et motum.

Eundo in femorum capitibus, quasi a luxatione, dolor paralytice tensivus.

470. Dolor secatim lancinans in musculis externis femoris dextri, paulo supra genu, non nisi inter sessum (post horam secundam et horae quadrantem).

In femoribus gravitas et rigiditas immanis; inter eundum gravitas vel inter sessum.

Sensus vibrans et susurrans supra genu dextrum, inter sessum (post horae quadrantem).

In poplite vulsio ad femoris musculos sursum. (*H.*)

In genu dextro, juxta patellam, ad externum latus versum dolor crampoides, inter sessum.

475. In genu dolores vehementes.

Inter motum adstrictionis sensus in poplite sinistro et quasi tendo externus, per vices etiam internus, magis tamen ille, nimis curtus sit.

In poplite dextro dolor coarctans et premens.

In poplite sinistro punctus obtusi (post horae quadrantem).
Glocitatio citissima in anteriori genu sinistri superficie, inter sessum (statim).

480. Dolor pungens sub sinistra patella, inter sessum.
Punctio premens in patella dextra (inter sessum) (post horam tertiam et dimidiam).
Quum insisteret pedi sinistro, punctus dolorosi ad genu usque sursum micantes (post horam trigesimam octavam).
In crure dolor, quasi arcte comprehensum sit, cum lancinatione obtusa motuque interno doloroso, maxime noctu; crure pensili omnia levata (post horam decimam).
Dolor lancinans in tibia. (*H.*)

485. Gravitas crurum tremula et trahens. (*H.*)
In sura crampus inter retractionem cruris, vesperi in lecto, cruris extensione evanidus (post horam septuagesimam secundam). (*H.*)
Dolor secatim trahens in loco parvulo pedum, ab imo sursum, primo per crura et femora, tum per os sacrum in humeros usque penetrans.
Lassitudo paralytica cruris utriusque.
In cruribus sensus sursum trahens, extrinsecus formicans tantum, intus ut ab innumeris punctionibus.

490. Dolor lancinans obtusus in cruribus.
Gravitatis sensus dolorosus in crure dextro, inter sessum supra sinistrum decussatim posito (post horam quartam).
In crure dextro, quasi a crescendo, sensus rigiditatis, cum gravitate conjunctae.
In sura sinistra punctus acuti, ab imo proficiscentes.
Pressio lancinans in crure medio, in latere interno, motu vel tactu nec aucta, nec levata.

495. Pruritus pedum vehemens, — ab iisdem formicatio sursum (post horam vicesimam). (*H.*)
In pedibus eorumque dorso pruritus exedens.

In pede, quasi a guttarum destillatione, glocitatio (post horam quinquagesimam quartam). (*H.*)
In crure sursum per internam poplitis faciem lancinatio ardens. (*H.*)
In pedibus interdum languor cum dolore trahente. (*H.*)

500. Pandiculationis species, crura extendere cogentis (post diem undecimum). (*H.*)
Vesperi propensio in pandiculationem, doloribus impeditam.
Tumor pedum vespertinus. (*H.*)
Eundo et flectendo pede ad latus internum in metatarsi ossibus, quasi a luxatione, dolor. (*H.*)
Species tractionis absque dolore, seu formicatio a calcaneo ad digitos pedis usque circum malleolos (post horam tricesimam). (*H.*)

505. In calcanei pila inter insistendum, quasi a contusione dolor. (*H.*)
Dolor terebrans in plantis pedum et subruens (post horas complures). (*H.*)
In pedum plantis dolor ardens et subruens.
(Inter eundum) in pedis sinistri planta lancinatio, punctibus intermistis, per horae quadrantem.
T e n s i o in planta pedis dextri circa calcaneum, tum in pressionem tensivam mutata; pressione externa per aliquod tempus cessans (post horae quadrantem).

510. In plantis pedum dolor pungens (post dimidiam horam). (*H.*)
D o l o r e s subiti, immanes, crampoides, breves, in alterutro latere pectoris, abdominis, immo lumborum, vel cubito alterutro maxime in somno, partem dolorificam inclinare et incurvare cogentes (post horam octavam, decimam sextam, tricesimam). (*H.*)
Dolor ad summum auctus, plerumque subito evanidus et vicissim alibi statim emergens.
Inter decubitum in coxa dextra dolet sinistra; in

coxa sinistra decumbendo dolor evanescit (post diem octavum nonum). (*H.*)

Inter eundum, altero quovis vel tertio gressu, in parte affecta ad caput usque punctus, ut si quis instrumento acuto repentine laeditur; inter sessum nullus. (*H.*)

515. Sensibilitas cutis dolorosa inter quemvis tactum.

Dolor in glandulis terebrans. (*H.*)

Dolor rodens in loco affecto (post horam primam). (*H.*)

Usus belladonnae externus partem aëris liberi impatientem facit. (*H.*)

Pruritus hic illic lancinans, maxime post decubitum vesperi in lecto; post fricatum dolor lancinans solus remanet, sed is quidem vehementior. (*H.*)

520. Supra totum corpus hic illic pruritus formicans, volaticus.

Ulceris fere nullus, nisi nocturnus (ab hora sexta vespertina ad eandem matutinam usque) ardens dolor, quasi quid foras niteretur et quasi pars paralysi affecta et rigida esset (post horam quadragesimam octavam). (*H.*)

Ulceris fere nullus nisi sanguinolentus ichor. (*H.*)

Ulcus tactu dolorosum, ardente quasi dolore (post horam quartam). (*H.*)

In ulcere pruritus vehemens (post horam primam). (*H.*)

525. In ulcere dolor disscindens inter quietem, lancinans inter motum partis (post horam vicesimam). (*H.*)

In ulceris ambitu quasi a vulnere dolor (post horam quartam). (*H.*)

Synochus erysipelacea, tumoribus inflammatoriis, immo gangraenosis stipata. (*H.*)

Erythemata et maculae polymorphae scarlatinae (prurientes?) (post horam decimam sextam). (*H.*)

Extensio convulsiva artuum momentanea inter expergiscendum e somno. (*H.*)

530. A levi stomachatione convulsiones maximae, ad asscensum in parietes excitantes.

Tremor cum concussione convulsiva. (*H.*)
In membris omnibus inquietudo summa, ut nesciat, quo se vertat. (*H.*)
Paroxysmus pomeridianus pandiculationis et oscitationis crebrae, oculos lacrymis suffundentis (post horam quadragesimam octavam). (*H.*)
Pomeridiano maxime tempore (hora tertia, quarta) symptomata ingravescunt, ante meridiem mitigantur. (*H.*)

535. Rigiditas omnium artuum, sub specie lassitudinis sensus. (*H.*)
Membrorum rigiditas et immobilitas crebra, v. c. pedem sinistram movere prohibens.
Vesperi maxime languor summus cum respiratione cita. (*H.*)
Paresis omnium musculorum, maxime pedum. (*H.*)
Debilitas, gressus vacillans, in geniculationem propensio; itus impeditus. (*H.*)

540. Debilitas universalis. (*H.*)
Fuga et abhorrescentia laboris et motus (post horam primam, quintam). (*H.*)
Vesperi tanta, ut ire vix valeat, lassitudo (post horam quinquagesimam). (*H.*)
Summa inquietudo, totum corpus, maxime manus et pedes, ultro citro cogens motitare, nullo situ requiescere sinens, modo cubare, modo sedere, modo stare suadens et vel inter decubitum, sessum et statum, situm variis modis mutari jubens.
Mane lassitudo et inquietudo in artubus ob dolores; membrum quodvis ultro citroque ponendi propensio.

545. Membrorum omnium languor cum laboris abhorrescentia.
Manuum et pedum gravitas.
Lassitudo diurna et meridiatio.
Debilitatis summae accessus breves, frequentes; omnia ei nimis gravia videntur, quasi horum onere opprimatur et collapsura sit.

Debilitas omnium musculorum extremitatum superiorum et inferiorum, paralyseos instar (post diem sextum).

550. Dormituritio (post dimidiam horam). (*H.*)

Circa vesperam, jam inter crepusculum, dormituritio cum oscitatione; mane vero sensus ac si non satis dormivisset. (*H.*)

Stupor ad dormiendum invitans, ante meridiem; somnus profundior per sesquihoram et post experrectionem fames intensa cum calore vehementer ardente et oris siccitate, sine siti; postea inter tussiculam anima ex ore, quasi ab excrementis, foetida.

Sopor profundissimus. (*H.*)

Somnus profundissimus, sine somniorum copia, ad auroram usque (post diem quintum).

555. Agrypnia. (*H.*)

Agrypnia ob angorem nocturna cum trahente in omnibus artubus dolore. (*H.*)

Vesperi in lecto punctiones prurientes hic illic in cute, ut a pulicibus. (*H.*)

Noctu dormire nequit; somnus phantasia, quasi negotium aliquod necessarium peragendum sit, impeditus. (*H.*)

Somnus intolerabilis ob dolores immane auctos et somnia horribilia. (*H.*)

560. Cum terrore et pavore evigilatio nocturna ob phantasiam, quasi quid sub lecto sonet; inter expergiscendum calor siccus. (*H.*)

Inter obdormiscendum statim somnia. (*H.*)

Ante noctem mediam somnus (pueri) inquietus, cum jactatione, calcitratu et blateratione rixosa. (*H.*)

Somnia horrida, vivida, quae in memoriam experrecti redeunt. (*H.*)

Pavor concutiens cum evigilatione somnum capturi. (*H.*)

565. Terror in somnio cum evigilatione et frontis atque scrobiculi sudore. (*H.*)

Somniis de incendio expergitur (post horam quinquagesimam quartam). (*H.*)

Noctu, inter somnum et vigiliam, exspirátio inaequalis; inspiratio cum exspiratione dimidio temporis brevior, quam intervallum inde ad inspirationem sequentem; exspiratio per ictus contingens et inspiratione sonorior; inspiratio paulo longior exspiratione. (*H.*)

In somno cantat et clara voce loquitur. (*H.*)

Somnus somniis plenus; res ei est cum hominibus multis; — abitum parans, exire prohibetur.

570. Somnia praeter consuetudinem multa, sed tranquilla, tantum de rebus domesticis.

S o m n u s n o c t u r n u s c u m s o m n i i s i n m e m o r i a m n o n r e d i e n t i b u s ; p r i u s, q u a m p r o c o n s u e t u d i n e, s o m n u m c a p i t, p r i u s q u e e v i g i l a t, n o n s i n e r e c r e a t i o n e, d e g e n e r a n t e t a m e n i l l a h o r i s p a u c i s p o s t i n m e m b r o r u m l a n g u o r e m, e x t r a i l l u d t e m p u s a d e s s e s o l i t u m.

Noctu somnus valde comatosus, cum somniis anxiis de homicida, latrone; clamantem sese ipse audit, nec tamen redire ad se potest.

Vesperi inter capiendum somnum iteratim excutitur, — pedibus sursum, capite antrorsum projecto.

Terror succutiens in somno quieto, quasi ab alto loco delaberetur.

575. E somno pavidus expergefit.

Noctu somnia, quae animum valde intendunt, et mane summus surrecturi languor.

Somnum capturus, utrum somniet, an vigilet, nescit.

S o m n i a l u c u l e n t a, q u a e i n m e n t e m v e r o n o n r e d e u n t.

Vesperi in lecto sensus, quasi in strato denataret; per decem deinceps vesperas statim post decubitum in lectulo natare sibi videbatur.

580. Mane somnum vincere nequit, cum summa inter experrectionem morositate.

Somno gaudet diuturno, et quamquam tussi expergitur, statim in somnum relabitur, cum sensu tamen titubationis et lassitudine mane subsequente.

E somno experrectio crebra et, quamquam ultro citro volutetur, requiescere tamen et in somnum relabi nequit.

Crebra e somno evigilatio, quasi somni satis cepisset (nocte prima).

Dormituritio continua cum nisu in pandiculationem, ab hora quinta vespertina ad nonam usque (post horam undecimam).

585. Somnus parcissimus.

Obnubilatio capitis continua cum dormituritione (post horam quartam).

Mane summa lassitudo et titubationis sensus.

Statim post experrectionem dormituritio.

Oscitatio crebra, quasi parum somni cepisset.

590. Sitis crebra noctu cum oris siccitate. (*H.*)

Inter expergiscendum e somno cephalaea cum languore summo. (*H.*)

Mane inter evigilationem cephalalgia non nisi supra oculos, gravativa; tactu oculus dolet. (*H.*)

Frigiditas universalis, facie pallida. (*H.*)

Inter somnum frigus et frigiditatis sensus, cum frigiditate inter experrectionem. (*H.*)

595. Pulsus magnus, plenus, rarus. (*H.*)

Pulsus minimus, celer. (*H.*)

Pulsus magnus, frequens, decem ictibus auctus.

Mane manus gelidae cum capitis gravatione et in lacrymas propensione. (*H.*)

Pedes frigidi cum auris internae calore, vesperi. (*H.*)

600. Pedes frigidi cum facie tumida, rubra et congestione sanguinis ad caput. (*H.*)

Frigus maxime brachiorum cum cute anserina inter exuendas vestes, et una rubor et calor aurium ac nasi. (*H.*)

Facies, cadaveris instar, pallida, corpus totum quasi stupore et torpore affectum, gelidum.
Totius corporis, maxime manuum, frigiditas.
Manus ac pedes frigidi, cum aliquo sudore pedum frigido (post horam decimam).

605. Crurum, maxime pedum, frigiditatis sensus insolens (post horam quintam).
Frigus summum, dorsum vel scrobiculum vel utrumque simul brachium invadens, inde supra corpus totum dispergitur.
Frigus et horror cum cute anserina, vel inter fornacis calorem (post horam primam).
Ab afflatu minimo aëris frigidi statim horror, cum sensu cetera gratiori ab aëre libero.
Oscitatio crebra, inde frigoris externi cutem perreptantis sensus, vesperi.

610. Horror brachium utrumvis et abdomen perreptans.
Horror febrilis, manibus frigidis.
Per accessus breves horrores deorsum tergum perreptant, sine calore subsequo.
Versus vesperam febris; horror concutiens in lecto, post horas duas calor et sudor universalis sine siti, neque inter horrorem, neque inter calorem. (*H.*)
Febris: vesperi inter exuendas vestes paulum frigoris per corpus dispersum, tum in toto corporis latere sinistro calor. (*H.*)

615. Febris paroxysmi pluries in die repetentes; frigus concutiens excipit calor et sudor universalis; sine siti et frigus et calor. (*H.*)
Febris: cum frigiditate externa ardor internus. (*H.*)
Febris: frigoris totum corpus perreptantis sensus (post horam primam); — horis quatuor post caloris sensus cum calore, maxime faciei.
Febris: horrores per corpus, post meridiem calor volaticus.
Febris: caloris et frigoris vicissitudines.

620. Febris: calor et frigus per vices subitas, utrumque sine siti, cum dormituritione diurna (post diem duodecimum).

Febris accessus plures uno eodemque die: post frigus sexagesimis aliquot vel semihora calor subsequus, sine siti frigus et calor, capite plerumque non libero.

Febris: vesperi in lecto frigus, postea calor; frigus, inde ab osse sacro profectum, dorsum perreptans sursum, per femora deorsum tendens.

Motu levi (eundo) excitatus calor corporis. (*H.*)

Calor internus; quidquid escarum vel potulentorum ceperit, nimis frigidum esse videtur.

625. Extremitatum venae tumidae, maxime carotidum tanta pulsatio, ut maxillarum paululum hiantium inferior quovis ictu superiori impingatur, levem dentium stridorem ciens, — cum calore et sensu caloris in corpore toto, maxime in capite.

Mane inter evigilationem arteriarum capitis corporisque totius pulsatio insignis.

Caloris sensus cum calore in corpore toto, maxime in facie rubra atque sudante, cum capitis gravatione (post horam quartam).

Sitis intensa (post horam vicesimam). (*H.*)

Sitis intensa post mediam noctem et mane. (*H.*)

630. Mane sitis intensa.

Calor summus cum sudore universali, sine siti. (*H.*)

In pectore et abdomine maculae parvae, rubrae, paulum prominentes, creberrimae, sine dolore, saepius evanidae et repente redientes, cum rubore corporis totius.

Corporis calor cum sudore (post horam secundam).

A levi motu sudor universalis, maxime faciei, supra nasum. (*H.*)

635. Inter eundum in aëre libero (ventoso) sudor magnus universalis cum torminibus ventris, quasi a refrigerio. (*H.*)

Inter somnum sudor post mediam noctem. (*H.*)
Sudor membrorum non nisi stragulis lecti tectorum, vesperi. (*H.*)
Sudor nocturnus, adustionem olens. (*H.*)
Statim post noctem mediam evigilatio cum sudore (in somnum relabi nequit); sudor in vigilia continuatur (post horam quinquagesimam quartam). (*H.*)

640. Primo mane (circa horam secundam, tertiam) post expergiscentiam sudor universalis dum brachia obtegit; dum vero detegit, cessans. (*H.*)
Inter calorem febrilem, dum manus stragulis operiuntur, sudor universalis; dum vero denudantur, frigus universale. (*H.*)
Sudor frontis frigidus (post horam primam).
Sudor universalis subitus, volaticus.
Sudor, dum lecti stragulis obtegitur, maxime partium superiorum.

645. Mane per vices sudor, inde a pedibus ad faciem usque adscendens, ibique maximus; mox vicissim frigiditatis sensus.
Apathia; nulla re commoveri potest; diebus aliquot post animus irritabilis, in stomachationem pronus; nulla re gaudet. (*H.*)
Irritabilitas magna et sensibilitas; sapor et olfactus auctus; tactus, visus et auditus acutior, animus mobilior, cogitatio expeditior (post horam tertiam). (*H.*)
Animus maxime irritabilis, cum siccitate oris magna. (*H.*)
Diffidentia timida. (*H.*)

650. T i m i d i t a s p l o r a b u n d a (post horae partem octavam, post horam secundam et intra horas octo). (*H.*)
Primo ploratus miserabilis, tum in ejulatum ferocem, immensum invalescens (cum frigescentia) (post horam primam). (*H.*)
L a c r y m a t i o, p l o r a t u s, e j u l a t u s, s i n e c a u s a, m a x i m u s, c u m m e t i c u l o s i t a t e (intra horam secundam et octavam, intra horam octavam et duodecimam, rarius intra horam duodecimam et vicesimam). (*H.*)

Lacrymatio et morositas maxima e somno expergiscentis. (*H.*)
Morositas, animi aegritudo, ad quodvis negotium segnitia. (*H.*)

655. Morositas plorabunda ob minima, inter cephalaeam, quasi a lapide, prementem. (*H.*)
Ejulatus ob minima maximus cum pupillis facile dilatabilibus, facillime contractilibus, cohortatione auctus. (*H.*)
Gemitus crebri, maxime mane, sed, quo dolore laboret, reticet. (*H.*)
Per horas singulas lacrymatio cum animo in stomachationem prono alternans. (*H.*)
Gemitus inter quamvis exspirationem. (*H.*)

660. Gemitus inter somnum. (*H.*)
Stomachatio ob haec et illa. (*H.*)
Desipientia meticulosa, timens de cane atro, de patibulo etc. (crebrius intra primas horas duodecim, rarius horis sequentibus observavi). (*H.*)
Desipientia; vivo corpore ne putrescat, metuit (*H.*)
Anxietas summa diurna, nullo loco requiescere sinens; sensus, quasi sit fugiendum. (*H.*)

665. Inter eundum in aëre libero ab anxietate lacrymatoria invaditur; vitae taedio capta in aquas se vult praecipitare. (*H.*)
Modo ridicule delirat, modo mente constante loquitur (post horam primam sextam). (*H.*)
Joci futiles, scurrilitas (post dimidiam horam et horam sextam, octavam). (*H.*)
Animus in rixas maxime pronus, qui mitigari nequit. (*H.*)
Furor atrox et violentus. (*H.*)

670. Maxime dum ab homine aditur, summa in terrorem propensio.
In pavorem pronus est.
Circa cor anxietas (post horam tertiam).
Res futurae, quae hucusque utpote jucundissimae in spe erant, nunc horribiles videntur et metuuntur.

Inquietudo summa, nusquam requiescere sinens, corpus ultro citro convertere cogens.

675. Prope fornacem sessus otiosus; cantus componere studet et clara voce cantilenas argumenti hilaruli, sed absurdi, insani, canit; interdum sibilat, sed cibum ac potum respuit; cum auditus et visus abolitione, faciei pallore frontisque sudore.

Animus ultra modum hilaris; in cantillationem et sibilum propensio.

Risus, in cachinnum paene invalescens, involuntarius, sine cogitatione ridicula.

Animus praeter modum hilaris, protervus, in rixas sine causa pronus et in offendendos alios vultu ridente.

Post coenam animus extra modum hilaris, vigor corporis immense auctus per horae quadrantem, deinde dormituritio.

680. Animus perquam irritabilis, in fletum pronus.

Nullius rei amor, morositas, corporis et animi languor.

Animus summopere frigidus per horas, tranquille mortem oppetens, sine commotione.

Loquelae fuga.

Solitudinis et tranquillitatis amor; strepitus cujusque et aliorum salutationis abhorrescentia.

685. Morositas tranquilla (post horam octavam), per dies duos sequentes animus integer, die postero moeror rediens.

Morositas summa, vultus severior.

Animus in stomachationem pronus ob quamvis rem, vel cum sese ipso. —

Animus valde irritabilis, in stomachationem, deinde in fletum pronus.

In stomachationem et iram propensio, vel ob minima*).

*) Symptomata, quae nota (*H*) carent, observarunt Doctores Grofs, Hartmann, Herrmann, Hornburg, Kummer, Lehmann, Möckel, Stapf et Wislicenus. Nota interpretis.

Observata medicorum veteri doctrinae addictorum.

Circuitio, circumactio in gyrum. (*de St. Martin*, Journ. de Medec. Tom. XVIII. Aout.)

Vertigo et manuum tremor, usum earum impediens. (*Baldinger*, Neues Magaz. f. Aerzte, I. 1. St. p. 30.)

Inter eundum titubatio, parietibus inniti cogens, et querela de anxietate et vertigine cum confabulatione crebra insipida, quasi inebriati. (*Baldinger*, l. c.)

Mane e lecto surgens tanquam titubanter (hinc inde) vacillat. (*Greding* in *Ludw.* Adversar. med. pr. I. P. IV. p. 670.)

(5) Caput obtenebratum et ebrietas, quasi a vino largius hausto, cum tumore et rubore faciei. (*Commerc. liter.* Nor. 1731.)

Animi languor. (*Wierus*, de praestigiis daemonum. Lib. III. Cap. 17.)

Stupor mentis. (*Wagner*, Miscell. Nat. Cur. Dec. II. Ann. 10. Obs. 108. — *Buchave*, Samml. br. Abh. f. pr. Aerzte, XIV. IV. — *Wierus*, l. c.)

Mens turbida et alienata. (*Sicelius*, Observat. Dec. IV. Cas. 4.) — Conturbatio mentis, ita ut, utrum dormiat an vigilet, nesciat. (*Moibanus*, ap. *Schenk*, Lib. VII. Obs. 164.)

Sensuum hallucinatio. (*Ackermann* in *Struve*, Triumph d. Heilk. III. p. 303.)

(10) Oculis insectorum variae imagines et lemurum quaedam ludibria obversantur. (*Moibanus*, l. c.)

Res absentes videre opinatur. (*Wiedemann* in *Hufel.* Journ. XXII. 1.)

In bove equitare sibi videtur. (G — *ch* in *Hufel.* Journ. XVII. 1.)

Parentes non agnoscit. (*Wierus*, l. c.)

Spasmi brachiorum noctu et reminiscentiae exulatio. (*Greding*, l. c. p. 672.)

(15) Stupor mentis summus. (*Ollenroth* in *Hufel.* Journ. VII. 4.)

Amentia cum artuum convulsivis motibus. (*Buchave*, l. c.)
Dementia aliquot septimanarum. (*Rau* in Act. Nat. Cur. Vol. X. Obs. 24.)
Insensibilitas. (*Vicat*, plant. venen. de la Suisse, p. 181.)
Stupiditas. (*Wagner*, l. c.)

(20) Sensus in cerebro, quasi ab aqua fluctuante. (*Buchholz* in *Hufel.* Journ. V. 1. p. 252.)
Caput perquam tumidum (*Horst*, Opera, II. p. 488.), et rubor totius corporis *). (*Münch* üb. d. Bellad. in *Richters* Biblioth. V. p. 387.)
Vultus inquietus, conturbatus. (*Boucher* in Journ. de Med. XI. Aout.)
Facies pallida (*Sicelius*, l. c.), cum siti, appetitu aucto, — pallor subitus aliquamdiu. (*Greding*, l. c. p. 650. et 677.)
Facies saepe pallidissima, momento citius rubore suffusa, fronte calida, genis frigidis. (*Greding*, l. c. p. 662.)

(25) Congestio sanguinis ad caput, genarum rubor et calor magnus, faciei tumor magnus cum calore. (*Buchave*, l. c.)
Facies profunde rubra. (*Sauter* in *Hufel.* Journ. XI.)
Cutis in facie crassa, quasi exanthema erupturum sit. (*Sauter*, l. c.)
Calor magnus, cum faciei rubore violaceo, vespertinus. (*Wiedemann*, l. c.)
Inter somnum rubor scarlatinus faciei et pectoris. (*Schaeffer* in *Hufel.* Journ. VI.)

(30) Corporis cutis rubor scarlatinus, faciei maxime, cum insigni sensorii vigore. (*Wetzler* in Annal. d. Heilk. 1811. Febr.)
Maculae praerubrae in facie scarlatinosae, cum pulsu pleno. (*Wiedemann*, l. c.)
Subitus horror, magna capitis et oculorum obnubilatio, oculi rubri, facies tumida et minutis-

---

*) in duobus pueris.

simis, irregularibus maculis atro rubris, praesertim in fronte, repleta. (*Greding*, l. c. p. 685.)
Facies rubra, tumida, oculi torvi. (*Justi* in *Hufel.* Journ. VII. 4. p. 65.)
Vultus rubet*) tumens, cetero corpore pallido. (*Grimm* in Act. Nat. Cur. Vol. II. Obs. 60.)

(35) Tumor faciei, prope nasum et oculum, insignis, durus et parotidis dextrae tumor — per dies quinque. (*Greding*, l. c. p. 668.)
Tumor in gena sinistra, prope nasum oculumque, post meridiem oritur, postero die cum calore increscens (per dies quinque). (*Greding*, l. c. p. 667.)
Tumor faciei, maxime labiorum. (*Lambergen*, Lectio inaug. sist. eph. pers. carcin. — Groening. 1754.)
Siccitas in oculis (naribus, ore, oesophago). (*Wasserberg*, ap. *Stoll*, Ratio medendi, III. p. 403.)
Lucis odium. (*Justi*, l. c.)

(40) Pupillae dilatatae, immobiles. (*May*, Hann. Mag. 1773. No. 97.)
Scotomia a pupillarum dilatatione (*Buchave*, l. c.); — amblyopia pupillis valde dilatatis. (*Greding*, l. c. p. 324.)
Caecitas; pupilla oculi dextri maxime dilatata, immobilis. (*Greding*, l. c. p. 662.)
Amblyopia summa. (*Justi*, l. c.)
Amaurosis, ultra tres dies durans; typis excusa legere non potest. (*Hasenest*, Acta Nat. Cur. Cent. III. Obs. 35.)

(45) Expergefactio cum amaurosi. (*El. Camerarius* in Obs. et apud *Wepfer*, Hist. Cicut.)

---

*) Conf. symptomata 132, (25), (26), (28), (29), (30), (31), (32), (33), (34) cum symptomatibus (23), (24), 130, 131, quorum illa ad primae, haec ad secundae classis vires referenda esse videntur, nisi viribus primi ordinis rarius occurrentibus, alternantibus sunt tribuenda.

Nota interpretis.

Oculi caeci continuo aperti. (*El. Camerarius*, l. c.)
Caecitas temporaria cum capitis dolore. (*Greding*, l. c. p. 679.)
Oculorum hebetudo, manuum pedumque spasmi, capitis obnubilatio et membrorum lassitudo. (*Greding*, l. c. p. 683.)
Oculorum hebetudo, oris siccitas et tormina. (*Greding*, l. c. p. 606.)

(50) Visus hebetudo, per horas tres, — etiam cum membrorum omnium tremore. (*Greding*, l. c. p. 679. et 643.)
Presbyopia (*Lottinger*, med. chirurg. Wahrnehm. Altenb. II. p. 326.), — non nisi literas majores legere potuit. (*Lambergen*, l. c.)
Non nisi res valde remotas radiosque omnino parallelos (v. c. in coelo stellam) oculis cernit (ab herbae belladonnae succo expresso, oculis injecto). (*Charles Wells*, ap. *Gilbert*, Annal. 1813. II. St. p. 133. — et *James Ware*, ibidem 1816. XI. St.)
Nebula ante oculos, caecitas. (*Sauter*, l. c. — *Buchholz*, l. c.)
In libris lecturus, praeter candidam marginem, nigris areis literarum circumfusam, nihil agnoscere potest. (*Moibanus*, l. c.)

(55) Literae aureo et coeruleo colore tremulantes. (*Buchholz*, l. c.)
Scintillatio in visu; — scintillae in visu a palpebrarum motu, electricarum instar. (*Ziegler*, Beob. Leipz. 1787. p. 21—38.)
Visus objectorum multiplex, scotomicus. (*Sauter*, l. c.)
Visus perversus. (*Henning* ap. *Hufel.* Journ. XXI. 1.)
Oculi horridi (*Müller* ap. *Horn*, Arch. IX.), vultus torvus (*Dumoulin*, in Journ. de Med. XI. Aout), — oculi scintillantes, torvi. (*Grimm*, l. c.)

(60) Oculi splendidi, pupillis summe dilatatis (circiter post horam vicesimam). (*Boucher*, l. c.)

Oculi rubri splendidi, rotati. (*Sauter*, l. c.)
Oculorum motus perversus. (*Greding*, l. c. p. 657.)
Spasmi oculorum. (*Schreck*, Commerc. lit. Nor. 1743.)
Spasmi continui oculorum, manuum. (*Boucher*, l. c.)

(65) Oculi retorti inter faciei tumorem et ruborem. (*Buchave*, l. c.)
Auditus sensibilitas aucta. (*Sauter*, l. c.)
Aurium susurrus (*Vicat*, l. c.), — ventris dolor obtusus; vertigo. (*Greding*, l. c. p. 258.)
Venti ex aure explosio. (*Greding*, l. c. p. 658.)
Nasus frigidissimus. (*Greding*, l. c. p. 664.)

(70) Labii ulcus, ruptum. (*Lambergen*, l. c.)
Labiorum spasmodici motus. (*Müller*, l. c.)
Oris angulus dexter extrorsum tractus. (*Greding*, l. c. p. 662.)
Risus sardonius. (*Weinmann* in *Gmelin* Pflanzeng. p. 296. — *de St. Martin*, l. c.)
Spuma sanguinolenta ante os (inter mortem), (*Commerc. lit.* l. c.); — mane ad meridiem usque dentium stridor, capitis quassationes cum spuma sanguinea ante os. (*Greding*, l. c. p. 691.)

(75) Trismus, dentes fortiter compressi. (*Hasenest* — *May*, l. c.)
Dentes tam fortiter compressi, ut summa vi maxillae aperiri non possint, cum spasmis omnium membrorum et frigore. (*Münch*, l. c.)
Trismus tantus, ut non nisi dente evulso liquor ei posset ingeri. (*Baldinger*, l. c.)
Stridor dentium summus (*Münch*, l. c.), cum larga spuma ovum putre redolente et brachii dextri spasmo, etiam cum salivae copioso effluxu. (*Greding*, l. c. p. 692. 687. 653.)
Tumor gingivarum dextri lateris vehementer dolens, cum febricula et frigoris sensu. (*Greding*, l. c. p. 686.)

(80) In gingivis pruritus molestissimus, cum doloribus faucium. (*Baldinger*, l. c.)

Tremor linguae. (*Weinmann*, l. c.)
Balbuties linguae (*Rau*, l. c), — balbuties, ebrii instar. (*Buchave*, l. c.)
Aphonia temporaria (*Sauvages*, Nosol. II. 2. p. 338. — *Wagner*, l. c.); — mutitas. (*Hasenest*, l. c.)
Lingua pituita multa, tenace, flavido alba obducta. (*Justi*, l. c.)

(85) Saliva tenax longe ex ore pendet. (*Greding*, l. c. p. 687.)
Salivatio magna (*Ollenroth*, l. c. p. 684.); pituitam tenacem saepius exscreat. (*Greding*, l. c. p. 684.)
Saliva in faucibus spissa, viscida, alba, in lingua glutinis instar adhaerens, ita, ut semper liquida assumere cogeretur. (*Sicelius*, l. c.)
Siccitas oris (*Ziegler*, l. c.), siccitas insignis faucium (*Cullen*, Arzneimittell. II. p. 307.), siccitas oris vix delenda. (*de Meza*, Samml. br. Abh. f. A. XIV. 3.)
Siccitas oris, quasi cutis faucium a materia mordicante et acri degluberetur. (*Lottinger*, l. c.)

(90) Siccitas in ore, faucibus, naso. (*Buchave* — *Lambergen*, l. c.)
Deglutitio ob siccitatem oris, faucium, nasi impossibilis. (*Buchave*, l. c.)
Haemorrhagia faucium*) (*Cullen*, l. c.), oris et narium. (*Wagner*, l. c.)
Siccitas faucium, ardor in lingua. (*Ollenroth*, l. c.)
Ardoris sensus in faucibus. (*Henning*, l. c.)

(95) Ardens dolor in faucibus longus; cibi et potulenta ardoris sensum in ore excitant, quasi a spiritu vini. (*Remer* in *Hufel.* Journ. XVII. 2.)

---

*) fatalis. Etiam post mortem hominum belladonnae vi necatorum cadavera e naribus, ex ore et auribus sanguinem fundunt, vel in facie sola, vel latere corporis alterutro, vel omnibus partibus colore subnigro violaceo tincta, vel gangraenae notis tecta, cuticula in deglubitionem celerrime prona, abdomine summopere inflato, interdum jam intra horas duodecim putrescentia, uti Eb. Gmelin et Faber narrant.

Inflammatio faucium. (Acta Nat. Cur. Vol. X. p. 90. — *Rau* et *Goeckel*, Fraenk. Samml. III. p. 44)
Faucium tumor. (*Rau*, l. c.)
Deglutitio difficilis et dolorosa. (*Vicat*, l. c.)
Tonsillarum inflammatio, ut tribus integris diebus ne guttam quidem liquidi deglutire posset, in suppurationem abiens (post dies quatuor). (*Greding*, l. c. p. 321.)

(100) Deglutitio difficilis (*May*, l. c.), impedita. (*Remer*, — *Greding*, l. c. p. 694. 648.)
Oesophagi constrictio insignis. (*Cullen*, l. c.)
Solida deglutire non poterant. (*Sicelius*, l. c.)
Cibos mordet, at deglutire nequit ob faucium constrictionis sensum. (*Baldinger*, l. c.)
Inter mentis absentiam saepius digitum faucibus alte immergit, gingivas scalpit et utraque manu collum premit. (*Baldinger*, l. c.)

(105) Deglutitio aquae difficillima et non nisi in minima quantitate. (*El. Camerarius*, l. c.)
Omnium liquidorum aversatio, cum gestibus terribilibus. (*Baldinger*, l. c.)
A potu, ei ingesto, furor. (*Baldinger*, l. c.)
Deglutitio penitus impedita. (*de Launay d'Hermont*, Hist. de l'acad. des sc. 1756. — *Manetti*, Viridarium florentin. 1751.)
Atonia paralytica oris partium. (*Lottinger*, l. c.)

(110) Sapor deletus. (*Lottinger*, l. c.)
Sapor oris depravatus (*Greding*, l. c. p. 657), — sapor salivae incongruus. (*Vicat*, l. c.)
A potu et cibo abstinentia summa cum pulsu debili, frequentiori. (*Greding*, l. c. p. 677.)
Cum anorexia capitis dolor. (*Greding*, l. c. p. 659.)
Post pastum tussis, sitis magna. (*Greding*, l. c. p. 665.)

(115) Ructus et vertigo. (*Greding*, l. c. p. 673.)
Ructus putridi. (*Greding*, l. c. p. 657.)

Nausea cum stimulo ad vomitum, maxime quum cibum capere vellet. (*Sicelius*, l. c.)

Nausea, vomituritio, sitisque tam intensa, ut immensam aquae copiam bibere opus habeant. (*Baldinger*, l. c.)

Vomitus, vertigo, volaticus calor. (*Greding*, l. c. p. 643.)

(120) Vomitus, largus sudor. (*Greding*, l. c. p. 675.)

Vomitus atrox. (*Goeckel*, l. c.)

Vomitus pituitae circa meridiem. (*Greding*, l. c. p. 672.)

Vomitus biliose pituitosus. (*de Meza*, l. c.)

Vomitus ciborum indigestorum, ante duodecim horas ingestorum. (*Grimm*, l. c.)

(125) Vomitus (post horas circiter septem) et statim somnus plurium horarum. (*El. Camerarius*, l. c.)

Nisus vomendi irritus. (*May*, l. c.)

Ad faciei livorem usque oscitans et vomituriens, altera manu supra caput elevata, altera abdomen percutit immaniter. (*Greding*, l. c. p. 668.)

Vomitus impeditus, — ventriculi irritabilitas deleta. (*May*, l. c.)

A tartari emetici granis quatuordecim vomitus nullus, ne nausea quidem vomituriens. (*Baldinger*, l. c.)

(130) Media nocte singultus vehemens. (*Greding*, l. c. p. 653.)

Noctu singultus cum vehemente sudore. (*Greding*, l. c. p. 669.)

Singultus, — tum capitis et artuum convulsiones, tum nausea et lassitudo. (*Greding*, l. c. p. 672.)

Singultus cum alternante brachii dextri et cruris sinistri convulsione, tum sitis magna et capitis calor et rubor. (*Greding*, l. c. p. 670.)

Cruciatus diri circa praecordia. (*Wagner*, l. c.)

(135) Spasmus ventriculi (*Manetti*, l. c.), crampus. (*El. Camerarius*, l. c.)

Ardoris sensus in ventriculo (*Henning*, l. c.), ardor in abdomine. (*Albrecht*, Commerc. lit. Nor. 1731.)
Inflammatio ventriculi, — duodeni initii. (*Goeckel*, l. c.)
Abdominis pressio, quasi a lapide inhaerente, cum lumborum dolore, vesperi. (*Greding*, l. c. p. 681.)
Abdomen tumidum, nec tamen durum, nec dolorosum. (*Boucher*, l. c.)

(140) Abdomen circa costas tensum. (*El. Camerarius*, l. c.)
Cum capitis dolore diarrhoea alternans. (*Greding*, l. c. p. 672.)
Diarrhoea, vomituritio et ventriculi pressio. (*Grediug*, l. c. p. 672.)
Excrementa alvi alba, instar calcis. (*Weinmann*, l. c. p. 138.)
Sedes virides, cum enuresi et sudore. (*Greding*, l. c. p. 319. 320.)

(145) Tenesmus cum torminibus colicis. (*Fabri* Strychnomania, p. 13. Obs. 5.)
Alvi exoneratio involuntaria, paralysis sphincteris ani. (*Dumoulin*, l. c. — *Greding*, l. c. p. 690.)
Alvi et urinae excretio intercepta inter sudorem insignem. (*Baldinger*, l. c.)
Urina suppressa. (*de Launay d'Hermont*, l. c. — *Sicelius*, l. c.)
Urinae epischesis guttatim prostillantis. (*Lottinger*, l. c.)

(150) Micturitio indesinens. (*Buchave*, l. c.)
Urina flava, turbida. (*Ackermann*, l. c.)
Urina limpida, citrina. (*Justi*, l. c.)
Mictus creberrimus urinae copiosae. (*Sauter*, l. c.)
Enuresis. (*Sauter*, l. c. — *Greding*, l. c. p. 644. 648. 650. 652. 675. 686.)

(155) Mictus frequens urinae pallidae, tenuis, aquosae, copiosae. (*Grimm*, l. c.)

Urina aquea copiosa, cum sudore. (*Baylie*, pract. ess. on. med. subjects, p. 37.)
Magnam urinae copiam dimittit, totus frigidus tactu, appetitu aucto. (*Greding*, l. c. p. 694.)
Noctu enuresis et sudor largus. (*Greding*, l. c. p. 689.)
Mane praesertim enuresis, sitis, oculorum hebetudo. (*Greding*, l. c. p. 670.)

(160) Enuresis inter menstruationem. (*Evers* in *Schmuckers* verm. Schr. I. p. 185.)
Mictus involuntarius (*Boucher*, l. c.), paralysis sphincteris vesicae urinariae. (*Dumoulin*, l. c.)
Ante menstrua lassitudo, ventris dolor, anorexia, oculorum caligo. (*Greding*, l. c. p. 679.)
Inter menstrua sudor pectoris nocturnus, nocturnae oscitationes, frigus per dorsum decurrens, praecordiorum anxietas, sitis magna. (*Greding*, l. c. p. 671. 672.)
Menstruum auctum. (*Lambergen*, l. c.)

(165) Menstrua aucta et retardata ad tricesimum secundum, tricesimum sextum et quadragesimum octavum usque diem. (*Greding*, locis diversis.)
Haemorrhagia uteri foetida. (*Evers*, Berl. Samml. IV.)
Fluor albus et ventris tormina. (*Greding*, l. c. p. 672.)

Raucedo. (*Vicat*, l. c.)
Stertor in bronchiis. (*Rau*, l. c.)

(170) Meridie vehemens tussis cum copiosissimis sputis viscidis, plures dies revertens. (*Greding*, l. c. p. 691.)
Oppressio pectoris. (*Schmucker*, chirurg. Wahrnehm. II.)
Respiratio difficilis, difficillima. (*Rau*, l. c. — *de Launay d'Hermont*, l. c.)
Respiratio violenta, parva, crebra, anxia (post horam decimam octavam). (*Grimm*, l. c.)

Asthma. (*Vicat*, l. c.)

(175) Modo respirat, modo ultimum halitum exspirasse videtur, vicibus per quadrantem horae quater alternantibus. (*El. Camerarius*, l. c.)

Bullae serosae, dolorificae in sterno. (*Lambergen*, l. c.)

Pectus et femora maculis obscure rubris, irregularibus, minutissimis scatebant. (*Greding*, l. c. p. 685.)

Rheumaticus dorsi dolor. (*Greding*, l. c. p. 674.)

Tumor brachii et pedis affecti, (*Münch* in *Richters* Biblioth. V. p. 558.)

(180) Brachii dolores rheumatici, tum formicationis sensus et convulsiones ejusdem brachii. (*Greding*, l. c. p. 671.)

In brachio stuporis sensus dolorificus. (*Sauter*, l. c.)

Brachium dextrum paralyticum. (*Greding*, l. c. p. 662.)

Brachii dextri spasmus et dentium stridor. (*Greding*, l. c. p. 687.)

Dextrum brachium inscius attollit supra caput. (*Greding*, l. c. p. 692.)

(185) Brachiorum concutientes spasmi. (*Greding*, l. c. p. 644.)

Brachiorum et manuum continua intorsio, — brachia et manus interdum protendit, quasi aliquid captaturus. (*Boucher*, l. c.)

Manus tumidae (*Wienholt*, Heilkr. d. th. Magn. I. p. 310.), manus tumor insignis. (*Münch*, l. c. p. 390.)

Pustula prope unguem digiti indicis manus dextrae orta, magnam seri acris copiam fundens. (*Greding*, l. c. p. 703.)

Paralysis extremitatum inferiorum (*Dumoulin*, l. c.), cubare cogens inter nauseam vomiturientem, tremorem, anxietatem et vertiginem. (*Baldinger*, l. c.)

(190) Dolor coxendicis sinistrae cum claudicatione. (*Greding*, l. c. p. 687.)

Tremor genuum. (*Müller*, l. c.)

Dolor crurum immanis, pedem extendere cogens. (*Lambergen*, l. c.)

De spasmo sinistri brachii et dorsi, valde dolente, queritur, qui sub vesperam in crura se extendit. (*Greding*, l. c. p. 652.)

Exanthema in inferioribus corporis partibus ad abdomen usque, rubrum squamosum. (*Ziegler*, l. c.)

(195) Bullae aqueae in vola et in tibia (ad rupturam pronae). (*Lambergen*, l. c.)

Convulsivi motus extremitatum mites (*Dumoulin*, l. c.), spastici artuum motus. (*Rau*, l. c. — *Greding*, l. c. p. 671.)

Artuum spasmi cum singultu, lassitudine, anxietate. (*Greding*, l. c. p. 671. 672.)

Convulsiones (*El. Gmelin*, Act. Nat. Cur. VI. App.) repetitae, spasmi dirissimi, inprimis musculorum. (*Grimm*, l. c.)

Convulsiones insignes et clara voce deliratio. (*Baldinger*, l. c.)

(200) Convulsiones epilepticae (*Wagner*, l. c.), enormes, epilepsiam mentientes. (*Grimm*, l. c.)

Convulsiones, contortiones omnium musculorum (*de St. Martin*, l. c.), spasmi omnium membrorum. (*Münch*, l. c.)

Convulsionum intermissio clamoris altissimi plena, uti magno dolore affecti. (*Grimm*, l. c.)

Caput et reliquum corpus ad sinistrum latus inclinatum, — quasi retrorsum retractum; vix incedere valebat. (*Greding*, l. c. p. 662.)

Cum stupore et respiratione stertorosa manuum ac pedum convulsiones. (*Baldinger*, l. c.)

(205) Corpus modo immobile, modo artus motibus miris flexi. (*El. Camerarius*, l. c.)

Tactus amissio, extremitatum inferiorum rigiditas, cutis venarum tumor summus inter faciei

ruborem insignem et tumorem, pulsum plenissimum, velocem et sudorem profusum. (*Baldinger*, l. c.)

Rigiditas totius corporis. (*Ehrhardt*, Pflanzenhist. X. p. 126.)

Pandiculatio cum oculorum distortione. (*Greding*, l. c. p. 664.)

Artuum omnium tremor, eundi impotentia, totius corporis venarum tumor, in faucibusque irritationis sensus ingratus per plures dies. (*Baldinger*, l. c.)

(210) Corporis languor (*Wierus*, l. c.), debilitas magna. (*Carl*, Act. Nat. Cur. IV. Obs. 86.)

Virium lapsus. (*Wagner*, l. c.)

Paralysis modo hujus, modo illius partis. (*Greding*, l. c. p. 703.)

Brachium dextrum et crus dextrum paralyticum. (*Greding*, l. c. p. 661. 663.)

Totum sinistrum latus, praesertim brachium et crus prorsus paralyticum. (*Greding*, l. c. p. 662.)

(215) Lipothymiae accessus. (*Greding*, l. c.)

Apoplecticus status. (*Wagner*, l. c.)

Jacuit quatriduo sine cibo et potu, mortui instar. (*F. B. Porta*, Magia natur. VIII.)

Lethargicus, apoplecticus status, ultra nychthemeron, sine ullo membrorum motu; vellicatus oculos quidem aperiebat, sed vocem nullam edebat. (*Wagner*, l. c.)

Somnus profundus viginti quatuor horarum. (*Wierus*, l. c.)

(220) Sopor profundissimus cum tendinum subsultu, facie pallida et frigida, manibus frigidis et pulsu duro, parvo, celeri. (*May*, l. c.)

Post longum somnum vehemens sitis. (*Greding*, l. c. p. 684.)

Agrypnia; e somno jugiter expergitur somniis terrificis et vulsionibus. (*Ziegler*, l. c.)

Inter soporem oculos aperit, feroci vultu circum-

spicit et in soporem stertorosum relabitur. (*Baldinger*, l. c.)

Captatio somni frustranea. (*Grimm*, l. c.)

(225) Vigiliae aliquot dierum. (*Hoyer*, Misc. Nat. Cur. Dec. III. ann. 7. 8. Obs. 176.)

Sopor (*Sauvages*, l. c. — *Valentini*, Misc. Nat. Cur. Dec. II. ann. 10. Obs. 118.); — sopor cum pulsu exili, debili, inaequali. (*Boucher*, l. c.)

Somnolentia inquieta. (*Mardorf*, Dissert. de maniac. Giesensibus, Giesae 1691.)

Somnolentia urgebat. (*Sicelius*, l. c.)

Oscitatio crebra (*El. Gmelin*, l. c.), ebriorum more. (*Mardorf*, l. c.)

(230) Febriles motus (*Ziegler*, l. c. — *Sauvages*, l. c.), alternis diebus. (*Sauter*, l. c.)

Febris post quamlibet dosin. (*Lentin*, Beobacht. p. 81.)

Febris vespertina. (*G—ch*, l. c.)

Sitis anxia (*Grimm*, l. c.), molestissima (*May*, l. c.), immanis aquae frigidae (post horam quartam). (*El. Camerarius*, l. c.)

Siti ardente et aestu excruciatus, potum interdum desiderat, repellit autem exhibitum. (*Grimm*, l. c.)

(235) Post sudorem sitis incrementum et appetitus decrementum. (*Greding*, l. c. p. 659.)

Sitis magna, crebra mictio, largior sudor. (*Greding*, l. c. p. 690.)

Frigus febrile cum pectoris dolore pungente. (*Greding*, l. c. p. 661.)

Post meridiem levis horror cum oculorum obnubilatione. (*Greding*, l. c. p. 685.)

Febris: mane frigus febrile cum parvo calore subsequo. (*Greding*, l. c. p. 644.)

(240) Febris: noctu frigus febrile, corporis calor subito accedens, crebra urinae missio et membrorum lassitudo, — sequente nocte bini fe-

bris accessus cum vertigine et siti. (*Greding*, l. c. p. 643.)
Cutis calor ardens. (*El. Camerarius*, l. c.)
Calor summus universalis cum delirio. (*Commerc. lit.* Nor. 1731.)
Calor ardens externus vel internus. (*Vicat*, l. c.)
Ardor internus. (*Carl*, l. c.)

(245) Aestus internus, ardor circa ventriculum. (*Hasenest*, l. c.)
Febris ardens, causus (post horam duodecimam). (*de Launay d'Hermont*, l. c. — *de St. Martin*, l. c.)
Corporis calor ardens, cutis venae summe tumidae, cum furore. (*Baldinger*, l. c.)
Inter calorem insignem venarum corporis externi tumor, cum siti insatiabili. (*Baldinger*, l. c.)
Insignis corporis calor, arteriarum praesertim in temporali regione ictus vehementior crebriorque, cum capitis stupiditate. — postea largus sudor. (*Greding*, l. c. p. 319.)

(250) Quotidie circa meridiem subitus calor et rubor faciei et corporis totius, cum amblyopia valida et siti magna, per horam. (*Greding*, l. c. p. 670.)
Inflammatio superficiei corporis. (*Sauvages*, l. c.)
Rubor totius corporis cum pulsu celeri. (*Buchave*, l. c.)
Calor totius corporis cum rubore violaceo cutis. (*Wiedemann*, l. c.)
Corpus totum tumidum, ardens, rubrum. (*Sauter*, l. c.)

(255) Gangraena universalis et sphacelus (et putredo subita corporis post mortem). (*Mappi*, Plant. alsat. p. 36.)
Subitaneae phlogoses (*Mardorf*, l. c.), brevi evanidae et respiratio difficilior. (*Greding*, l. c. p. 648.)
Partis affectae rubor, tumor. (*Sauter*, l. c.)

Titillatim mordax sensus in cute corporis, maxime in plantis. (*Sauter*, l. c.)

Formicationis sensus. (*Greding*, l. c. p. 672.)

(260) Totius corporis pruritus, eruptio stigmatum et macularum rubrarum (post horam quartam). (*Sauter*, l. c.)

Exanthema morbillosum. (*Buchave*, l. c.)

Maculae praerubrae, scarlatinosae in toto corpore, cum pulsu parvo, celeri, respiratione angusta; vehemens tussis, delirium, memoria exaltata, narium fricatus, pupillae dilatatae. (*Wiedemann*, l. c.)

Exanthema scarlatinum (primis diebus). (*Struve*, Triumph d. Heilk. I. p. 64.)

(265) Bullae aqueae serum affatim fundentes, maxime dolorosae, ejulatum exprimentes. (*Lambergen*, l. c.)

Insignis (statim) calor, tum largissimus sudor. (*Greding*, l. c. p. 320.)

Sudores magni nocturni, non debilitantes (*Ackermann*, l. c.); — sudor insignis qualibet nocte. (*Greding*, multis locis.)

Sudor matutinus. (*Ziegler*, l. c.)

Totius corporis sudor inter somnum. (*Sauter*, l. c.)

(270) Universalis sudor, a quarta pomeridiana hora ad mediam noctem usque, — tum somnus inter sudorem. (*Sauter*, l. c.)

Sudor validus cum diuresi. (*Ziegler*, l. c. — *Greding*, l. c. p. 688. 689.)

Sudor maximus, longus, indusia fuscans. (*Greding*, l. c. p. 667.)

Tremores. (*Horst*, — *de Launay d'Hermont*, — *Eb. Gmelin*, l. c.)

Suspiria (*Eb. Gmelin*, l. c.), cum tripudio alternantia. — (*Mardorf*, l. c.)

(275) Inter subitum clamorem manibus pedibusque tremit. (*Greding*, l. c. p. 644.)

Angor multus et post horam sudor largus. (*Henning*, l. c.)

Intervallis a furore liberis de angore intolerabili, ad moriendum invitante, querela. (*Baldinger*, l. c.)

Circa meridiem et vesperi praecordiorum anxietas, capitis dolor, faciei rubor et oris amarities. (*Greding*, l. c. p. 671.)

Inquietudo, anxietas. (*Eb. Gmelin*, l. c.)

(280) Agitatio continua totius corporis; — motus corporis continuus, maxime brachiorum, pulsu integro; — motitatio vehemens huc atque illuc, in lecto. (*Boucher*, l. c.)

Vesperi voces minus cohaerentes. (*Ackermann*, l. c.)

Delirium (*Ziegler*, — *May*. l. c.; — *El. Camerarius*, Med. chir. Wahrnehm. VII.; — *Eb. Gmelin*, l. c.; — *Buc'hoz* ap. *Vicat*, Plant. venen. de la Suisse, p. 183.); — delirium continuum. (*Horst*, l. c.)

Domum reverti parat. (*Greding*, l. c. p. 688.)

Quasi somnia cum clamore de itinere parando et de reditu ob incendium domi. (*Greding*, l. c. p. 688.)

(285) Inter pulsum plenum, de lupis delirium. (*G—ch*, l. c.)

Delirium nocturnum de canibus, aegrotum circumvagantibus. (*Hufeland*, Journ. XVI.)

Mania, delirium de canibus, brachii et faciei tumor. (*Münch*, l. c.)

Noctu absurda garrit, interdiu sanae mentis. (*Greding*, l. c. p. 676.)

Modo delirat, modo juste respondet et queritur. (*El. Camerarius*, l. c.)

(290) Delirium, accessibus reiteratis. (*Commerc. lit. Nor.* 1731.)

Quasi somnolentus murmurat. (*Hasenest*, l. c.)

Garrulitas incongruorum, mente vehementer perturbata (*Grimm*, l. c.); — delira blateratio (*Boucher*, — *El. Camerarius* [post horam sextam], — *Buchave*, l. c.; — *Greding*, l. c. p. 650.); — blateratio velox rerum insanarum. (*Sauter*, l. c.)

Loquacitas, quasi a delirio, oculis fixis et horridis. (*Buchave*, l. c.)
Loquacior, salacior. (*Greding*, l. c. p. 663.)

(295) Post loquacitatem mutitas. (*Buchave*, l. c.)
Delirium jucundum. (*Sauvages*, l. c.)
Cantus. (*Med. chir. Wahrnehm.* VII.)
Subridet satis diu. (*Greding*, l. c. p. 650.)
Risus frequentior. (*Greding*, l. c. p. 651.)

(300) Ridens, cantans, quae circum et obvia sunt, palpat, per diem integrum. (*Greding*, l. c. p. 690.)
In cachinnos effusa cantat, obvia palpat (*Greding*, l. c. p. 679.); — cachinnus (*Grimm*, — *Dumoulin*, l. c.; — *Höchstetter*, Obs. med. Est. 1674. Obs. 7.; — *Med. chir. Wahrnehm.* VII. l. c.); — cachinnus immanis. (*Carl*, l. c.)
Gestus ridiculi; corpus obviorum palpat, nunc sedet, jam lotricis, jam pecuniam numerantis, jam vero bibentis speciem prae se ferens. (*Hasenest*, l. c.)
Gestus praestigiatorius. (*Höchstetter*, l. c.)
Insania (*Höchstetter*, l. c.); abjectis vestibus, indusio solo velati in plateas excurrunt gesticulando, tripudiando, cachinnando, et delira multa tam blaterando, quam agendo. (*Dillenius*, Misc. Nat. Cur. Dec. III. ann. 7. 8. Obs. 161.)

(305) Pedibus quasi suspensis et in altum sublatis incedebat, ac si quid in via positum esset impedimenti, ebriorum ad instar. (*Sicelius*, l. c.)
Capitis quassatio, spuma oris et reminiscentia abolita. (*Greding*, l. c. p. 673.)
Noctu, manibus supra caput complosis, vehementissima, sed brevissima tussis, suffocationem minans. (*Greding*, l. c. p. 691.)
Manuum complosio cum capitis in utramque partem quassatione et labris longa saliva manantibus. (*Greding*, l. c. p. 691.)
Paroxysmi; abominandae faciei musculorum distortiones, lingua latissime exserta, tum poppysmata et vomiturationes. (*Greding*, l. c. p. 668.)

(310) Modo violenter captat obvia, modo timide se retrahit. (*Sauter*, l. c.)
Lacrymae. (*Dumoulin*, l. c.)
Animus abjectus, demissus. (*Boucher*, l. c.)
Noctu surgit et meditabundus ambulat. (*Greding*, l. c. p. 682.)
Verba atrocia, semiarticulata. (*Dumoulin*, l. c.)

(315) Delirium, vel per intervalla rediens, vel continuum, hilare primum, postea plerumque in furorem mutatum. (*Vicat*, l. c.)
Delirium cum ferocia. (*Hoyer*, l. c.)
Furor (*Valentini*, — *Wierus*, — *Schreck*, l. c.), et parentes non agnoscuntur *). (*Solenander* in Abh. d. Königl. Acad. d. Wissensch. Breslau 1750. p. 364.)
Mania ferox in lecto (post horam decimam). (*Sauter*, l. c.)
Lacerat indusia et vestimenta. (*Sauter*, l. c.)

(320) Faciem pugnis ferit. (*Greding*, l. c. p. 664.)
Furor cum stridore dentium et convulsionibus. (*May*, l. c.)
Pro edendis iis, quae poposcit, cochlear ligneum mordet, patinam rodit et canis instar fremit. (*Münch* in *Richt*. Bibl. V. p. 564.)
Vesana patrat, tunicam dilacerat, lapides e terra eruit, quibus obvios feriat (post horam secundam). (*Sauter*, l. c.)
Furor se aliosque laedens, feriens. (*Greding*, l. c. p. 664.)

(325) Mordere adstantes tentat, noctu. (*Greding*, l. c. p. 682.)
Furor, capillos adstantium diripit. (*Mardorf*, l. c.)
Inter ardentem corporis calorem, oculis apertis, fixis, immobilibus, furor tantus, ut retineri semper oporteat, ne alios invadat; sed retenta, quo minus se commoveat, adstantes continuo conspuit. (*Baldinger*, l. c.)

---

*) Ab una bacca.

Post somnum morositas summa, mordet adstantes. (*Buchave*, l. c.)
Obvia mordet (*Münch*, l. c.); adstantes mordendi nisus. (*Dumoulin*, l. c.)

(330) Dilacerandi obvia nisus. (*Dumoulin*, l. c.)
Dilacerat obvia, mordet. screat. (*Sauter*, l. c.)
Straguli tegile projicit. (*Eb. Gmelin*, l. c.)
E lecto exsilire tentat. (*Eb. Gmelin*, l. c.)
Tam anxia tamque animo confusa, ut moribunda sibi videatur. (*Timmermann*, Diss. Pericul. Belladonnae.)

(335) De morte instante timor. (*Eb. Gmelin*, l. c.)
Fugae molimina (*Sauter*, l. c.); — causam mentiens, in campum liberum effugit. (*Münch*, l. c.)
Autochiriae per strangulationem tentatio, orat, ut ipsam interficiant adstantes, quippe cui mors profecto instet. (*Greding*, l. c. p. 690. 692.)
Praecipitatio ab alto (*Buc'hoz*, l. c.), in aquam. (*Sauter*, l. c.)

Cannabis sativa.

(Succus ex foliorum apicibus plantae florescentis sive masculinae, sive femininae recenter expressus, cum pari spiritus vini mensurae copia mixtus et post aliquot dies a sedimento separatus.)

Cannabis semina, aut in forma emulsionis ex illis cum aqua contritis paratae, aut in decocto, in stadio gonorrhoeae inflammatorio et antiquitus in quibusdam icteri speciebus (auctoribus Dodonaeo, Sylvio, Herlizio) haud absque utilitate adhibuerunt. Usus ejus salubris in affectionibus organorum uropoieticorum, quas planta nostra peculiari modo in sanis hominibus producere valet, ex ratione homoeopathica luculenter demonstrari potest.

Ipsa herba praebet remedium, medicinae domesticae proprium, nec incongrue tamen usitatum in cauponis persicis ruralibus ad tollendam fatigationem iter pedestre facientium (teste Chardin voyage en Perse), quod equidem homoeopathicis legibus respondet, docentibus symptomatibus 216—224. Sed multo majus auxilium feret Cannabis adversus varia mala, verbi gratia pudendorum, pectoris et sensuum, quod observationes sequentes demonstrant.

Hucdum guttae succi recenter expressi et spiritu vini mixti particula exigua usus sum*). *Trinks.*

*) Vires hujus plantae primarias experimentis in corpore sano institutis eruerunt, praeter Samuelem Hahnemannum, Carol. Franz, Gul. Groſs, Frid. Hahnemann, Phil. Hugo, Ernest. Stapf, Gul. Wahle.

Symptomata.

Vertigo et capitis obnubilatio in statu.
Vertigo inter eundum, ac si ad latera prolapsurus esset (post horam primam).
Rerum praeteritarum obliviscitur, et phantasia ingenioque caret.
Mentis actio acquiescere videtur, — oculi rigent, — profundis meditationibus, quibus sibi haud conscius est, immersum se sentit, leni cum doloris prementis in osse parietali sensu.

5. Hujus vel illius rei recordatur, sed ideae fixae, quasi immobiles, haerent, et diutius in objectum meditationis animum intendit.
Scribendo saepius peccat.
Sanguinis versus caput congestio vehemens. (*H.*)
Congestio sanguinis versus caput, quo calor gratus in illo generatur, sed cum dolore premente in temporibus.
Dolor continuus in summo capite, quasi a lapide imposito.

10. Capitis oppressio et gravitas cum sensu pressionis dolorosae in fronte et palpebris, collapsum minantibus.
Cum unum capitis latus parieti apponatur, pressio interna in altero nascitur.
Sub frontis tubere pressio, in cerebrum profundum penetrans.
Pressio in temporibus.
Sensus dolorosus in capite et nucha inter motum.

15. Dolor trahens in occipite versus aures.
Constrictio vehemens, dolorosa syncipitis.

Syncipitis compressio a marginibus orbitarum ad tempora usque, capitis pronatione haud mitigata.

Sensus frigescens in ossis bregmatis ambitu minori, serius etiam in aliis capitis locis, quasi ab aquae frigidae gutta in illos stillata.

Reptationis sensus in capillitii cute. (*H.*)

20. Pressio lancinans in palpebra superiori.

Pupillarum contractio et dilatatio alternantes, non mutata luce (post horam primam).

Debilitatis oculorum sensus cum visu hebete, — objecta tam remotiora quam propiora haud clara cernuntur (post horam primam et dimidiam).

Circulus denticulatarum, albescentium flammarum versus dextrum lineae opticae latus, ut objecta non nisi ad partem et haud clara cernantur, efficiens.

Visus hebetudo.

25. Cornea oculi fit impellucida, — pterygium. (*H.*)

Pressio in posteriore orbitae ambitu versus exteriora (post horae quadrantes tres).

Contractionis spasticae in oculis sensus (post horae quadrantes tres).

Lenis musculorum palpitatio in pluribus faciei locis, maxime musculi buccinatoris sinistri lateris.

Sensus caloris in naso, quasi ab epistaxi instante.

30. Epistaxis (post horam tertiam). (*H.*)

Nodus magnus in naso, cum ambitu tumescente et rubente, sicuti gutta rosacea. (*H.*)

Aurium obturatio, quasi a pelle protensa.

Pulsatio in aure.

Dolor pulsans, urgens in aure, in buccas fere extensus, pronatione statim cessans, erectione subito rediens (post horam tertiam).

35. Punctiunculae in aure dextra, extrorsum tendentes.

Dolor pone aurem dextram, ac si ibidem cuspis obtusa violenter intruderetur.

Punctus magni, acuti ad processum mastoideum.

Dolor stupefaciens, comprimens, in sinistro menti latere, quo dentes ejusdem lateris participantur.

Exanthema in labiorum epithelio et in oris angulo. (*H.*)

40. Dolor in ramo maxillae inferioris sinistro et in pluribus dentibus mutiens in trahentem semper abiens.

Justo modo loqui non poterat: mox verbis, mox voce carebat, per hor. IV. — accessus versus vesperam crebrius recurrentes: mox continuo sermone loquebatur, dum verbis verba urgebantur — mox sermo inter loquendum intercipiebatur, ita ut interdum unum idemque verbum uno tenore decies aut haud raro etiam sententiam prolatam anxie repeteret, aegre simul ferens, quod sententiam iisdem verbis exprimere haud valeret.

Vox attollitur cum anxietate summa ob dolores dorsi cruciantes.

Oris siccitas et saliva tenax cum potulentorum inappetentia maxime vespertina et manuum calore.

Inter pastum ciborum integro appetitu assumtorum, quando satietatem fere sentit, vomituritio transitoria in oesophago ascendit.

45. R e g u r g i t a t i o l i q u o r i s a m a r i, a c i d i, r o d e n t i s.

Regurgitatio aquae insipidae, sine nausea aut strangulatione praecedente, in oesophagum et tracheam, quam semper intrare minatur.

Eructatio liquoris amaro-acidi in os.

R u c t u s a ë r e i.

Ructus acidi.

50. Sensus strangulans, continuus, in oesophago ascendens, quasi a ventriculi acore.

Strangulatio in cordis scrobiculo in oesophagum ascendens.

Anxietas et angor in cordis scrobiculo cum respirationis angustia et cordis palpitatione; calor in oesophagum ascendens respirationem praecludit, ut si quid tracheae inhaereat, cum calore volatico.

Dolor in cordis scrobiculo uti forcipe premens, secans.

Dolor discindens super ventriculum post corporis pronationem.

55. Punctus continui, obtusi subter costis spuriis, juxta cordis scrobiculum, gradum solummodo mutantes, trunci inflexione aut resupinatione per momenta mitigati, sed brevi eadem vehementia revertentes.

Vehemens ventriculi dolor à tactu, quasi ab ulcere, post pastum imminutus.

Tormina uti forcipe prementia, in toto abdomine.

Pulsatio anxia in epigastrio, ut à fortiori arteriarum micatione.

Dolor pulsans in dextro latere, juxta umbilicum et in sinistro sub costis ultimis, versus dorsum, quasi malleo.

60. In sinistro latere, prope umbilicum et spinam dorsi dolor ac si partes istae forcipe prehenderentur aut comprimerentur.

Sensus, quasi a ventriculi refrigeratione et maxime tempore matutino motus intestinorum peristalticus acceleratior cum torminibus abdominis, nulla tamen diarrhoea secunda. (*H.*)

Sensus per plures dies tempore matutino (ab hor. VIII — X) reiterans, quasi a refrigeratione, cum motu intestinorum peristaltico aucto, nulla tamen diarrhoea secunda. (*H.*)

Dolor intestinorum, quasi a contusione.

Intestinorum in abdominis cavo oscillatio inter brachiorum motum vehementem, ac si in libero penderent.

65. Horror in abdomine, quasi ab aqua frigida in illo undulante (post octo minutas).

Dolor trahens in renum regione usque in glandulas inguinales extensus, cum sensu anxie nauseabundo in scrobiculo cordis. (*H.*)

Dolor in renum regione et sponte et tactu suscitatus, quasi ab ulcere.

Motus intestinorum peristalticus acceleratior cum punctibus obtusis in latere abdominis sinistro, ad aurem usque protensis.

Flatuum in epigastrio et hypogastrio restagnatio sub vesperam, cum doloribus colicis.

70. Ictus dolorifici in abdomine ex uno loco in alterum tendentes, ac si vivum quoddam intus versaretur, cum dolore trahente ex osse ileo sinistro versus dextrum et ex illo in genu — qui dolor simul in coxa persistit, ictuum lancinantium ad instar.

Punctus obtusi aliquot in latere abdominis utroque post cubitum, in dorso sursum tendentes, cum simili dolore inter scapulas, tunc ad latera abdominis revertente.

In femoris flexura primo ictus vulsorii, postea sensus, ac si regio annuli abdominalis nimis distensa esset, et annulus abdominalis extrorsum premeretur.

Pressio versus exteriora in annulo abdominali, et dolor, quasi ab ulcere exoriundo.

Dolores colici in epigastrio, secunda evacuatione alvi diarrhoica et dolore in ano, quasi ab erosione.

75. Pressio in regione sacrali et in intestino recto, ac si intestina descenderent et extrorsum premerentur.

Dolor stringens in ano, cum sensu ac si femora contraherentur, illa appropinquare cogens.

Micturitio cum doloribus prementibus. (*H.*)

Urina fibris plena, quasi a pure admixto.

Urinae profluvium: mictus crebrior, brevibus intervallis reiterans, urinae aquosae et copiosae (statim).

80. Ardor merus et vehemens in anteriore urethrae parte inter urinae profluvium. (*H.*)

Ardor in urethrae orificio inter mictum. (*H.*)
Ardor inter mictum, maxime autem post illum et tempore vespertino vehementissimus. (*H.*)
Dolor ardens inter mictum, a glande usque ad posteriorem urethrae partem, post illum in mordacem dolorem mutatus. (*H.*)
Dolor inter mictum ab orificio usque in posteriorem urethrae partem ardenter mordax, in posteriore urethrae parte vero potius pungens. (*H.*)

85. Dolor ardens aliquis etiam extra mictum, ad mictum continuum fere cogens, nulla licet urina in vesica praesente. (*H.*)
Dolor punctim mordax inter mictum, extra illum mordax tantum. (*H.*)
Punctus secundum urethrae longitudinem extra mictum. (*H.*)
Punctus vulsorii in urethrae parte posteriori (statim). (*H.*)
Punctus prurientes, titillantes in anteriore urethrae parte.

90. Punctus ardens in urethrae posteriore parte, inter mictum (post horam decimam).
Ardor in urethra tota, solummodo initio et sub finem mictus.
Ardor secans inter mictum in anteriore urethrae parte.
Inflammatio et a tactu dolor secundum urethrae longitudinem, a penis erectione vero dolor tensivus. (*H.*)
Urinae radius pluries divisus. (*H.*)

95. Lotium albescens, turbidum. (*H.*)
Lotium rubicundum, turbidum. (*H.*)
Effluvium muci ex urethra absque dolore (Gonorrhoeae species?). (*H.*)
Effluvium aquose-pituitosum ex urethra.
Muci limpidi, pellucidi effluvium ex urethra, sine dolore (liquoris prostatici effluvium?) et sine penis erectione.

100. Conglutinatio orificii urethrae per liquidum, pressu profluens.

Penis tumor, absque erectione.
Intumescentia glandis et penis, species erectionis.
Tumor partis dextrae et inferioris praeputii.
Intumescentia frenuli et praeputii, ubi in frenulum transit.

105. Pruritus ingratus in dextro praeputii latere et in marginis ejus anterioris superficie interna, gratus vero inter scabendum et postea.
Ardor exedens et punctio in externis praeputii partibus et in urethra, in regione coronae glandis.
Pruritus sub praeputio et in frenulo cum quodam rubore et humore pone glandis coronam collecto.
Praeputii color purpureus, calor et inflammatio.
Dolor quasi ab erosione in margine et latere interno praeputii.

110. Ardor continuus in toto praeputio et glande per quatuor dies, exedens vero dolor ab imposita aqua frigida.
Intertrigo marginis praeputii.
Glans tam purpureum, quam praeputium ipsum, colorem exhibet.
Cutis glandis maculis lenticularibus, laete rubentibus obsita est, quae magis quam glans ipsa rubent.
Penis inter eundum quasi a vulnere aut combustione dolet, ut illum fasciae ope sursum ferri opporteret.

115. Liquidi colluvies et mador pone coronam glandis uti in balanitide.
In latere dextro, juxta penem dolor, quasi ab ictubus penetrantibus, et in motu, et in quiete.
Penis erectiones crebriores, postea punctus in urethra. (*H.*)
Penis erectiones crebriores in sessu, haud inter eundum. (*H.*)
Erectiones penis inter tussiendum, secundo dolore in urethra. (*H.*)

120. In statu dolor tensivus in funiculo spermatico et contractio scroti cum sensu intus stringente. (*H.*)

In statu sensus premens aut tensivus in testiculis. (*H.*)

Siccitas nasi et siccitatis sensus cum calore in naso. (*H.*)

Sternutatio et sensus gravedinis absque tamen narium obturatione.

Tempore matutino pituitam tenacem tracheae inferiori inhaerentem nec tussi, nec screatu fortiori solvere aut portiunculam ejus ejicere valet, quam postea solutam non per os exspuere, sed deglutire cogitur. Tussis et screatus sensum rasionis, quasi a vulnere crudo secundum tracheae longitudinem relinquunt. Postea vero pituita sponte soluta iterum iterumque screatu ejicitur.

125. Rasionis sensus, quasi a sale, in pectore, screatum crebriorem provocans. Mucum solutum non per os exspuere, sed deglutire cogitur.

Versus diem septimum muci antea tenacis levis solutio cum dyspnoea, quasi a re pectus gravante; statim mitigata.

Inspirationis difficultas, quasi ab onere pectus gravante.

Pectoris angustia et in trachea angor et necessitas spiritum profunde ducendi.

Respirationis angustia a dolore tensive premente in medio sterno, quod simul tactu dolet, cum somnolentia. (*H.*)

130. Contractio vehemens sub sterno, in parte inferiore thoracis absque tamen ullo respirationis impedimento; inter resupinationem corporis cessans, a pronatione sicuti etiam ab inspiratione maxime aucta.

Oppletio tensiva pectoris sinistri, cum ictubus lenibus, cordis palpitatione et anxietate.

In utroque pectoris latere ictus saepius redeuntes, respirationem intercipientes et summos dolores in cordis regione excitantes. (*H.*)

Ictus bis iterati, in cor tendentes, ac si illud e thorace prolapsurum esset, corporis motu et

pronatione excitati, cum calore in cordis regione. (*H.*)

Tussicula interdum in larynge oriens, cum sensatione liquoris frigidiusculi, salsi in gula.

135. In sinistro latere prope os coccygis dolor, ac si ista pars ad corpus durum violenter apprimeretur.

Dolor uti forcipe premens medio in dorso, ad abdomen usque sese extendens.

Dolor in dorso respirationem intercipiens.

Dolor vehemens a pressu in regione acromii, in digitos usque pergens.

Sensus in humero quasi a contusione, inter brachii extensionem.

140. Contractio crampoides manus dextrae, et ossium metacarpi per intervalla reiterata.

Frigus et sensus frigiditatis in manibus.

Crampus in articulo pollicis inter scribendum.

Formicatio quasi a narcosi in digitorum extremis et sensus ac si surda essent.

Debilitas paralytica subitanea manus, in cibo capiendo furculam digitis tenere non valet, cum manus totius tremore inter apprehensionem et sensu immobilitatis et paralyseos dolorosae.

145. Pustulae in natibus et femoribus erumpunt: vesiculae parvae, albidae, margine rubro, laevi, ardore igneo a tactu et corporis incubitu, maculas fusco-rubras post duo dies relinquentes, quae a tactu vehementer dolent.

In dextra coxa dolor crampoides, vulsorius, strangulans, vociferationes fere proliciens. (*H.*)

Horror in femoribus, quasi a cute anserina nascente, ad pedes extremos percurrens.

Sensus crampoides haud dolorificus in posteriori femoris dextri parte, ac si palpitatio in aliquo musculo oriretur.

Sensus subluxationis patellae inter scalarum adscensum.

150. Dolores trahentes rheumatici in periosteo ossium artuum omnium, quasi a contusione, inter motum.

Pressio lancinans, constringens, in genu sinistro, in fronte et pluribus corporis locis.

Punctiunculae molestissimae quasi ab innumeris acubus in toto corpore, vix tolerabiles, noctu in lecto, quando sudor stragulorum fotu prolicitur, paucis locis incipientes, et scalpturigini cedentes per momenta, postea vero super reliquum corpus diffusae, cum cordis angore et sensu, ac si iterum iterumque aqua calida perfunderetur, denudatione corporis mitigatus.

Lancinantes ictus et punctus profunde penetrantes in pluribus locis, maxime in artubus.

Languor et lassitudo corporis et gravitas pedum post pastum; negotiolis quibusve adeoque sermocinando et scribendo valde delassatur.

155. Lassitudo omnium membrorum post pastum cum pressione lancinante in latere sinistro sub costis brevibus; locus tactu dolet.

Segnities et languor totius corporis cum oscitatione frequentiore et artuum pandiculatione, ac si obdormiturus esset.

Magna corporis lassitudo a minimo motu, eaque tanta a scalarum adscensu, ut corpus summe defatigatum diutius in pulvinari reponere cogeretur, priusquam iterum sese movere aut loqui valeret.

Corpus ne collabatur ob virium defectum subitaneum maxime in artubus inferioribus, timet — corpus inter minimum motum huc et illuc titubat, licet eundo stabilitas major videatur (post horam tertiam).

Oscitatio crebra, continua per quadrantem horae (post horam primam et dimidiam).

160. Somnolentia per diem integrum.

Somnus inquietus. (*H.*)

Somnus nocturnus turbatus crebra experrectione cum somniis confusis, interdum anxiis et pollutionibus cum insequente somno languente.

Somnia de casibus infaustis aliorum. (*H.*)

Somnia injucunda, terribilia, ac si omnia in malam partem verterentur, angorem magnum excitantia, confusa, post evigilationem vero memoriae adhuc praesentia.

165. Somnia luculenta, terribilia, sine anxietate tamen, aliqua animi praesentia persistente.

Post evigilationem e somno matutino, fere haud turbato major corporis lassitudo, quam vespera praeterita ante cubitum.

Febris: horror concutiens, cum siti vehemente, et post pastum concussio cum manuum, genuum et pedum frigore, tremore, distractione musculorum faciei et animo mox flebili, mox hilari aut furore per aegritudinem de rebus omnibus excitato; inter frigus calor dorsum et pedes semel percurrit, qui madebant, verumtamen haud calentes tactu deprehendebantur.

Frigus cum siti, nec calore, nec sudore secundo, tempore pomeridiano (post horas 52). (*H.*)

Corporis totius frigus, facie autem magis magisque incalescente.

170. Horror mox truncum, mox totum corpus, etiam capitis integumenta percurrens et capillos quasi contrahens, cum sensu valetudinis adversae aliquo.

Frigiditas per plures horas (statim).

Artus inferiores a tactu frigent, cum horrore tremulo.

Calor et caloris sensus in facie.

Pulsus tardus, vix sentiendus.

175. Achaeria et apathia.

Hilaritas, quasi a crapula (post horam primam).

A minimo rumore in terrorem propensio (post horam primam et horae quadrantem).

Tristitia. (*H.*)

Morositas, maxime tempore pomeridiano.

180. De causis minimis aegritudo et iracundia.

Observata medicorum veteri doctrinae addictorum.

Dolores capitis vehementes. (*Neuhold* in Act. Nat. Cur. III. p. 150. etc.)
Cataracta. (*Neuhold*, l. c.)
Faciei pallor. (*Morgagni*, de sed. et caus. morb. Epist. X. art. 13.)
Haemorrhagia narium ad animi deliquium usque. (*Neuhold*, l. c.)

(5) Aurium tinnitus. (*Neuhold*, l. c.)
Loquendi difficultas. (*Morgagni*, l. c. Epist. XV. art. 6.)
Vocis organorum laesio, ut clangere potius, quam loqui videatur. (*Morgagni*, l. c. Epist. VII. art. 13.)
Ardor in faucibus. (*Morgagni*, l. c. Epist. XV. art. 6.)
Vomitus viridis, biliosus. (*Morgagni*, l. c. Epist. VII. art. 13.)

(10) Cordis oppressio. (*Neuhold*, l. c.)
Accessus pluries vario tempore recurrentes, ventriculi dolores vehementissimi, cum pallore et sudore faciei, pulsibus quasi omnino abolitis, et respiratione, qualis esse in moribundis solet. (*Morgagni*, l. c. Epist. XXV. art. 13.)
Tumor tangenti manui renitens in dextro hypochondrio. (*Morgagni*, l. c. Epist. XXIV. art. 13.)
Hydrops abdominis saccatus, sine femorum aut crurum oedemate. (*Morgagni*, l. c. Epist. X. art. 13.)
Abdomen et pectus externum vehementer dolent. (*Morgagni*, l. c. Epist. XV. art. 6.)

(15) Dysuria, vesicae paralysis. (Lotium vix per argenteam fistulam producta, protinus quasi re opposita aliqua subsistebat, et sane extremum fistulae cavum animadvertebatur mucoso quodam et ferme purulento humore impeditum.) (*Morgagni*, l. c. Epist. X. art. 13.)

Oestrum venereum valde excitat, sterilitatem vero affert. (*Olearius* in Itinerar. orient. spectant. p. 529.)

Oestrum venereum in hominibus et brutis excitat. (*Haller*, ap. *Vicat*, Mat. med.)

Menstruus fluxus magnopere adauctus (a foliis impositis). (*Neuhold*, l. c.)

Partus praematurus (VIII. mense) cum convulsionibus dirissimis. (*Neuhold*, l. c.)

---

(20) Gibber cum ambitu elatiori in processu xyphoideo sterni, qui sine dolore per biennium accrevit, postea vero dyspnoeam ciebat. (*Morgagni*, l. c. Epist. X. art. 13.)

In cordis regione dolor. (*Morgagni*, l. c.)

Cordis pulsatio infra cordis regionem. (*Morgagni*, l. c. Epist. XXIV. art. 13.)

Asthma. (*Ramazzini*, Diatribe de morb. artific. Cap. 26.)

Respiratio valdopere impedita. (*Morgagni*, l. c. Epist. XV. art. 13.)

(25) Orthopnoea: respirat erecta cervice idque cum sibilo et magna elevatione abdominis. (*Morgagni*, l. c.)

Inter decubitum respiratio difficilis. (*Morgagni*, l. c. Epist. X. art. 13.)

Thoracis et pulmonum inflammatio sexies aut septies reiterata. (*Morgagni*, l. c. Ep. XII. art. 13.)

Inflammatio pulmonum cum vomitu materiae viridis, biliosae; inflammatio pulmonum cum deliriis. (*Morgagni*, l. c. Epist. VII. art. 13.)

Dolor pungens ad laevam maxillam. (*Morgagni*, l. c. Epist. VII. art. 13.)

(30) Tussis ab exspiratione. (*Morgagni*, l. c. Ep. XV. art. 13.)

Tussis continua. (*Ramazzini*, l. c.)

Tussis sicca, vehementissima. (*Neuhold*, l. c.)

In vertebris thoracis inferioribus dolor quasi a re gravante et simul pungente (per 50 dies), qui

dolor interdum hinc ad lumbos, inde ad scapulas extendebatur. (*Morgagni*, l. c. Ep. X. art. 13.)

Totus artus inferior dexter resolutione prehenditur, sic tamen ut movendi magis, quam sentiendi facultas interciperetur. (*Morgagni*, l. c. Epist. X. art. 13.)

(35) Affectiones hystericae. (*Neuhold*, l. c.)

Contorsiones artuum superiorum et trunci ipsius per intervalla recurrentes, tonicae convulsiones ad quadrantem horae perstantes, cum vomitu humoris flavi et mentis tenebris, paralysi et morte subsequis. In cadavere dissecto pus in utroque rene et crassities membranarum vesicae, turgor vasorum diaphragmatis et colluvies aquosa in cerebri gyris, nulla vero in ventriculis occurrebat. (*Morgagni*, l. c. Ep. X. art. 13.)

Vigiliae. (*Morgagni*, l. c. Epist. XV. art. 6.)

Sanguinis ebullitiones. (*Neuhold*, l. c.)

Pulsus minimus. (*Morgagni*, l. c. Ep. XV. art. 13.)

(40) Insania mox laetabunda, mox seria. (*Morgagni*, l. c. Epist. VII. art. 13.)

Semina Cocculi (Menispermum Cocculus).

(**Tinctura ex seminum pulvere cum spiritus vini partibus XX loco tepido parata.**)

Plantam hanc hucusque nonnisi ad animalia quaedam noxia enecanda et ad pisces stupefaciendos, ut manibus capesserentur, usitatam, item ut semina Staphisagriae, primus in usum medicum vocavi, postquam effectus ejus in sano humano corpore expertus eram. Pollet eximia virtute medica, quod symptomata sequentia docent, et tincturae ejus dilutio quadrillionaria, secundum legem homoeopathicam propinata, auxilium exoptatissimum fert in pluribus morbis hominum haud raro incidentibus, praesertim in quibusdam febrium nervosarum lentarum speciebus, in pluribus sic dictis spasmis intestinorum abdominis maxime sexus sequioris nec non in affectionibus artuum paralyticis et animi alienationibus, quales Cocculus similes excitare valet.

Camphora est antidotum praestantissimum.

Efficientia dosis majoris novem dies durare solet *). *Trinks.*

*) Vires Cocculi in sanum corpus, praeter Samuelem Hahnemannum, Ch. A. Baehr, Joh. Godofr. Flaemming, Gulielm. Grofs, Ad. Ferd. Haynel, Chr. G. Hornburg et Gulielm. Wahle explorare tentarunt.

Symptomata.

Vertigo per sex horas. (*H.*)

Corporis erectio in lecto excitat vertiginem cum sensu rotationis et vomituritionem, denuo ad recubitum eum cogentes. (*H.*)

Vertiginis accessus, quasi ab ebrietate (in sessu post $1\frac{3}{4}$ horam).

Cogitationes distractae (memoriae defectus) — eorum facile obliviscitur, quae brevi antea cogitaverat.

5. Sensus stupiditatis et capitis gravatio, legendo ita auctae, ut periodum pluries legere cogeretur, antequam sensum intelligeret.

Meditatio animum fatigat.

Sensus ac si cerebrum pondere gravi premeretur, absque tamen dolore.

Stupiditas cum frontis et manuum sudore frigido et ciborum potulentorumque fastidio. (*H.*)

Capitis obnubilatio, maxime potu et cibo aucta. (*H.*)

10. Matutina capitis oppressio, gravitas et murmur in eo, quasi a crapula hesterna aut vespertina. (*H.*)

Dolor capitis vomituritione stipatus et nausea, quasi ab emetico sumto. (*H.*)

Capitis dolor quasi a vinculo constringente. (*H.*)

Capitis dolor, cerebrum vinculo quasi constringens. (*H.*)

Dolor capitis e constringente, ardente, lancinante, subruente, terebrante sensu mixtus. (*H.*)

15. Dolor in temporibus, ac si caput totum trochlea contorqueretur. (*H.*)

Sensus in tempore dextro et sinistro, ac si corpus obtusum lente in cerebrum imprimeretur.

Capitis dolor premens, in syncipite et vertice (post 10 horas).

Dolor obtuse comprimens in dextro frontis dimidio.

Capitis dolor premens, ac si cerebrum comprimeretur (post 5 horas).

20. Pressio vehemens in toto capite, deorsum tendens, maxime in fronte, inter eundum adgravata (post $6\frac{1}{2}$ horas).

Pressio vehemens per totum caput, maxime in fronte (tempore antemeridiano) legendo et meditando ad mentis perturbationem usque aucta (post 6 horas). (*H.*)

Compressio obtusa, quasi undae fluctuent, in sinistro fronte.

Capitis dolor lancinatim pulsans in fronte (ab hora vespertina VII. usque ad IX.) (post 38 horas). (*H.*)

Accessus crebri, aliquot minutas durantes, capitis doloris exiguum locum obsidentis, in frontis sinistri eminentia — primo diri, pulsatim pungentis, dein formicationis sensus versus dextram ossis frontis protuberantiam tendentis ibique exspirantis. (*H.*)

25. Punctus unus fortis in capite, super dextrum oculum (post 12 horas). (*H.*)

Capitis dolor, ac si oculi evellerentur. (*H.*)

Capitis dolor, ac si quid oculos vi clauderet. (*H.*)

Horror in sinistro occipitis latere, ac si capilli erigerentur.

Tremor capitis convulsivus. (*H.*)

30. Pressio obtusa in marginem orbitae externum (statim).

Dolor premens et quasi a contusione in oculis cum difficultate palpebras aperiendi, noctu (post 5 horas). (*H.*)

Pressio in oculo utroque, quasi a pulvere illapso (post 7 horas).

Punctus in oculis, extrorsum tendentes (post 24 horas). (*H.*)
Palpebrarum siccitas. (*H.*)

35. Pupulae contractae (post 5 horas).
Visus hebetudo. (*H.*)
Muscae et maculae obscurae visui obversantes, uti in amaurosi enascente. (*H.*)
Spectrum nigrum oculis obversatur, quod illi antecedere videbatur — corpore converso illud simul sese vertebat — nihilominus tamen objecta clara cernebantur. (*H.*)
Limbi oculorum lividi.

40. Dolor crampoides in musculo temporali sinistri lateris (post $1\frac{1}{2}$ horam).
Dolor crampoides in musculis masticatoriis sponte sua, maxillarum autem divaricatione valde adgravatus (post 3 horas). (*H.*)
In auribus sensus, ac si clausae et surdae essent. (*H.*)
In aure strepitus, qualem auris tubo admota percipit.
Aurium sonitus, quasi ab aqua cadente, cum baryecoia (post 1 horam). (*H.*)

45. Auris dextra quasi obturata, sicut in baryecoia. (*H.*)
Genarum calor volaticus absque siti (post 27 horas).
Genarum rubor et faciei calor, in cubiculo frigidissimo, absque siti.
Punctus in gena externe, in cute et musculis. (*H.*)
Tumor nasi dextri. (*H.*)

50. Pustula suppurans sub dextro angulo oris externo, cum ambitu rubro, a tactu in illa dolor tensivus (post 24 horas).
Parotidis tumor. (*H.*)
Glandularum submaxillarium tumor durus cum nodis in antibrachio, qui manu mulcti dolent. (*H.*)
Glandulae tumor sub mento håud dolorificus (post 8 horas).

Musculorum colli rigiditas dolorosa inter motum et oscitationem.

55. Musculorum colli debilitas cum capitis gravitate per plures dies — musculi colli caput haud amplius sustinere videbantur, quam ob causam caput huic vel illi loco imponere ob dolorem istorum musculorum cogebatur — qui dolor maxime mitigabatur, quando caput ad aliquod fulcrum reclinasset.

Dolor lancinatim ruens in maxilla inferiori. (*H.*)

Dentis cariosi elongationis sensus, vacillatio, et tumor gingivarum (post 12 horas). (*H.*)

Dentis cavi dolor solummodo inter pastum ciborum ipsorum mollium, ac si vacillaret, sed non in mordendo extra pastum. (*H.*)

Sensus mordax in dentibus superioris et inferioris maxillae molaribus, uti ab usu salis marini copioso, mordendo levatus.

60. Lingua aspera, tempore matutino. (*H.*)

Linguae siccitas, absque siti. (*H.*)

Nocturna oris siccitas, absque siti. (*H.*)

Sensus siccitatis in ore, cum saliva spumosa et siti vehemente.

Sensus ac si aqua in ore conflueret, per longius temporis spatium, et aquae in ore colluvies, sine vomituritione (post $1\frac{1}{2}$ horam).

65. In radice linguae longius ex ore exsertae dolor quasi a combustione.

F a u c i u m s i c c i t a s. (*H.*)

Siccitas in posteriore et superiore faucium superficie et asperitatis sensus, cum lingua aspera. (*H.*)

Faucium siccitas, cum caloris sensu in oesophago et ventriculo (post 2 horas). (*H.*)

Siccitas et asperitas faucium et oesophagi, maxime inter deglutiendum, absque siti (post 2 horas).

70. Ardor, quasi ab igne, in oesophago usque in velum palatinum una cum horrore circa caput. (*H.*)

Magna faucium irritabilitas — esculenta tam acria et mordacia sapiunt, ut si nimio sale et pipere condita essent.

Dolor premens in tonsillis, in deglutienda saliva fortior, quam in esculentis deglutiendis. (*H.*)
Pharyngis dolor, cum tumoris in linguae radice, inter deglutiendum dolorosa, sensu. (*H.*)
Species constrictionis strangulantis in superiore oesophagi parte, respirationem angustans et tussim excitans (post 1 horam),

75. Species paralyseos pharyngis, dysphagia oesophagea. (*H.*)
Sapor in ore ut ab inedia longa. (*H.*)
Sapor metallicus in radice linguae. (*H.*)
Sapor metallicus in ore cum anorexia.
Sapor cupreus in ore. (*H.*)

80. Post pastum sapor acidus in ore.
Sapor acidus in ore inter tussim.
Sapor amarus in linguae radice. (*H.*)
Tabaci fumi sapor amarus.
Sapor in ore pituitosus, justo tamen ciborum sapore.

85. Ciborum sapor fatuus, ut si sale aut condimentis egerent.
Oris interni sensus, quasi halitus foetidus ex illo proveniret (post 6 horas). (*H.*)
Summum esculentorum fastidium, jam ab eorum odore excitatum, et tamen cum fame.
Famis sensus in cordis scrobiculo, pastu paululum imminutus, fere per diem integrum.
Sitis magna omni diei tempore, maxime inter pastum.

90. Ructus inanes, saporem amarum in ore et pharynge derelinquentes (post 24 horas). (*H.*)
R u c t u s i n a n e s c r e b r i o r e s (post $3\frac{1}{2}$ horas).
Ructus admodum amari (statim).
Ructus assumtorum saporem redolentes. (*H.*)
Ructus humidi, corrupti aëris (post 8 horas). (*H.*)

95. Ructus putridi, tempore antemeridiano. (*H.*)
Ructuum molimina, ventriculi dolores excitantia (post $2\frac{1}{2}$ horas). (*H.*)
Inter quemcunque ructum dolor in cordis scro-

biculo, quasi ab ictu aut contusione perpessa. (*H.*)

Inter ructus dolor in cordis scrobiculo, punctui similis.

Inter ructus pectoris oppressio. (*H.*)

100. Primo ructuum molimina, et ructus imperfecti, frustranei, in singultum per horam integram abientes (post 3 horas), (*H.*)

Nisus singultiendi et singultus (post 8 horas). (*H.*)

Jentaculi fastidium propter satietatem; esculentorum et potulentorum aversatio. (*H.*)

Anorexia ciborum et potulentorum, sapore nullo. (*H.*)

Fumi tabaci sapor amarus (post 2 horas). (*H.*)

105. Acida nimis persentiuntur, respuit illa; panis saporem acidum exhibet (post 2 horas). (*H.*)

Nausea inter consuetum tabaci usum ad vomitum usque (post 4 horas).

Nausea, quasi ab oppletione nimia ventriculi.

Inter pastum vomituriens nausea. (*H.*)

Inter quemcunque potum tempore pomeridiano nausea, quae praecipue in ore residere videtur. (*H.*)

110. Ob nauseam et vomituritionem matutinam vix sese in lecto erigere valet (post 48 horas). (*H.*)

Si corpus frigidum fit, nausea cum crebro salivae affluxu oritur. (*H.*)

Nausea et vomituritio ingens, dum curru vehitur. (*H.*)

Vomituritio cum cephalalgia et dolore intestinorum quasi a contusione (post ½ horam). (*H.*)

Ad vomitum irritatio.

115. In ventriculo sensus ut ab inedia longa. (*H.*)

Statim post pastum dolor sub ventriculo. (*H.*)

Pressio in ventriculo post pastum.

Dolor premens in ventriculo, scrobiculo, hypochondriis, aliquot horas post pastum, vel noctu in lecto.

Pressio in cordis scrobiculo, respirationem intercipiens (post 1 horam). (*H.*)

120. Sensus rodens, quasi avicula rostro ibi tunderet, sub cordis scrobiculo.
Tensio et coarctatio in cordis scrobiculo inter eundum. (*H.*)
Cardialgia vehemens, corripiens. (*H.*)
Cardialgia, sensus ac si ventriculus arcte comprimeretur. (*H.*)
Dolor ventriculi, uti funiculo constringens, impediens, quo minus obdormiscat. (*H.*)

125. Sensus, quasi vermis in ventriculo reptaret.
Dolor arctans, uti funiculo constringens, in epigastrio post pastum, versus latus abdominis sinistrum et pectus tendens (post 100 horas). (*H.*)
Compressio, uti forcipe, in epigastrio, respirationem intercipiens. (*H.*)
Pressio in epigastrio. (*H.*)
Sub ultima costa vera dextri lateris dolor immanis, premens, inclinatione corporis, tussi et respiratione auctus, non vero tactu. (*H.*)

130. Dolor trahens in intestinis. (*H.*)
Sensus vacuus et cavus in abdomine, ac si intestina ex abdominis cavo remota essent.
Coarctatio in abdomine (post $\frac{1}{4}$ horae).
Ardor in abdomine. (*H.*)
Abdominis inflatio magna. (*H.*)

135. Rumor in abdomine, auditu percipiendus.
Flatulentia brevi post pastum — intestinorum mox hic, mox illic a flatibus expansio, cum decessu flatuum difficili (post 5 horas). (*H.*)
Colica flatuosa circa mediam noctem — expergefactus e somno flatuum generatione continua, qui in abdomine inflato hic atque illic dolorem prementem excitant et singulatim absque ullo levamine decedunt, sed denuo enascuntur, per plures horas — in lecto mox huic mox alteri lateri incumbere cogitur, ad levamen quoddam adducendum (post 20 horas). (*H.*)
Flatuum restagnatio. (*H.*)

Punctus in pluribus abdominis locis inter corporis pronationem (post 15 horas).

140. Tormina lancinantia. (*H.*)

In lumborum et renum regione, mane in lecto, inter cubitum pressio acuta, dura, post surrectionem exspirans. (*H.*)

Tormina vehementer discindentia, post prandium, inter eundum, cum sensu frigoris et vertiginis (die VIII.).

Dolor vehementer constringens in hypogastrio, cum pressura versus genitalia et deliquescentia in cordis scrobiculo, et nisu verminationis. (*H.*)

Punctus continuus in dextra pubis regione.

145. Nausea ex dextro abdominis latere versus umbilicum tendens, sine vomituritione (statim).

Molimina herniae inguinalis (post 8 horas). (*H.*)

Molimina herniae inguinalis dolorosa, maxime inter surgendum post sessum.

Dilatatio annuli abdominalis sinistri et molimina herniae inguinalis cum dolore quasi a vulnere (post 14 horas). (*H.*)

Dolor paralyticus in dextro abdominis annulo, quasi quid extrorsum urgeret — dolor quasi ab hernia prolapsa solummodo inter sessum praesens, surgendo vero evanescens.

150. Alvi obstructio plurium dierum. (*H.*)

Excrementa alvina dura altero quoque die magna cum difficultate prodeuntia ejiciuntur. (*H.*)

Post alvinam dejectionem vehemens intestini recti tenesmus, lipothymiam fere excitans. (*H.*)

Nisus alvum exonerandi cum diarrhoea subsequa excrementorum odorem putridum redolentium.

Nisus alvum deponendi et flatus mittendi simul exoriens, dein cum flatuum decessu in brevibus intervallis recurrente, sedes celeres in plures partiunculas divisae.

155. Nisus alvum exonerandi frustraneus cum obstructione per triduum, die quarto demum alvus dura, difficilis.

Flatuum calidorum decessus ante egestionem excrementorum diarrhoicam.
Sedes molles, diarrhoea. (*H.*)
Egestiones parvae, crebrae (post plures horas). (*H.*)
Sedes molles, tenues (post 1 horam).

160. In intestino recto molimina alvum exonerandi, sed excretio alvina ob motum in intestinis superioribus peristalticum silentem, per spatium 36 horarum retardatur (post $1\frac{1}{2}$ horam).
Dolor constringens in ano, sessum impediens, tempore pomeridiano (post 20 horas). (*H.*)
Pruritus ardens in ano. (*H.*)
Formicatio et pruritus in intestino recto, quasi ab ascaridibus.
Urina aquosa (post $2\frac{1}{2}$ horas). (*H.*)

165. Micturitio crebrior, quocunque horae quadrante iterata, urinae excretione imminuta (per 30 horas) (post 4 horas).
Dolor in urethra inter micturitionem.
Dolor tensive premens in urethrae orificio extra mictum (post 1 horam). (*H.*)
Punctus in urethra et praeputii apice (post 12 horas). (*H.*)
Pruritus pungens in anteriore urethrae parte (post 13 horas).

170. Pruritus in scroto et in cute ejus. (*H.*)
Ardor pruriens in scroto.
Dolor pungens in testiculo alterutro. (*H.*)
Dolores trahentes in testiculis. (*H.*)
Dolores in utroque testiculo vehementes, quasi a contusione, maxime tactu exasperati (die VIII.).

175. Menstrua VII dies anticipantia, cum abdominis inflatione et doloribus secatim constringentibus, quocunque motu et inspiratione, una cum ani contractione (post 48 horas). (*H.*)
Menstrua VIII dies anticipantia, cum abdominis inflatione et dolore in epigastrio non solum inter quemcunque motum, sed etiam in sessu, ut si partes internae a lapide acute premerentur, a tactu vero dolor quasi ulceris interni. (*H.*)

Menstrua, per annum integrum suppressa, statim redeunt.
Leucorrhoea. (*H.*)
Orgasmus partium genitalium et appetentia rei venereae. (*H.*)

180. Aucta pudendorum sensibilitas.
Pollutio nocturna. (*H.*)
Noctu pudenda flaccent, et praeputium pone glandem retrahitur (post 12 horas). (*H.*)

Sternutatio. (*H.*)
Sternutatio.

185. Sternutatio inter ambulandum in aëre libero praeclusa. (*H.*)
Dolor in naris angulo anteriori, in apice nasi, maxime a tactu. (*H.*)
Dolor in nare sinistro quasi ab ulcere, nec tamen a tactu. (*H.*)
Coryza vehemens quatuor dierum. (*H.*)
Coryza vehemens per integrum diem.

190. Pituita tenax, laryngem obsidens, screatum urgens. (*H.*)
Ad tussim irritatio in suprema laryngis parte. (*H.*)
Vespere in lecto, irritatio ad tussim in posteriore laryngis parte, tussis gemini semper impetus. (*H.*)
Secundum typum quartanum, in quacunque nocte quarta, hora duodecima aut secunda matutina, tussi ex somno excitatur cum oris siccitate — sensus inter tussim, quasi larynx angustior esset. (*H.*)
Tussis valde fatigans ob pectoris angustiam, inter quemcunque tussis accessum demum nascentem (post 48 horas).

195. Sensus opprimens, respirationem intercipiens et tracheam angustans, tussimque continuam excitans. (*H.*)
Respiratio, maxime inspiratio sibilans, stertorosa, ad suffocationem usque impedita, longissima cum brevissima, interdum omnino intermittente alternans, cum facie uti in apoplexia turgida. (*H.*)

Pectus angustatum, respiratio difficilis.
Respiratio brevissima, fere prorsus intercepta.
Constrictio tensiva in pectoris latere sinistro, respirationem coarctans (post ½ horam). (*H.*)

200. Angustatio pectoris, maxime in superiore sterni parte, respirationem impediens (post 4 horas). (*H.*)
Alta voce legendo pectus tantopere fatigatur, ut nonnisi cum intentione magna in legendo pergere posset.
Motus auditu percipiendus in pectore sinistro, quasi a pectoris inanitione, maxime inter eundum sensibilis (post 3 horas).
Dolor premens medio in sterno cum angore, postea pungens in sterno dolor (post 3 horas). (*H.*)
Punctus in pectore interno secundum pulsus rhythmum inter sessum, per horae quadrantem continuantes.

205. Punctiunculae per vices recurrentes in pectore sinistro inter inspirationem.
Punctus vehementissimus per pectus sinistrum ad dorsum usque penetrans, inter eundum.
Punctus in dextro et sinistro latere (post 1 et 3 horas). (*H.*)
Punctus aliquot in pectore sinistro prope scrobiculum cordis vespere (post 24 horas). (*H.*)
Punctiunculae in mammarum papillis (post ½ horam). (*H.*)

210. Dolor penetrans in articulationibus pectoris et vertebrarum dorsi, ac si luxarentur aut spastice contraherentur, maxime inter motum (post 20 horas). (*H.*)
Dolor paralyticus in regione sacrali, quasi a lumborum debilitate. (*H.*)
Dolor paralyticus in regione sacrali cum tractione spastica supra coxas, gressum valde impediente, et animo anxio, meticuloso. (*H.*)
Dolor quasi a conquassatione ossium in sacrali regione, tactu haud exasperatus. (*H.*)

Punctus complures per abdomen et dorsi partem inferiorem penetrantes, mane in lecto. (*H.*)

215. Dolor paralytice premens in lumborum regione.
Tremor in dorso. (*H.*)
Pruritus in dorso, vespere postquam vestimenta deposuerat, cum pustularum rubrarum eruptione. (*H.*)
Dolor trahens in latere versus dorsum tendens, inter loquendum, eundum et corporis pronationem, decubitu aliquot sexagesimas exasperatus, postea vero plane remittens. (*H.*)
Dolores trahentes, lancinantes, terebrantes in dorso. (*H.*)

220. Dolor quasi ab onere gravi sublato in dorso inter statum. (*H.*)
Dolor in spina dorsi, ac si illa confringeretur. (*H.*)
Lancinans dolor inter scapulam et spinam vertebrarum dorsi, ante decubitum vespertinum (post 36 horas). (*H.*)
Punctus in scapulis a sinistra versus dextram tendentes. (*H.*)
Gravitas in scapulis et nucha. (*H.*)

225. Concrepatio dolorosa vertebrarum colli inter motum capitis. (*H.*)
Dolor pungens in nucha inter capitis inclinationem et reclinationem.
Rigiditas dolorosa in scapulis inter motum.
Sub axilla dextra dolor pulsans, formicans et ardor inde ad digitos pergens (post 1 horam). (*H.*)
Dolor in articulo humeri et cubito et tubo ossis humeri, ex diffringente, lancinante et pungente compositus, in quiete intolerabilis cum gravitatis sensu et metu brachium movendi, motu tamen ipso mitigatus (post 5 horas). (*H.*)

230. A brachii elatione post pastum dolor immanis trahens in ossibus, a tactu quasi a conquassatione et contritione dolentibus. (*H.*)
Punctus singuli in humeri musculis et articulo inter quietem (post 1 hor.). (*H.*)

Dolor ardens accessibus reiterans in brachio sinistro. (*H.*)
Brachiorum convulsiones cum pollicis intorsione. (*H.*)
Sensus in brachio, quasi a torpore aut paralysi inter pastum et post eum (post 3 horas). (*H.*)

235. Magnus in brachio dolor inter pastum cum lassitudine et gravitate ejusdem, quando illud altius tollere conatur. (*H.*)
Brachii narcosis cum sensu formicante.
Species paralyseos brachii inter scribendum, vix calamum tenere permittens (post 4 horas).
Dolor sensibilis, paralyticus, quasi a diffractione ossium, inter brachiorum motum vehementem.
Dolor brachiorum, quasi confracta essent, dum tolluntur.

240. Dolor in humeri ossibus, super cubito, quasi a conquassatione, et paralyticus inter motum.
Dolor in brachio, cui in lecto incumbebat, quasi a conquassatione.
Dolor subruens, undulanter-trahens, et quasi a conquassatione, in osse humeri sinistro.
In osse humeri trahens dolor, quasi a conquassatione.
Punctus obtusi, ictus ad instar, per intervalla recurrentes, in externo humeri sinistri latere, subter ejus capite.

245. Punctus in humero dextro.
Vulsio sensibilis, uti pulsus micatus, in musculis humeri sinistri et super cubito brachii dextri.
Dolor paralyticus repentinus in flexura cubiti dextri.
In anterioribus antibrachii musculis dolor valde sensibilis, fere lancinans, paralytice-premens, per intervalla recurrens, maxime inter quietem. (*H.*)
In radio dolor, quasi a luxatione, inter motum et a tactu. (*H.*)

250. Narcosis antibrachii cum sensatione in manu, quasi tumesceret, et dolore vehementer constrin-

14

gente in musculis — digiti frigent cum gelu interni sensu (post 8 horas). (*H.*)

Inter pastum tremor manus, isque multo major, cum altius attollitur.

Stupor manuum alternatim. (*H.*)

Manus frigido sudore madidae, alternatim alterutra. (*H.*)

Manus sudore madidae (statim). (*H.*)

255. Manus altera frigida, altera calida; alternatim (post ¼ horae). (*H.*)

In manus margine, prope digiti minimi radicem vesicula, aqua repleta, noctu exorta, die sequente aquam fundit (post 5 dies). (*H.*)

Dolor lancinans, terebrans et trahens in manuum digitis. (*H.*)

Pruritus profundum penetrans, titillans in vola pollicis, frictione et scalpturigine non mitigatus (post 16 horas). (*H.*)

Digiti contractio crampoides.

260. Dolor spastice pungens a posteriore ad anteriorem extremitatem digiti indicis dextri.

Vulsio dolorifica, paralytica, per digitos manuum (post 6 dies).

Vellicatio in nate dextro inter sessum, serius in ictus obtusos abiens.

Dolores trahentes, lancinantes et terebrantes in pedibus. (*H.*)

Extremitatum inferiorum immobilitas paralytica (post 24 horas). (*H.*)

265. Dolor pungens in articulo femoris sinistri inter eundum (die V.).

Inter femoris conversionem concrepatio et sensus dolorosus in articulo femoris sinistri, maxime inter eundum (post 24 horas).

Dolor pungens in osse femoris dextri toto, solummodo inter eundum.

Punctus vehementes, pulsantes in externo femoris sinistri latere, motus ejus involuntarios excitantes.

Sensus stuporifice-paralyticus, per intervalla re-

currens, extremitatem inferiorem permigrat, a medio femore deorsum tendens.

270. Tractio paralytica in femoribus, cum genuum debilitate, ac si genicularentur.
Furunculus in interno femoris latere (post 24 horas). (*H.*)
Sensus torporis a femore per genua tendens.
Sensus paralyticus in femore dextro, maxime inter quietem.
Femora quasi paralytica et conquassata.

275. Dolor quasi a confractione aut conquassatione in femoribus, dum attolluntur, et in sessu et in eundo post sessum.
Sensus stringens, haud dolorificus per femur deorsum tendens, interdum cum sensu torporis incipientis — constrictio dein musculos cruris subter fovea poplitea obsidet.
C o n c r e p a t i o g e n u i n t e r m o t u m (statim). (*H.*)
Dolor intolerabilis, trahens, in genu inter surgendum post sessum. (*H.*)
Punctus in genu. (*H.*)

280. Punctus unus, continuans, in articuli genu latere interno inter eundum (die VI.).
Punctus tam vehementes in sinistri genu cute, ut involuntarie ad quemcunque punctum pedem movere cogeretur, inter sessum.
Magna genuum lassitudo, saepius reiterans, qualis iter pedestre longius insequi solet.
Dolor trahens et lancinans in patella. (*H.*)
Sensus subter genu sinistro, ut si crura vinculo firmius ligasset.

285. Crampus nocturnus in suris a genu flexione. (*H.*)
Dolor tensivus in suris inter motum. (*H.*)
Sensus constringens in externo cruris sinistri latere, magis stuporificus, quam dolorosus.
Dolor obtusus, undulans, paralyticus in externo cruris sinistri latere deorsum tendens.
Stupor cruris sinistri in eundo post sessum cum dolore pungente, quasi a multis acubus.

290. Narcosis pedum inter sessum.
Tumor pedum vespertinus. (*H.*)
Sudor pedum frigidus. (*H.*)
Pedum calor, tumor, pruritus continuus, exedens. (*H.*)
Pruritus in pedum articulo. (*H.*)

295. Dolor vehemens in pedis articulo inter motum, quasi a luxatione. (*H.*)
Dolor quasi a conquassatione in pedis dorso, et cum flectitur et cum tangitur (post 3 horas). (*H.*)
Dolor in articulo halucis posteriore, quasi a pernione aut furunculo exoriundo, etiam a tactu. (*H.*)
Dolor lancinans in haluce, inter ipsam quietem. (*H.*)
In digitis pedum dolor exedens (post 3 horas). (*H.*)

300. Dolor internus, quasi a contusione, in osse calcaneo (post ½ horam). (*H.*)
Artuum musculi a tactu dolent. (*H.*)
Partis affectae antea tumentis et inflammatae, cum digito tangitur, dolor subtiliter pungens, quasi ab acus cuspide. (*H.*)
I n a r t u b u s h i c e t i l l i c d o l o r s e n s i b i l i s , p a r a l y t i c e - t r a h e n s c o n t i n u u s , i c t u u m a d i n s t a r , q u a s i i n o s s i b u s .
Dolor internus, subruens in artuum ossibus.

305. Concrepatio articulorum inter eundum.
Rigiditas dolorosa articulorum, mox digitorum, mox manuum, mox genuum et pedum, per biduum (post 24 horas).
Palpitatio fibrarum musculorum singularium, maxime pedum, qualis iter pedestre longius sequi solet.
Pruritus in corporis cute, maxime vespertinus, cum vestimenta deponeret. (*H.*)
Pruritus nocturnus in diversis partibus, quae post scalpturiginem dolent. (*H.*)

310. Pruritus nocturnus partim in pectore, a cordis scrobiculo ad collum usque, partim in tibia et subter axillis — loci affecti post scalpturiginem serum fundunt (post 4 horas). (*H.*)

Pustulae singulae, pure repletae (quae postea exsiccando evanescunt) super naso, in temporibus, pectore et inter scapulas. (*H.*)
Pustulae rubrae, miliares, erumpunt in facie, dorso et pectore, in calore prurientes, non vero vestimentis exutis. (*H.*)
Pustulae tuberculosae, durae, nullo humore refertae, rubore circumfusae, prurientes per diem totum ardente dolore, in artubus, in metacarpo et dorso digitorum. (*H.*)
Macularum rubrarum, amorpharum, quasi vino rubro tinctarum eruptio in cute totius pectoris et colli laterum, et pone aures, sine calore et sine ullo sensu. (*H.*)

315. Pruritus vehementer mordax post sudorem copiosum in totius corporis cute ad scalpturiginem cogens, cum vestimenta abjiceret (post 16 horas).
Pruritus hic et illic in cute, maxime in femoris latere interno, quasi ab urticis, ubi etiam pustulae, a tactu dolorem pungentem reddentes, enascuntur.
Punctus ardenter prurientes, quasi a pulicibus, passim in cute.
Punctus obtusi, ardentes hic atque illic.
Epilepsiae species: fronte sereno cubiculum intrat et in sella residet, cum sensu ebrietatis — tum taciturnus, ad interrogationes nihil respondens, oculos rigidos diutius in objectum aliquod figit; postea sui haud conscius humi prolabitur et corpus cum vagitu inconcinno: ah! au! au! ah! brr! incurvat, urinam involuntarie mittens. Membra simul cum trunco spastice ictubus crebrius reiteratis concutiuntur, et manus extensae per convulsorios motus introrsum flectuntur. Simul strangulationis oesophagi sensus per vices rediens, qualis vomitum praecedit, cum spumae ante os, vesiculas formantis colluvie. Manus frigidae, facies sudore frigido obducta et spastico modo distracta, oculi vitrei ex orbitis protrusi — postea resurgit, ad quaestiones tamen non respondens, ringens et interro-

gantibus exsertam linguam ostendens, tactum aliorum aegre fert, adstantes tundere et cum illis luctare studet. Vultus furoris violenti speciem habet, postremo suspiratur et post horae quadrantem vires cum conscientia sui redeunt, subsequa escarum et potulentorum, etiam maxime gratorum, aversatione (post ½ horam).

320. Dolores lancinantes in tumoribus glandularum duris, si qui adsunt, excitat. (*H.*)

Dolores pungentes et calorem in glandularum tumoribus frigidis, si qui adsunt, excitat, certe dum tanguntur. (*H.*)

Symptomata omnia, maxime capitis dolor, augentur potu, cibo, somno, loquela. (*H.*)

Symptomata summopere augentur tabaci fumo hausto. (*H.*)

Symptomata coffeae usu exacerbantur. (*H.*)

325. Symptomata summopere augentur aëre frigido, maxime capitis dolor. (*H.*)

Aëris liberi fuga, aër nimis frigidus videbatur. (*H.*)

Aëris et frigidi et calidi intolerantia. (*H.*)

Aëris liberi intolerantia cum genarum rubore et calore. (*H.*)

Artuum dolor quasi confractorum inter motum. (*H.*)

330. Dolor artuum internus, tactu et pressione exasperatus (post 24 horas). (*H.*)

Dolor trahens in artubus lateris sinistri. (*H.*)

Dolor trahens in artubus et abdominis musculis, quasi a refrigeratione. (*H.*)

Concrepatio, fragor juncturarum. (*H.*)

Juncturarum rigiditas dolorosa (post 8 horas). (*H.*)

335. Narcosis pedum et manuum alternatim revertens, volatica. (*H.*)

In tremorem propensio (post 1 et 6 hor.). (*H.*)

Tremor in omnibus membris. (*H.*)
Vis vitalis languida. (*H.*)
Artus quasi paralytici. (*H.*)

340. Artuum paralytica immobilitas cum trahentibus doloribus quasi in ossibus. (*H.*)
Debilitatis paralyticae accessus, cum dolore in dorso. (*H.*)
Hemiplegia sinistri lateris. (*H.*)
Sensus paralytice - dolorosus in extremitatibus superioribus et inferioribus, vix e sella surgere valet — cum anorexia. (*H.*)
Virium lapsus a motu minimo — immo a levissimis quibusvis negotiolis fatigatio. (*H.*)

345. Ab obambulatione brevissima lassitudo. (*H.*)
Animi deliquium a corporis motu, cum musculorum faciei spastica distractione. (*H.*)
Summa debilitas. (*H.*)
Tanta debilitas, ut inter laborem haud difficilem, quem antea stando perfecerat, residere cogatur.
Languor corporis, genua truncum amplius ferre recusant, inter eundum titubat, et ne ad latera prolabatur, metuit. (*H*)

350. Tanta membrorum gravitas et totius corporis lassitudo, ut vix somno sese abstinere valeat, eaque hora nona matutina per plures dies redibat.
L a s s i t u d o c o r p o r i s t a n t a, u t v i x f i r m i t e r s t a r e v a l e r e t.
Segnities taciturna. (*H.*)
Somno vel minimum deminuto, adeoque post unius horae vigilias, virium lapsus. (*H.*)
Nisus in decubitum. (*H.*)

355. Oscitatio intercepta, brevis, ob inspirationem debiliorem. (*H.*)
Oscitatio frequens, vespertina. (*H.*)
Oscitatio vehemens. (*H.*)
Oscitatio vehemens cum concrepatione in tuba Eustachii versus tympanum. (*H.*)
Oscitatio et membrorum pandiculatio continua post decubitum in lectum.

360. Sopor. (H.)
Coma vigil, invincibile. (H.)
Inter somnum brachium pone caput porrigitur (post 4 horas). (H.)
E somno evigilatio crebra. (H.)
Crebra e somno evigilatio cum sensu caloris nimii. (H.)

365. Vigiliae nocturnae et corporis totius inquietudo cum sensu pungente et mordente in hac vel illa parte. (H.)
Crebra e somno quasi terrore experrectio.
Somnus crebris terroribus et vigiliis interruptus. (H.)
Somnia luculenta, nec tamen in memoriam recurrentia.
Somnia luculenta, terrorem excitantia (post 2 horas). (H.)

370. Somnium de tumore genuum dolorifico (post 22 horas).
Somnia de morte instante. (H.)
Nocturno e somno excitatur per terrorem, ac si spectra metum injicerent. (H.)
Angor terribilis, somnii instar somni principium impediens. (H.)
Meditationes de negotiis perficiendis somni principium impediebant per horam integram; circa horam secundam matutinam evigilans, denuo obdormire haud potest.

375. Somnolentia matutina et per diem reliquum perpetua. (H.)
Somnus ad diei lucem usque protractus — oculi difficulter aperiuntur, et quamvis vigilaret, tamen lectum relinquere et palpebras recludere haud poterat. (H.)
Somno mane fugato segnities cum taciturnitate. (H.)
Mane somno haud satiatus, continuo oscitatur.
Horror vespertinus in dorso. (H.)

380. Horror in inferioribus corporis partibus (brevi post sumtum medicamen). (H.)

Horror totum corpus percurrens.
Horror crebrius recurrens, brevis tamen, per artus inferiores (statim).
Frigus in dorso, quasi a glacie hic illic imposita, calore fornacis non removetur. (H.)
Frigus calori fornacis non cedens, cum torminibus abdominis vehementibus (die VIII.).

385. Hora matutina octava frigus cum horrore per horam dimidiam, nec siti, nec calore subsequo. (H.)
Frigus cum horrore per totum corpus. (H.)
Frigiditas universalis sine horrore, tamen cum manuum livore (in prima hora). (H.)
Sensus frigiditatis in humero sine frigiditate externa percipienda (post 4 horas). (H.)
Vespere inter desiderium corroborantium frigiditas interna repentine exoritur, tremorem excitans, sine frigiditate externa.

390. Tremor omnium membrorum, semper cum frigore, quod in cubiculo calido haud cessat, maxime vespertino tempore.
Manus faciei admota frigida, alteri manui vero admota calida esse videtur.
Frigus dorsum percurrit, quamvis fornaci calenti adsideat (die VIII.).
Frigus et frigiditatis sensus in dorso.
Frigus fortius toto corpore, vespertino tempore (die VIII.).

395. Febris: frigus cum horrore saepius repetens, subsequo calore volatico in capite. (H.)
Febris: mox calor, mox corporis frigus alternant (post aliquot horas). (H.)
Febris: horrescentia per diem crebrius repetens, ut si corpus in aëre frigido calori admovetur, postea calor cum languore, decumbendi desiderio, nec ullo sudore, nec siti subsequa. (H.)
Febris: hora vespertina sexta manuum calor cum sensu caloris sicci totius corporis et agrypnia usque ad horam matutinam quartam — postea horror et manuum frigus per diem proximum. (H.)

Ardor in genis, pedibus frigidissimis. (H.)

400. Ardor genarum cum totius corporis frigore.
Calor in fronte. (H.)
Accessus crebriores, volatici, ingrati ardoris et ruboris genarum, qualis ira commota aut rei adversae nuntio allato exoriri solet. (H.)
Calor et rubor faciei cum siti. (H.)
Calor volaticus in facie post pastum. (H.)

405. Frigidorum potulentorum, maxime cerevisiae, appetentia. (H.)
Rubor manus sinistrae cum dolore trahente in digito medio (die IV.).
Calor et frigus celeriter alternantes: calor magnus, repentine ex pedibus ascendens, per totum corpus diffunditur, cum sensu, quasi sanguis in faciem irruat. Ipsa vero aegrota pallet potius, quam rubet. Post aliquot sexagesimas iterum frigus a capite ad pedes usque percurrens, calorem subito excipit — accessus saepius per diem recurrentes.
Sensus caloris adaucti, pulsu accelerato (post 24 horas).
Calor vehemens celeriter corpus pervadit.

410. Pulsus haud frequentior, sed parvus et durus.
Sudor corporis (statim prorumpens) a tempore matutino usque ad vesperam protractus; simul cum sudore faciei frigido. (H.)
Sudor matutinus universalis, maxime in pectore et parte aegrota. (H.)
S u d o r, m a d o r u n i v e r s a l i s, a m i n i m o c o r p o r i s m o t u o r i e n s (post 1 horam). (H.)
Tempus celerrime elabi et plures horae unius instar videntur.

415. Desponsio animi. (H.)
Mens tristissimis cogitationibus immersa et offensarum memor. (H.)
M e n s u n i a l i c u i r e i i n g r a t a e i n h a e r e n s e t d e f i x a; q u a e c i r c a a g u n t u r, n o n a n i m a d v e r t i t. (H.)

Mens continuo tristis, quasi de contumeliis acceptis. (H.)
Cogitationes profundae. (H.)

420. Cogitationes tristes.
Ploratus. (H.)
Pigritia a labore abhorrens. (H.)
Achaeria. (H.)
Animus atrociter serius, tum querulus. (H.)

425. Serius, de valetudine sua parum sollicitus, valetudinem aliorum scrupulosius curat. (H.)
Mens cunctatoria, ad negotia perficienda inhabilitas, cum pupularum coarctatione (post 14 horas). (H.)
Sedulitas inquieta. (H.)
Anxietas, curae anxiae de mali leviusculi insanabilitate. (H.)
Angor, quasi crimine commisso.

430. Palpitatio cordis. (H.)
Angor repentinus, summus. (H.)
Anxietas summa, quasi crimine commisso (post 19 horas).
Angor repentinus, summus. (H.)
Animus desperans. (H.)

435. Morositas summa, maxime tempore pomeridiano. (H.)
Hyperaesthesia (post 24 horas). (H.)
A strepitu minimo omnium artuum succussio. (H.)
In terrorem proclivitas. (H.)
Animi magna irritabilitas — minima quaeque aegre fert. (H.)

440. Animi hyperaesthesia — minima quaeque aegre fert.
Intolerantia interpellationum, aut strepitus. (H.)
In stomachationem propensio summa, omnia aegre ferens animus. (H.)
Irritabilitas animi, haec illa facile in malam partem vertit. (H.)
Summa in stomachationem proclivitas, a minimis offensio. (H.)

445. A minimis usque ad lacrymandum offensus, cum

pupillarum contractione; post lacrymationem anorexia. (H.)

Animus malefacta aliorum et prave dicta et mendacia vel minima maximi faciens atque aegre ferens. (H.)

Animus hilaris, contentus, lepidus, facetiae, sales (ex parte effectus salutaris). (H.)

Propensio irresistibilis in cantillationem, delirii instar. (H.)

Omnes res indignationem et taedium ipsi movent — horis aliquot elapsis hilaris animus et in facetias propensus.

Observata medicorum veteri doctrinae addictorum.

Singultus (statim). (*Amatus Lusitanus*, Cent. IV. Curat. 79.)

Haemorrhagiae. (*Rumph*, Amboin. V. p. 35.)

Animi deliquium. (*John Hill*, Hist. of the mat. med. p. 504.)

Animi anxietas — mortis angor. (*Amatus Lusitanus*, l. c.)

Artemisia Cyna.

(Semina Cynae, Semina Santonici, Semina Contra.)

Summitates parvae, longiusculae, leves, e flavo viridescentes, petiolis aliquot mixtae, ab Artemisia judaica, fruticulo Palestinae, Arabiae et Numidiae, indigeno, fortasse etiam ab Artemisia Contra depromtae, plerumque Semina Cynae nobis repraesentant. Optima species per urbem Aleppo ad nos perducitur. Sed dubitari licet, num semen Artemisiae Santonici a frutice persico et tartarico collectum adhuc ad nos perferatur. Non nisi propter odorem, illi radicis Zedoariae similem, falso Semen Zedoariae etiam vocatur.

(Tinctura ex parte una summitatum integrarum ponderis partibus XX spiritus vini infusa, per hebdomadis unius spatium sine caloris ope parata.)

Per aliquot secula ista semina nonnisi ad lumbricos expellendos infantibus a gr. X. XX. XXX. XL. pro dosi administrabantur. Taceo de effectibus haud raro vitae periculum minantibus, etiam mortiferis istarum dosium. Ne illud quidem commemorabo, lumbricos aliquot in vegetis infantibus vitam degentes, non esse morbi instar habendos, sed potius huic aetati proprios esse et sine molestia subsequa tubo intestinali inhabitare posse. Major vero eorum copia statu morboso organismi generatur, quae, nisi remediis idoneis auferatur, quamvis magno lumbricorum numero seminum Cynae ope ex-

pulso, novae iterum regenerationi istorum animalculorum semper locum dabit. Quam ob rem istae violentae vermium expurgationes non solum frustraneae esse solent, sed etiam crebrius repetitae saepe adeo mortem aegre cruciatorum puerulorum haud raro adducunt.

Virtus medicatrix hujus plantae summe existimanda ex symptomatibus sequentibus illi propriis, in sano corpore observatis, luculenter apparet.

Quantum illa valeat exempli gratia in tussi convulsiva, et febribus intermittentibus, vomitu et fame canina comitatis medendis, experientia mirum in modum docebit, omissis aliis morbis huic plantae competentibus, quos medicus homoeopathicus facile inveniet.

Adhibeo Cynae tincturae dosin, quae trillionesimam grani unius hujus seminis partem continet, et optimo quidem eventu, de qua admodum exigua unius guttulae pars pro dosi homoeopathica sufficit.

Efficientia dosium majorum ad minimum duodecim dies amplectitur *). *Tr.*

*) Experimenta in corpore sano ad Cynae virtutes eruendas fecerunt, praeter Samuelem Hahnemannum, G. Ahner, Gul. Grofs, Leop. Imman. Rückert et Ernest. Stapf.

Symptomata.

Inter surgendum e lecto oculorum caligo, cum capitis obnubilatione, et sensu lipothymiae accedentis, titubatione ultro citroque — symptomata decubitu statim mitigata. (*H.*)

Infans caput lateri imponit. (*H.*)

Capitis dolor cum sensu aegrae valetudinis universalis.

Medio in vertice dolor premens, per intervalla rediens, ac si pondus grave cerebrum opprimeret, a tactu adgravatus et denuo revocatus.

5. Capitis dolor internus stupefaciens, maxime in syncipite, dein etiam in occipite, inter eundum in aëre libero (post 3 horas).

Dolor premens stupefaciens in fronte externo et temporibus, demum totum caput occupans (post 36 horas).

Pressio in os frontis cum ebullitione interna, undarum fluctuationi simili.

Dolor ac si caput totum trochleae ad instar contorqueretur, cum ejus oppressione.

Capitis dolor, legendo et meditando auctus, corporis vero pronatione imminutus.

10. Dolor paralyticus lancinans in tubere frontis sinistro, cum capitis stupore — brevi post etiam in tubere frontis dextro.

Lancinatio trahens in toto hemisphaerio sinistro.

Punctus obtusi in cerebro, maxime in vertice sinistro (post $1\frac{1}{2}$ horam).

Punctus obtusus tardus supra marginem orbitae superiorem, in cerebrum profundum penetrans.

Palpitatio musculi corrugatoris supercilii — species convulsionum.

15. Capitis dolor obtusus cum oculorum affectione, matutino tempore.

Dolor obtusus in oculis legentis, animumque intendentis.

Pupulae dilatatae (post ½ horam).

Pupulae contractae (post 3½ horas).

Maxima pupularum contractio (post 1 horam).

20. Tempore vespertino, quando inter candelarum lucem oculos ad legendum intendit, omnia quasi per textum tenuissimum cernit — si oculos manibus abstergit, visus breve per tempus acutior redditur.

Tanta oculorum caligo legentis aliquem librum, ut in legendo ulterius pergere non posset, nisi digitis oculos fortius antea fricaverat.

Mane languor oculorum; palpebrae superiores adeo debiles erant, ut eas vix aperire posset, per tempus antemeridianum.

Vespere inter candelarum lucem siccitas palpebrarum cum sensu premente, quasi ab arenula inspersa.

Sensus siccitatis in bulbo, cum dolore tractim premente, oculis paululum ad legendum intensis.

25. Formicatio in palpebris, ad frictionem invitans (post 1 horam).

Pruritus titillans in cantho dextro interno et in sinistro interno, ad frictionem invitans (post 1 et 36 horas).

Morbosus circa oculos et pallidus faciei color.

Pressio obtusa in orbitae marginem inferiorem, attactu aucta, et denuo excitata.

Dolor tensive lancinans, per intervalla recurrens, in ossibus zygomaticis, ex uno loco in alterum migrans, attactu adgravatus.

30. Vulsio crampoides in aure externa, sicuti otalgia.

Punctio obtusa, quasi pressio coarctans, a tactu sensus veluti a contusione aut ictu, sub processu mastoideo.

Facies tumida, livida.

Punctus terebrantes in musculis colli dextri secundum arteriarum pulsantium rhythmum, inter colli motum cessantes (post 11 horas).

Interni oris siccitas et aspritudo, maxime palati, cum nauseabunda deliquescentia (post $3\frac{1}{2}$ horas).

35. Difficultas deglutiendi — potulenta longius in oris cavo circumvolvuntur.

Fames vehemens brevi post pastum.

Jejuno mane ructus inanes.

Ructus saporem assumtorum redolentes, post pastum.

Regurgitatio liquoris amaro-acidi in os, brevi post pastum.

40. Deliquescentia in scrobiculo cordis cum horrore volatico.

Vomituritio cum sensu inanitionis in capite.

Singultus crebrior (post $1\frac{1}{4}$ horam).

Pressio crampoides aut coarctatio in regione scrobiculi cordis oblique per abdomen tendens, post pastum.

Dolor in scrobiculo cordis, respirationem angustans (post 4 horas).

45. Punctio obtusa in sinistro abdominis latere, subter cordis scrobiculo, pressu externo aucta, profundiori inspiratione imminuta.

Dolor ruens supra umbilicum, pressui cedens.

Punctus subitanei, profunde penetrantes, acuti, interni, per intervalla recurrentes, in latere abdominis sinistro, prope umbilicum, maxime quacunque inspiratione exasperati, una cum punctibus in interno scapulae latere, sub vesperam (post 12 horas).

Tormina ventris secantia, uti forcipe prementia, post alvinam dejectionem cessantia (post 48 horas).

Dolor vehemens in umbilico et ejus ambitu, ac si ille violenter introrsum premeretur aut contusus esset, primo per breve, dein vero per longius temporis spatium continuans, et respiratione adgravatus.

50. Volutatio dolorosa circa umbilicum, qui etiam a tactu dolet.
Dolor premens in umbilicum post pastum, etiam a pressu externo.
Tormina secantia in intestinis tenuibus, mane.
Sensus caloris ingrati in abdomine, postremo in tormina abiens (post 4 horas).
Punctus singuli imo in intestino recto inter flatuum decessum (post 1 horam).
55. Lotium turbidum. (*H.*)
Micturitio crebra cum urinae profluvio copioso per integrum diem (post 3 horas).

Infans saepius in naribus fodit, usque dum sanguis profluat. (*H.*)
In naris sinistrae profundo sensus haud ingratus, fervide-ardens, quasi a sanguine prostillaturo, aut spiritu frumenti altius attracto.
In naris sinistrae septo dolor ardens, quasi a crusta abrasa, tactu exasperatus.
60. Sternutatio vehemens (post $\frac{1}{8}$ horam).
Sternutatio tam vehemens, ut caput concuteretur et in temporibus dolor extrorsum premens per aliquot temporis spatium continuans exoriretur.
Sternutatio vehemens, ac si pectoris latus utrumque disrumperetur, postea dolor maxime in dextro pectoris latere.
Species coryzae; tempore matutino nares, muci mobilis copia repletas, crebrius emungere cogitur, post aliquot dies. —
Vespere nares obturatae, praegressa muci tenuioris excretione, tempore antemeridiano.
65. Respiratio difficilis, sonora (post $1\frac{1}{2}$ horam). (*H.*)
Respiratio brevissima, interdum singulatim intercepta. (*H.*)
Respiratio brevissima, stertorosa. (*H.*)
Infans brevissima respiratione cum stertore sonoro laborat.
Inter inspirationem anhelitus alte sibilans in trachea, inter inspirationem vero non sentiendus (post 12 horas).

70. Mane, lecto relicto, ob mucum laryngi inhaerentem, screatus crebrior, qui autem mox denuo colligitur.
Mane siccitas magna in trachea — sensus catarrhi.
Irritatio titillans ad tussiendum in tracheae loco profundiori sub manubrio sterni, cum insequente muci albidi expectoratione, tussis ope (post 24 horas).
Tussis molimina ab inspiratione profundiori.
Tussicula rauca, rarius recurrens, per longius intervallum liberum excitata — vespere.

75. Mane, post resurrectionem e lecto, tussicula rauca, quasi a plumarum pulvere provocata, post longius intervallum inspirando excitata.
Tussis vehementis accessus per intervalla recurrentes. (*H.*)
Mane, lecto relicto, tussis cava, — ictus fortiores adversus superiorem laryngis partem cum muci expectoratione, difficili tamen (post aliquot dies).
Matutina tussis ad ejiciendum mucum accumulatum adeo vehemens, ut oculi lacrymis immergantur.
Infans ante tussim repente corpus erigit, oculisque rigidis circumspicit, corpore toto rigidi quid exhibente, sui haud conscia, quasi epilepsiae insultus accederet — denique tussis sequitur. (*H.*)

80. Post tussim infans ejulat: au! au! et rumor deorsum glociens percipitur. Anxia aërem avide haurire tentat cum faciei pallore — accessus duabus sexagesimis absoluti. (*H.*)
Dolor inter tussim matutinam in superiore pectoris parte sub sterni manubrio, et si quid muci solvatur, dolor illius per longius temporis spatium persistens, ut si quid abrasum esset, aut quasi a vulnere et ardens.
Pectoris coarctatio inter inspirationem.
Asthma inter statum (per ½ hor. continuatum) cum anxietate et sudore in pectore copioso.

Species asthmatis: sternum pulmones comprimere et respirationem angustare videtur.

85. Constrictio crampoides in pectore dextro.
Angustans dolor in sterno inter currendum.
Dolor cum angore subitaneus in pectore sinistro.
Dolor crampoides, ruens, sub sterno, ac si pectus disrumperetur.
Dolor extrorsum premens mox in pectore sinistro, mox in regione sacrali, ibidem quasi a corporis pronatione diuturniori provocatus, maxime inter exspirationem.

90. Dolor ruens sub sterni parte superiore.
Dolores uti forcipe prementes in pectore sinistro, quacunque inspiratione exasperati (post 30 hor.).
Dolor uti forcipe premens, pungens, in pectore sinistro, per $\frac{1}{4}$ horae continuans.
Punctus obtusi in cartilagine costae prope sternum, pressu et exspiratione adgravati, inspiratione imminuti.
Dolor quasi a contusione in sacrali regione, motu haud exasperatus (post 35 horas).

95. Tractio paralytica et post pastum sensus quidam, quasi regio lumbalis supra coxas arcto vinculo constringeretur, cum dolore quasi a defatigatione per statum protractum.
Media in spina dorsi dolor pungens, motu corporis cessans, quiete vero rediens.
Quum in lecto vespere dorso incumberet, dolorem in spina dorsi quasi fracta sentiebat.
Lancinatio tensiva secundum totam spinae dorsi longitudinem (post 29 horas).
Tractio paralytica per brachium dextrum deorsum tendens, maxime autem in brachio demisso, corpori duro, vel alicui loco fortius opposito.

100. Sensus paralyticus in brachio dextro toto, et torporis sensus in articulis, motum brachii intercipiens (post 29 horas).
Dolor tensive lancinans et paralyticus in brachiis; a tactu vero dolor quasi a contusione, aut qualis a motu fortiori musculorum oriri solet.

Tractio paralytica per humerum usque in medium ejus deorsum tendens, ita ut illum vix movere audeat — a pressu locus affectus quasi ab ictu aut contusione dolet.

Dolor terebrans crampoides in humero sinistro, motui haud cedens (post 25 horas).

Dolor vehementer coarctans in humero dextro, inter motum cessans, in quiete vero revertens.

105. Dolor lancinans in cubiti dextri articulo in quiete, motu non mutatus (post 27 horas).

Vulsio paralytica deorsum tendens in superficie antibrachii inferiore, in illo loco, ex quo proficiscebatur, intensissima.

Dolor crampoides in antibrachiis (mane post resurrectionem e lecto) inter fortiorem brachiorum extensionem, maxime sub cubiti articulo. Idem dolor inter manuum flexionem in illarum articulis.

Dolor trahens in manus articulis (post 12 et 14 horas). (*H.*)

Manus contractio crampoides per intervalla rediens.

110. Lancinatio vulsoria in vola manus sinistrae, extensione ejus adgravata.

Punctus vulsorii, singuli, parvi, mox in dextra, mox in sinistra manu (post 38 horas).

Flexio vulsoria digitorum manus dextrae.

Vulsio crampoides in digitis.

Formicatio in pollicis apice, quasi a narcosi, simul cum sensu torporis.

115. Dolor quasi a contusione fortiore in vola pollicis, cum comprimitur itemque cum metacarpus pollicis volae manus admovetur.

Dolor in natibus inter sessum, quasi a defatigatione diutius persedentis.

Dolor inter eundum quasi a lapsu in trochanterem majorem.

Dolor paralyticus in femore dextro, haud procul a genu.

Post ambulatum longiorem sensus tremoris in toto

pede sinistro, per quadrantem horae continuans, quasi e genu proficiscens. (*H.*)

120. Infans pedes spastice extendit.
Pes sinister infantis continuo spastice movetur, postremo a corpore aversus et immobilis jacet.
Punctus singuli, obtusi, per intervalla repetiti, in genubus.
In tibia cruris sinistri, subter genu, punctus quasi à furca, per intervalla recurrentes.
Punctus in planta halucis pedis dextri.

125. Dolor secans in digitis pedis sinistri omnibus, ac si amputarentur, inter motum non cessans (post 2 horas).
Punctio lancinans in calce pedis sinistri inter sedendum.
Punctus hic atque illic in corpore obtusi (post plures dies).
Punctus valde dolorifici hic atque illic in trunco, maxime in integumentis abdominis inter sedendum (post 8 horas).
Punctus obtusi, interdum quasi coarctantes, aut prementes, aut ictuum ad instar, aut prurientes, hic atque illic in corpore, mox in extremitatibus, brachiis, pedibus, eorumque digitis, mox in uno alterove latere, mox in ossibus nasi, maxime autem in posteriore cristae ilei parte, — a pressu loci isti quasi a vulnere aut contusione dolent.

130. Punctiunculae ardentes hic atque illic in corpore, scalpturigini cedentes.
Sensus pruritive formicans in pluribus locis, leni scalpturigini cedens.
Eruptio pustularum rubentium, prurientium, celeriter rursus evanescentium, vespere. (*H.*)
Punctus crampoides, constringentes, mox in musculis dextri, mox in illis sinistri femoris aut dextri humeri, mox per regionem sacralem sursum tendentes, quasi dolores in dorso, inter eundum in aëre libero cessantes (post 27 horas).
Dolores lancinantes, partim acute secantes, in ar-

tubus, capite et maxillis, saepe momentanei tantum.

135. Dolor paralyticus in brachiis et pedibus (per plures dies).

Convulsiones, epilepsiae similes, mente persistente (Eclampsia). (*H.*)

Tempore pomeridiano (hora IV.) accessus extensionis spasticae corporis, dein tremor universalis cum labiis lividis et querelis plorabundis de dolore in pectore, collo et omnibus artubus. (*H.*)

Vulsiones paralyticae in variis corporis locis, maxime in artubus.

Sensibilitas omnium corporis membrorum inter motum et tactum dolorosa.

140. Symptomata mane et vespere exacerbata.

Oscitatio crebra quasi somno haud satiati (post 5 horas).

Suspiria, gemitus, crocitatio, tempore meridiano. (*H.*)

Somnolentia magna in sessu, ad decubitum cogens, maxime tempore pomeridiano et vespertino invincibilis, etiam per integrum diem continuans (post $6\frac{1}{2}$ horas).

Inquietudo nocturna, corporis aliter aliterque repositi agitatio ob sensationem molestam.

145. Agrypnia. (*H.*)

Infans inquietus etiam vigilans corpus motitat.

Experrectio e somno cum ploratu misero, suspiriis et singultu motuque corporis inquieto (post 2 horas). (*H.*)

Jactatio corporis inter somnum cum miserabili ejulatu et querelis de ventris torminibus (post 8 et 12 horas). (*H.*)

Somnus inter corporis erectum sessum capite retrorsum aut ad latus dextrum flexo (post 2 horas). (*H.*)

150. Crebra ex somniis injucundis, laboriosis aut anxiis experrectio.

Post somnum calor volaticus et rubor genarum ardens absque siti.

Inter oscitationem tremor corporis cum horroris sensu.

Horror truncum versus caput percurrens, ac si capilli sese erigerent, prope ipsum fornacem calentem (statim), — per totum corpus diffusus et tremorem excitans (post ½ horam).

Facies frigida, pallens. (*H.*)

155. Genae frigentes. (*H.*)

Faciei frigus cum manuum calore.

Manuum frigus prope fornacem calentem et frigiditas volatica absque siti.

Febris: ciborum captorum vomitus, dein frigus universale subsequo calore et siti magna (post aliquot horas). (*H.*)

Febris quotidiana, eadem hora rediens: frigus, dein calor absque siti (post 24 hor.). (*H.*)

160. Febris quotidiana, eadem hora recurrens, cum respiratione brevissima (post 48 horas). (*H.*)

Febris: quotidie tempore pomeridiano (ab hora I.) accessus frigoris cum siti plures, simul cum frigore manuum pedumque, dein calor faciei pallentis, maxime autem manuum et pedum, cum ventris torminibus secantibus. (*H.*)

Horror febrilis per totum corpus cum genis calentibus sine siti (post 25 horas).

Sudor manuum et frontis frigidus. (*H.*)

Sudor frontis frigidus. (*H.*)

165. Sudor frontis, nasi, manuum frigidus (post 12 et 20 horas). (*H.*)

Calor in febris paroxysmo, maxime capitis, cum facie flavescente et limbis oculorum lividis. (*H.*)

Sensus caloris et calor cum rubore faciei (post 2 horas).

Calor ardens totius faciei cum genarum rubore et potulentorum frigidorum appetentia (post 35 horas).

Inquietudo. (*H.*)

170. Inquietudo continua. (*H.*)

Tremor cordis.

Anxietas magna et cordis angor, quasi a commisso crimine aliquo, inter eundum in aëre libero (post 37 horas).
Infans plorat querulans.
Multorum et variorum appetentia (post 3 et 4 horas). (*H.*)

175. Oblatorum antea etiam gratissimorum abhorrescentia. (*H.*)
Adhortationibus aut blanditiis non pacatur. (*H.*)
Fletus miserabilis, quando quis eum tangere aut ducere tentat (post 3 horas). (*H.*)
Severitas et sensibilitas magna — joco vel minimo offenditur.
Apathia — nec a jucundis, nec ab ingratis tantillum commovetur.

Observata medicorum veteri doctrinae addictorum.

Color albescens et lividus circa os. (*Pelargus*, Observat. T. II. p. 458.)
Tormina ventris continua. (*Pelargus*, l. c. T. I.)
Metrorrhagia (inter usum seminum Cynae, in puella decem annorum). (*Bergius*, Mat. med. p. 709.)
Effluvium materiae puriformis ex naribus. (*Pelargus*, l. c. T. I.)

(5) Miliaria pellucida. (*Pelargus*, l. c. T. I. et II.)
Vulsiones et contorsiones membrorum. (*Pelargus*, l. c. T. I.)
Infans languore et aegra valetudine valde affligitur. (*Pelargus*, l. c. T. II.)
Febris vehemens et calor. (*Gudry*, de vermium generat. p. 182.)
Febres vehementes cum diarrhoea et vomitu. (*Pelargus*, l. c. T. I.)

(10) Calor vespertinus et per noctem continuans. (*Pelargus*, l. c. T. II.)
Deliria. (*Pelargus*, l. c. T. I.)

Solanum Dulcamara.

(Succus ex stipitibus junioribus et foliis recenter expressus cum pari mensurae copia spiritus vini mixtus.)

Complura experimenta ad vires positivas hujus plantae memorabilis in organismum humanum sanum eruendas, nec ipse instituere potui, nec per alios faciendi copia mihi fuit, quamvis exoptatissima mihi fuisset.

Haud dubie autem Dulcamara, uti ex observationibus sequentibus jam constat, in variis morbis ex refrigerio aut exanthematibus fontem ducentibus, immo in quibusdam febrium epidemicarum speciebus salutaris invenietur.

Plurima symptomata, ab illa in sano corpore producta, noctu exasperari solent, quam ob causam matutino tempore eam aegrotis propinare praestabit. Guttam succi octillionesies diluti exiguam ad usum homoeopathicam justam esse dosin, experientia me docuit.

Minor dosis jam per 10 — 12 dies, major vero multo diutius in corpus agit *). *Tr.*

---

*) Instituere experimenta ad effectus hujus plantae in corpus sanum indagandos, praeter **Sam. Hahnemannum**, **Gust. A. Ahner**, **Gul. Grofs**, **Theod. Mosdorf**, **Müller**, **E. F. Rückert sen.**, **E. Stapf**, **Gust. Wagner**, **Gul. Wahle**.

Symptomata.

Tempore meridiano, ante prandium, inter eundum, sensus vertiginosus, ac si objecta omnia ante visum firmiter sisterent et oculi caligarent. (*H.*)

Surgens mane e lecto, ob vertiginis accessum, debilitatem universalem et tremorem totius corporis propemodum in terram delapsus esset (post 24 horas).

Gravitas in fronte per plures dies, cum doloribus pungentibus, ad exteriora tendentibus in temporum regione.

Gravitas in occipite per triduum.

5. Gravitas totius capitis per integrum diem, ac si capitis integumenta intensa essent, maxime in nucha, ubi iste sensus in formicationis speciem abibat.

Gravitas capitis cum dolore extrorsum terebrante in tempore et fronte, ut si noctem more bacchantium peregisset.

Sensus stupiditatis capitis, qualis post crapulam restare solet, in aëre libero disparens.

Capitis dolor stupefaciens. (*H.*)

Capitis dolor, segnities, totius corporis gelu et vomendi nisus.

10. Capitis dolor, quum mane in lecto jaceret, inter surgendum vehementior.

Dolor lente trahens per totum cerebrum, praeprimis vespere (post ½ horae). (*H.*)

Dolor capitis vehemens, quasi subruens medio in cerebro, in syncipite obnubilatio, et sensus, quasi cerebrum inflaretur. Dolor jam tempore

matutino in lecto exoriens, nec quiete, nec motu minor aut major, inter surgendum vero vehementior.

Dolor capitis extrorsum terebrans, mox in fronte, mox in temporibus, ante mediam noctem (post 15 et 23 horas).

Pressio subruens in toto frontis ambitu.

15. Capitis dolor, quasi extrorsum premens, sub vesperam in aëre libero.

Dolor vehementer pungens profundo in cerebro et syncipite, cum nausea.

Dolores pungentes in capite adeo vehementes, ut irasceretur, maxime vespere, decumbendo mitigati. (*H.*)

Dolor nunquam totum caput, sed solummodo locum parvum occupat, ibique tanquam pressio ab instrumento obtuso persentitur.

Dolor capitis premens, stupefaciens, in occiput ex nucha ascendens.

20. Dolor trahens ex vertice usque in ossa nasi, ubi in constringentem dolorem abit, inter coenam.

Sensus quasi caput majorem ambitum nactum esset.

Tubercula in fronte, quorum tactu dolor pungens percipitur. (*H.*)

Dolor extrorsum terebrans super arcum supraciliarem dextrum.

Dolor constringens in margine supraorbitali.

25. Pressio in oculis et inter legendum, et cum non legeret, legendo vero aucta.

Amaurosis incipiens et tanta visus hebetudo, ut objecta tam propinqua, quam remotiora quasi per tenuissimum textum cerneret, cum paresi palpebrae superioris, quasi ista delapsura esset.

In solis lumine obambulanti et ejus radiis sese exponenti ex oculis scintillae prosilire videntur, nec non in cubili versanti. (*H.*)

Aurium tinnitus. (*H.*)

Aurium tinnitus acutus (per 4 — 8 dies).

30. Dolores subtiliter pungentes in meatu auditorio et in parotide.

In interna alae nasi sinistri superficie pustula tanquam ab ulcere dolens.
In utroque nasi angulo pustula. (*H.*)
Dolor trahens et lancinans in tota bucca. (*H.*)
Pruritus in buccis prope alas nasi (post ½ horam). (*H.*)

35. Dentes hebetes, quasi omni sensu carerent.
Dolor premens in pharynge, ut si uvula elongata esset. (*H.*)
Salivae effluvium, verminatio. (*H.*)
Formicatio pruriens in apice linguae.
In superficie labii superioris interna, palati parte anteriore et circa os externum pustulae et ulcera parvula, in quibus inter motum partium istarum dolor lancinans percipitur. (*H.*)

40. Pustulae prurientes in mento. (*H.*)
Ructus crebriores, inanes cum singultu.
Ructus inter pastum crebrius recurrentes, ita ut jusculum modo deglutitum rursus in fauces regurgitet.
Appetitus bonus cum sapore integro; brevi tamen satietas et oppletio cum borborygmis in abdomine oriuntur.
Fames cum fastidio cujuscunque cibi. (*H.*)

45. Sensus caloris adaucti in oesophago.
Calorem in os ascendentem sequitur vomitus pituitosus, tempore matutino. (*H.*)
Inflatio abdominis, quasi disruptio instaret, post pastum modicum.
Inflatio abdominis cum torminibus uti forcipe prementibus, saepius redeuntibus, inter pastum.
Constrictio subitanea in latere abdominis sinistro, infra costas breves, torminum secantium ad instar.

50. Dolor tensivus, quasi ab onere sublato graviore, juxta cordis scrobiculum, versus dextrum abdominis latus.
Dolor acute premens persentitur in cordis scrobiculo, ut si iste locus instrumento obtuso contusus esset, tactu adgravatus (post 35 horas).

Punctus obtusus in latere abdominis sinistro, prope cordis scrobiculum repentine evanidus, sed brevi rediens, deinde vero sensim sensimque cessans (post $\frac{1}{2}$ horae).

Dolor pungens in cordis scrobiculo (post $9\frac{1}{2}$ horas).

Dolor pungens in regione umbilici, pressui haud cedens (post 1 horam).

55. Punctus obtusi, respirationem intercipientes, infra lateris dextri costas.

Punctus obtusi, per intervalla redeuntes, in sinistro abdominis latere, qui dolor pungens adaugetur, quando locus affectus digito premitur.

Punctus obtusi, celeri successu sese excipientes, in ambitu parvo in sinistro abdominis latere, extrorsum tendentes et respirationem impedientes — locus digito pressus dolet, cum sensu, quasi quid extrorsum niteretur urgeretque.

Dolor uti forcipe premens, pungens, juxta umbilicum, in latere abdominis dextro, pressui haud cedens (post $4\frac{1}{2}$ dies).

Dolor uti forcipe subtiliter premens, supra umbilicum, versus latus sinistrum in ambitu parvo abdominis.

60. Tormina vehementer uti forcipe prementia, circa regionem umbilicalem, ac si vermis longus sursum et deorsum in intestinis reperet, eaque roderet et vellicaret (post 31 horas).

Dolor uti forcipe premens subter umbilicum, inter sedendum trunco incurvato, qui vero inter resupinationem mitigatus postea brevi evanuit (post $4\frac{1}{2}$ dies).

Dolor uti forcipe premens circa umbilicum, matutino tempore, ut si alvum exonerare cogeretur, nisu vero deficiente.

Murmura in abdomine. (*H.*)

Tormina ventris (statim). (*H.*)

65. Tormina ventris, tanquam a refrigerio. (*H.*)

Tormina uti forcipe prementia, secantia, volatilia in abdomine et pectore, quasi a flatuum restagnatione.

Tormina, qualia a refrigeratione (post 23 horas).
Tormina, qualia a coelo frigidiori et humidiori oriri solent.
Tormina uti forcipe prementia, secantia et ruentia hinc inde in abdomine, ac si diarrhoea exoriretur.

70. Tormina uti forcipe prementia, discindentia, cum abdominis inflatione, tempore matutino, etiamtum jejuno.
Tormina discindentia, uti forcipe prementia, celeriter transitoria, passim in abdomine.
Dolor torquens, subruens et uti forcipe premens circa umbilicum (post 10 horas).
Dolor extrorsum urgens in latere sinistro sub umbilico, quasi hernia ibi exoriretur.
Dolor rodens, pulsans supra umbilicum.

75. Tumor glandulae inguinalis sinistrae, magnitudine nucis juglandis. (*H.*)
Tumor glandularum inguinalium durus, fabae albae magnitudine, haud dolorificus.
Dolor premens mox in glandula inguinali dextra, mox in sinistra. (*H.*)
In glandula inguinali ardor vehemens (cum dolore pungente aliquo motu minimo exasperatus) — ab attactu ardor cum doloribus pungentibus junctus persentitur. (*H.*)
Tensio in regione ossis pubis inter surgendum e sella. (*H.*)

80. Dolor in abdomine, quasi diarrhoea exoritura esset, qui flatibus missis remittebat.
Tormina uti forcipe prementia in totius hypogastrii ambitu, vespere, cum alvum exonerandi nisu — postquam pomeridiano tempore consueto excrementa duriora et difficiliora deposuerat, iterum sedes liquidiores, deinde copiosiores, tenuiores et acidum odorem redolentes insequebantur, quibus missis se meliorem, sed fatigatum sentiebat.
Dolor uti forcipe premens in umbilici regione et supra coxam sinistram, alvum deponere pellens,

— missis autem aliquot flatibus, quamvis enixius necessitati daret operam, sedes paucae tamen et durae excernebantur — imminuto dein vero dolore (post $2\frac{1}{2}$ horas).

Alvina excretio mollis (statim). (*H.*)

Sedes molliores, frustulatim exeuntes.

85. Sedes tenuiores per plures dies, tempore pomeridiano repetitae, cum flatuum decessu junctae (post triduum). (*H.*)

Nisus alvum deponendi repentinus, vix inhibendus, quamquam excrementa parciora et duriora sequebantur (post $1\frac{1}{2}$ horam).

Nisus alvum exonerandi crebrior cum nausea, etsi nullae dejectiones per integrum diem insequebantur (post $\frac{1}{2}$ horam).

Tormina uti forcipe prementia, cum nisu alvum deponendi, sed excrementa duriora et parca fortioris pressionis ope excluduntur (post 8 horas).

Pressio in abdomine et tormina ante alvinam dejectionem inter illam remittentia, postea vero redeuntia, cum borborygmis.

90. Pressura immanis in intestinum rectum, ut vix excrementa retinere valeat; cum alvum autem deponeret, post multum demum temporis spatium, enixiore pressu, faeces duriores et tardissimae cum torminibus volatilibus, discindentibus passim in abdomine, excluduntur.

Sedes alvinae rariores, segniores, duriores; etiamsi molimina alvum deponendi oriantur, vis propulsiva recti deficit, et improbo tantum nisu excrementa crassa et dura deponuntur.

Flatuum decessus copiosus.

Ardor in orificio urethrae inter mictum. (*H.*)

Sternutatio.

95. Tussicula brevis, quae inspiratione profundiore provocata videtur.

Dolor valde sensibilis, quasi undulatorius, per intervalla latus pectoris sinistrum permigrans, pressui lancinanti similis.

Punctus stupefaciens, obtusus sub clavicula dextra, in pectus tendens.

Pressura dolorosa supra processum xyphoideum in sinistro latere, quasi ab instrumento obtuso (inter sessum cum trunco incurvato) — postea etiam in statu erecto longioribus intervallis sub sensu ictuum profundum in pectus penetrantium rediens.

Dolor periodicus in utroque pectoris latere, infra axillas, quasi pugni violenter ab utroque latere intruderentur.

100. Vulsio et tractio sub sterno.

Pressura per intervalla rediens sub interna sterni superficie.

Dolor pulsans in fovea axillari sinistra, motu cessans.

Dolor vulsorius in axilla dextra (post triduum).

Tensio in pectore inter profundiorem inspirationem.

105. Pectoris angustia.

Punctio dolorosa in sterno.

Punctus obtusus, magis ictui similis, ad sternum tendens (post 8 horas).

Punctus obtusi, longioribus intervallis recurrentes, in sinistro pectoris latere.

Dolor punctim lancinans medio in sterno, per pectus totum usque ad vertebras dorsi inter sessum penetrans, inter surgendum vero remittens (post 7 horas).

110. Dolor ruens in dextro pectoris latere, pressu evanescens (post $8\frac{1}{2}$ horas).

Sensus dolorificus in pectore, ruenti dolori similis, aut qualis nascitur ex onere sublato graviore.

Punctus dolorificus, repente exoriens, eodemque modo iterum evanescens, in dextro latere, inter costam quartam et sextam (post $8\frac{1}{2}$ horas).

Punctus dolorificus, quasi a cultro obtuso, in pectoris latere sinistro, circa costam quintam et sextam (post $6\frac{1}{2}$ horas).

Dolor pungens in pectoris latere sinistro, circa regionem costae sextae.

115. Punctio vehemens in pectoris latere mox dextro, mox sinistro, cum tussi crebriore et sputis tenacioribus (post 4 dies).

Dolor profunde secans in sinistro pectoris latere, sub clavicula, tactu evanescens (post 30 horas).

Dolor uti forcipe premens in pectore toto, inspiratione exasperatus (post 14 horas).

Pectoris angustia, qualis post sessum corpore incurvato oriri solet.

Dolor coarctans, vehemens, in pectoris ambitu toto, maxime inter inspirationem et exspirationem.

120. Sensus, ac si quid in pectoris latere sinistro extrorsum urgeret. —

Palpitatio cordis — pulsatio cordis fortis, quae extus sentitur, inprimis noctu. (*H.*)

Palpitatio cordis fortis, cor quasi extra thoracis cavum pulsans sentitur.

Dolor ruens, pungens, juxta os sacrum, versus latus sinistrum (post 10 horas).

Dolor ruens supra cristam ilei sinistram, pressui cedens (post 6 horas).

125. Punctus obtusus inter sessum corpore incurvato (post iter pedestre) in utroque lumbo, inter quamcunque inspirationem extrorsum tendens, quasi quid extrorsum premeret.

Dolor quasi ab ictu perpesso super coxam sinistram, prope vertebras lumbales (post 2½ horas).

Dolor profunde secans in lumbo super coxam dextram, pressui cedens, brevi vero recrudescens, dein sensim sponte evanescens (post 4 dies).

Dolor quasi truncus in regione lumbali super coxas discinderetur, qui corpus huc atque illuc motitare cogit, sessum quietum impediens, absque tamen levamine.

Dolor ruens et pungens in lumbo super coxam sinistram, inter eundum remittens, sessu vero rediens (post 4½ dies).

130 Punctus singuli, fortes, quasi a furca, per intervalla redeuntes, prope vertebras lumbales, super dextram coxendicem (post 6 dies).

Punctus singuli, obtusi, dolorifici, extrorsum tendentes, inter quamcunque inspirationem in sinistri lumbi latere, super coxam et media in dorsi spina.

Punctus pruriens media in dextra scapula.

Dolor tractim-lancinans in margine scapulae dextrae externo (post 6 dies).

Ictus lancinantes, per intervalla redeuntes, in latus scapulae sinistrae externum.

135. Rigiditas dolorosa in musculis nuchae inter capitis conversionem in unum alterumve latus.

Rigiditas musculorum nuchae.

Dolor constringens in musculis nuchae, ac si collum converteretur.

Dolor vehemens obtusus in toto dextro brachio, quasi ab apoplexia perpessa, cum gravitate plumbea, immobilitate et frigoris sensu; brachium tactu gelidum sentiebatur, musculi ipsa in quiete tensi erant; nec brachium plane paralyticum flectere, nec attollere, nec calamum scriptorium illo tenere valebat; inter nisum ejusmodi quid perficiendi dolorem acutum quasi a contusione in cubiti articulo percipiebat, quod etiam tactu vehementer dolebat quasi contusum (post ½ horam); idem brachii dextri gelu tempore matutino diei insequentis post nychthemeron redibat.

In brachio sinistro dolor paralyticus, quasi a contusione, nonnisi fere inter quietem, paulus inter motum, nullus omnino a tactu; brachii tamen robore integro. (*H.*)

140. Pruritus ardens externe in humero dextro, ad scalpendum cogens; locum rubentem vesicula ardens obsidebat.

Sensus paralyticus in humero dextro, inter motum fortiorem cessans (post 4½ dies).

Dolor rodens et exedens in externo cubiti dextri latere, brevibus intervallis rediens.

Tractio sensibilis, per vices reiterata in ulna dextra.

Dolor trahens in dextro antibrachio (post 3½ dies).

145. Lancinatio, uti forcipe premens, ictuum ad instar, subitanea, in medio antibrachio sinistro (post 12 horas).

Pustulae rubrae in cubiti flexura, tempore matutino et vespertino in cubiculo calido apparentes, subtiliter pungentes et prurientes, post scalpturiginem vero ardentes (per 6 dies). (*H.*)

Dolor lente deorsum trahens, contorquenter-terebrans, in antibrachio dextro, a cubito ad carpum usque extensus, inter motum brachii evanescens, quiete vero statim revocatus (post 4 horas).

Antibrachium sinistrum debile, quasi paralyticum, cum sensu paralytico in cubiti articulo (post 36 horas).

Pruritus ingratus medio in antibrachio, scalpere cogens, scalpendo evanescens, brevi vero revertens (post 36 horas).

150. Punctus unus, quasi cuspide obtuso, in carpo manus dextrae, motu sublatus (post 1 horam).

Sudor in manuum vola copiosus.

Manus quadam verrucarum specie obducuntur, quibus antea nunquam laboraverat (post 21 dies).

Tractio crampoides in vola pollicis sinistri, tam vehemens, ut illum vix movere audeat.

Punctus singuli, parvi, in nate dextra (post 8½ dies).

155. Dolor tractim-lancinans in coxendice sinistra (post 14 horas).

Dolor trahens, uti forcipe premens, in coxa dextra (post 26 horas).

Dolor tractim pungens in femoris sinistri articulo usque in pubis regionem solummodo inter quemcunque gressum, cum sensu, quasi femoris caput luxaretur; extensio fortis dolorem mitigabat cum sensu, quasi femur rursus reponeretur; per aliquot tempus tamen dolor uti a contu-

sione in istis partibus restabat, eundo claudicare cogens (per 14 dies).

Dolor punctim lancinans in toto femore dextro, pressui haud cedens.

Dolor subtiliter pungens, quasi acubus, in posteriore femoris sinistri parte, haud procul a genu (post 81 horas).

160. Dolor continuus, mox pungens, mox pulsans, mox uti forcipe premens, aut tractim-lancinans, in utroque femore, eundo quidem evanescens, sed in lassitudinem mutatus, inter sessum vero statim rediens (post 12, 14 horas et 3½ dies).

Dolor tractim-lancinans in utroque femore, inter eundum evanescens, sed in lassitudinem abiens, et sessu statim revertens (post 12 et 14 horas).

Dolor tractim-lancinans in posteriore femoris parte, a medio ejus usque in genu articulum extensus (post ¼ horae).

Sensus trahens, paralyticus, in anteriore femoris parte (post 8½ dies).

Dolor punctim-lancinans a genu articulo usque in femur, inter eundum in aëre libero.

165. Sensus ardenter-pruriens in femorum cute, scalpere cogens (post 7 horas).

Lancinatio in genu articulo inter sessum.

Pruritus in externo latere cruris sinistri et dextri, partim in punctum prurientem abiens, partim scalpendo sublatus, brevi vero rediens (post ¼ horae).

Dolor undulanter premens, per intervalla recurrens, in interno genu latere.

Dolor crampoides, trahens, fere secans, per crus sinistrum deorsum tendens.

170. Dolor in tibia, quasi a defatigatione post iter longius (post 36 horas).

Dolor lancinans in parte posteriore surae sinistrae, pedis motu sublatus (post ½ horam).

Punctus subitaneus, quasi ab acu, in sura sinistra, cum sensu, ac si ex illo loco sanguis calidus aut aqua proflueret, subsequo.

Crampus dolorificus surae dextrae inter eundum (post 9 horas).

Sensus surdus in sura, tempore pomeridiano et vespertino. (*H.*)

175. Intumescentia et tumor cruris et surae, non tamen pedis, cum dolore tensivo et sensu defatigationis summae versus vesperam. (*H.*)

Dolor secans media in planta pedis dextri, gressui haud cedens (post 27 horas).

Dolor pulsans, lancinans, in haluce et digito secundo pedis sinistri.

Ardor pungens, per intervalla rediens, in digitis pedum.

Ardor in pedibus. (*H.*)

180. Crampus vehemens in interno malleolo pedis dextri somnum nocturnum turbat, e lecto surgere et obambulari cogens, quo mitigabatur. (*H.*)

Dolor crampoides passim in artubus, maxime in digitis.

Artuum dolor. (*H.*)

Punctus obtusi passim in artubus et reliquis corporis partibus, maxime extrorsum tendentes.

Dolores in variis corporis partibus, quasi a refrigeratione perpessa.

185. Pruritus ardens hic illic, huc illuc reptans, quasi ab insectis, fortius scalpere cogens, quo initio exasperatur, deinde vero imminuitur; pruritus iste interdiu vix sentitur, noctu vero ingravescit inter duodecimam et tertiam horam, et somnum eo tempore turbat (per 14 dies).

Punctus prurientes, uti forcipe prementes, in variis corporis partibus.

Pustulae parvae in pectore et abdomine cum pruritu modico.

Tuberculorum albidorum (urticariorum) eruptio in brachiis et femoribus, cum halone rubro et pruritu pungente; frictionem ardor sequebatur. (*H.*)

Macies. (*H.*)

190. Defatigatio. (*H.*)

Lassitudo, motus aversatio. (*H.*)

Segnities, gravitas et delassatio artuum, sedere et decumbere cogentes (post 12 horas).
Sensus quasi a conquassatione fortiori in omnibus artubus per diem integrum.
Accessus debilitatis repentinae, lipothymiae similes. (*H.*)

195. Ad decubitum cogitur. (*H.*)
Somnolentia magna cum oscitatione crebriore per integrum diem.
Somnolentia magna, segnities et oscitatio.
Oscitatio crebrior, fortis.
Somnus cum forti stertore, ore aperto. (*H.*)

200. Somnus somniis confusis turbatus, cum sudore inter somnum copioso.
Succussiones quasi a terrore, somni principium impedientes.
Somnia terribilia, lectum relinquere cogentia (prima nocte).
Somnus post horam quartam matutinam valde perturbatus, quoquo modo corpus reposuisset.
Jactatio corporis per totam noctem, cum stupiditate capitis.

205. Somnus turbatus, corpus ob sensum molestum huc illuc in lecto jactitat.
(Agrypnia nocturna, a pruritu in anteriore corporis parte, a pectore, super abdomen usque ad femora, quasi a pulicum morsibus, cum calore et perspiratione absque madore, attamen vero odore ingrato.) (*H.*)
Mane expergefactus in somnum relabi non poterat, magna cum defatigatione corporis modo huic, modo illi lateri incumbebat, quoniam occipitis musculi quasi paralysi affecti erant, neque illis incumbere poterat.
Species pervigilii versus matutinum tempus, oculis clausis.
Anxietas et timor futuri post mediam noctem. (*H.*)

210. Agrypnia cum artuum defatigatione et sensu paralytico, quasi a praegressa exaestuatione magna.

Corporis quassatio, qualis a nausea et frigore simul oritur, cum sensu frigiditatis et totius corporis frigore, qui ne summo quidem fornacis calore fugatur, una cum horrore et quassatione per intervalla redeuntibus (statim).
Sensus frigiditatis et aegritudinis in artubus.
Ardor in cute totius dorsi, ac si fornaci calenti adsideret, cum sudore faciei et calore modico.
Calor et caloris sensus supra totum corpus, maxime in manibus, cum pulsu aequali tardo, sed pleno, et siti; postea leves frigoris accessus.

215. Calor siccus, nocturnus. (*H.*)
Sudor universalis, maxime in dorso. (*H.*)
Sudor copiosus, aequaliter supra corpus diffusus, inprimis vero toto capite. (*H.*)
Mane quasi a vociferatione expergiscens, spectrum in majus crescens et dein in alto evanescens cernit. (*H.*)

Observata medicorum veteri doctrinae addictorum.

Vertigo momentanea. (*Piquot* in Samml. brauchb. Abhandl. f. pr. A. II. 4.)
Vertigo. (*Althof* ap. *Murray*, Appor. Medic. I. p. 621.)
Stupor. (*Carrere*, de Dulcam., ed. *Starcke*, Jen. 1786.)
Stupor capitis vehemens. (*Starcke* ap. *Carrere*, l. c.)

(5) Capitis gravitas. (*Carrere*, l. c.)
Calor in capite. (*Carrere*, l. c.)
Scintillae coram visu. (*Piquot*, l. c.)
Caligo oculorum. (*Carrere*, l. c.)
Chemosis. (*Tode* — *Starcke*, l. c.)

(10) Exanthema humectans in gena. (*Carrere*, l. c.)
Motus convulsivi palpebrarum et labiorum in aëre frigidiore. (*Carrere*, l. c.)

Faucium dolores. (*Carrere*, l. c.)
Ptyalismus. (*Carrere*, l. c.)
Ptyalismus cum gingivis laxis, spongiosis. (*Starcke*, l. c.)

(15) Salivae tenacioris et saponaceae effluvium copiosum. (*Starcke*, l. c.)
Lingua sicca, aspera. (*Carrere*, l. c.)
Glossoplegia, loquelam impediens (ab usu Dulcamarae, coelo humidiore et frigidiore). (*Carrere*, l. c.)
Glossoplegia (a longiore usu Dulcamarae). (*Linné*, Dissert. de Dulcamara, Upsal. 1753)
Glossoplegia. (*Gouan*, Memoires de la Soc. de Montpellier.)

(20) Sapor fatuus, saponaceus oris, cum anorexia exinde oriente. (*Starcke*, l. c.)
Nausea. (*Althof* ap. *Murray*, l. c. — *Linné*, l. c.)
Nausea et fastidium. (*Carrere*, l. c.)
Nausea, vomitus, calor et angor. (*Starcke*, l. c.)
Strangulatio. (*Althof*, l. c.)

(25) Vomitus. (*Linné*, l. c.)
Glandularum inguinalium tumor. (*Carrere*, l. c.)
Diarrhoea pituitosa, modo flava, modo viridis. (*Carrere*, l. c.)
Diarrhoea albida, pituitosa. (*Carrere*, l. c.)
Diarrhoea pituitosa cum lassitudine. (*Carrere*, l. c.)

(30) Sedes siccae, rariores, difficiles. (*Carrere*, l. c.)
Lotium turbidum, albidum. (*Carrere*, l. c.)
Urina primo pellucida et tenuis, dein albida, postea turbida, postremo iterum pellucida, cum sedimento albo, tenaci. (*Carrere*, l. c.)
Urinae primo pellucidae et tenuis, dein spissioris et lacteo-albescentis profluvium crebrius. (*Carrere*, l. c.)
Urina turbida, foetida, cum sudore foetido. (*Carrere*, l. c.)

(35) Lotium rubicundum et ardens. (*Carrere*, l. c.)
Urina cum sedimento mucoso, mox rubro, mox albido. (*Carrere*, l. c.)
Lotium turbidum, albidum. (*Carrere*, l. c.)

Dysuria, mictus dolorificus. (*Starcke*, l. c.)
Exanthema herpeticum in labiis pudendorum majoribus. (*Carrere*, l. c.)

(40) Ardor et pruritus in pudendis, cum veneris appetentia. (*Carrere*, l. c.)
Menstruus fluxus adauctus. (*Carrere*, l. c.)
Menstrua imminuta. (*Carrere*, l. c.)
Catamenia plures dies, immo 25 dies retardata. (*Carrere*, l. c.)

Epistaxis. (*Starcke*, l. c.)

(45) Haemoptysis. (*Carrere*, l. c.)
Manuum spasmus tam vehemens, ut fere nihil (minime corpora ambitus minoris) apprehendere posset.
Manuum tremor (ab usu Dulcamarae, coelo frigidiore et humidiore). (*Carrere*, l. c.)
Exanthema herpeticum maxime in manibus. (*Carrere*, l. c.)
Narcosis et debilitas femorum. (*Carrere*, l. c.)

(50) Pedum vulsiones. (*Carrere*, l. c.)
In manibus pedibusque vulsiones parvae. (*Carrere*, l. c.)
Convulsiones primo musculorum faciei, deinde totius corporis. (*Fritze*, Annal. d. K. F. III. p. 45.)
Artuum tremor fortis. (*Carrere*, l. c.)
Pruritus vehemens totius corporis. (*Carrere*, l. c.)

(55) Pruritus pungens in variis corporis partibus. (*Carrere*, l. c.)
Macularum rubrarum, valde prurientium eruptio cum vesiculis. (*Carrere*, l. c.)
Eruptio crustae herpeticae super totum corpus. (*Carrere*, l. c.)
Tubercula laete rubentia, acuminata, in cute, quae post 5 aut 6 dies pure opplentur. (*Starcke*, l. c.)
Maculae rubrae, elatiores, quasi ab urticatione. (*Carrere*, l. c.)

(60) Maculae rubrae, puliceae. (*Carrere*, l. c.)
Siccitas, calor et ardor cutis. (*Carrere*, l. c.)

Calor et siccitas, alvi constipatio, et retentio urinae dolorifica, cum pulsu molli, pleno, tardo. et ictubus arteriarum salientibus. (*Carrere*, l. c.)
Corporis tumor repentinus et artuum intumescentia, interdum cum doloribus aut narcoseos sensu. (*Starcke*, l. c.)
Debilitas magna, diuturna. (*Carrere*, l. c.)
(65) Inquietudo, vulsiones et agrypnia. (*Carrere*, l. c.)
Agrypnia, sanguinis ebullitio, punctus et pruritus in cute. (*Carrere*, l. c.)
Somnus turbatus, interceptus, anxius, somniis gravibus plenus. (*Starcke*, l. c.)
Febris tertiana duplex. (*Carrere*, l. c.)
Frigiditatis accessus crebriores, capitis gravitas, languor universalis (a refrigerio inter usum Dulcamarae). (*Carrere*, l. c.)
(70) Cutis calida, sicca, cum sanguinis orgasmo. (*Carrere*, l. c.)
Calor, inquietudo. (*Carrere*, l. c.)
Febris vehemens cum maximo calore, cutis siccitate, phantasiis, quotidie post 15 aut 16 horarum spatium rediens. (*Carrere*, l. c.)
Corporis calor, ardor in facie, cum alvi constipatione. (*Carrere*, l. c.)
Sudor dies quinque et plures continuans. (*Carrere*, l. c.)
(75) Sudor universalis, nocturnus et in axillis et in volis manuum diurnus. (*Carrere*, l. c.)
Sudor foetidus cum profluvio urinae pellucidae copioso. (*Carrere*, l. c.)
Inquietudo. (*Carrere*, l. c.)
Deliria. (*de Haen*, Ratio medendi, IV. p. 228).
Dolorum nocturna exasperatio cum deliriis. (*Carrere*, l. c.)
(80) Phantasiae, deliria — vesaniae species. (*Starcke*, l. c.)
Tempore matutino magnopere impatiens, pedibus terram pulsabat, omnia rejicere conabatur et delirare incipiebat; deinde ploratus. (*Starcke*, l. c.)

Hydrargyrum, Mercurius, Argentum vivum.

Hoc metallum in commercio plerumque adjectione quadam plumbi, vel etiam bismuthi, corruptum est, a qua optime liberatur, quum Hydrargyri nitrici solutio aquea ei superfusa in vase porcellaneo, per horam circiter, carbonum calore fervet, et aqua evaporata iterum iterumque suppletur. Quae cum fiunt, solutio illa plumbum atque bismuthum in acidum suum accipit, hydrargyrum contra amittit, quod hydrargyro purgando accedit.

Hydrargyrum statu metallico fluido in hominis valetudinem parum valet, tantummodo praeparata ejus magnas exserunt vires.

Inter praeparata salina praeprimis illud, quod acidi muriatici parvam partem continet (*Hydrargyrum muriaticum mite*, *Mercurius dulcis*, *Calomel*) et quod eodem acido plane saturatum est (*Hydrargyrum muriaticum corrosivum*, *Mercurius sublimatus corrosivus*) interne, cum axungiis vero conjunctum Mercurium (*Unguentum hydrargyri cinereum*, *unguentum mercuriale* s. *neapolitanum*) externe ad inunctionem inde a seculis pluribus ad hunc usque diem in morbis curandis adhibuerunt. Cetera hydrargyri praeparata innumera omitto, quae omnia fere acidis ceteris vel aliis additamentis adulterata rarius usurpata sunt, nec diu in honore fuerunt.

Neutiquam hic locus est, ubi omnium harum praeparationum virtutibus medicis sententiam dicam, quam etiam propterea dicere nequeo, quia vel in earum, quae saepissime adhibentur, veram et propriam in corpus humanum vim, parum tantummodo, verum in earum, quae rarius in usu sunt, virtutem nunquam omnino inquisitum est, neque ergo eadem in singulari morbo pro lege medicinae homoeopathicae ita unquam possunt eligi, ut de eventu salubri jam in antecessum nobis sit persuasissimum. Quam ob rem nullam, nisi istam fere sententiam, ex accurata quidem indagatione redundantem, ferre mihi licet, horum praeparatorum hydrargyri omnium virtuti commune quidem aliquid inesse, sed singulorum in humanum corpus vires, et genere et gradu longissime inter sese dissidere. Quae in salinis praesertim hydrargyri praeparatis omnibus elucent, quibus multas vires, parum notas, plerumque acriores, pro acidi adjuncti natura, juxta inesse videmus, a virtute mitiore atque stabiliore hydrargyri purissimi, nullo acido mutati maximopere differentes.

Quid? quod hydrargyrum, adipe admisto, in unguenti formam redactum, alia in corpore humano efficit, quam quae ex usu interno mercurii mitis, puri, semioxydati (aethiopis per se) proveniunt*), propterea fortasse, quod in ungentis cum acido adipis arcte cohaeret.

Quum medicina homoeopathica autem omnia medicamina, quae additamento aliquo alienas vires acce-

*) Joannes Bell, quin ulcera venerea remediis externis exstingueret, facere se non potuisse, nec unquam, ut solo unguento mercuriali adhibito illa sanescerent, sibi contigisse, conqueritur (quamvis interno mercurii solubilis bene praeparati usu morbus totus una cum ulcere sanetur, nec ullo remedio externo opus sit).

perunt, spernat, jam pridem hoc metallum purum ita praeparare propositum mihi fuit, ut nullas, nisi veras, integras, proprias in corpus humanum vires easque salubriores, quam quas cetera mercurii praeparata vulgaria et cum acidis mixta praebeant, exhiberet.

Jam vero, quod mercurii vivi quassatione diuturna simplici, vel tritu ejusdem una cum rebus siccis (v. c. lapidibus cancrorum) seu pituitosis, ex parte minima tantum medici assecuti sunt, hydrargyrum oxydulatum, subnigrum, hoc nos mercurii in acido nitrico solutionis saturatae, frigide paratae, praecipitatione, ammonii caustici ope (ut libris multis descriptum est) efficere conati, praeparatum nigrum (*mercurium solubilem*, *mercurium oxydulatum nigrum*) nacti sumus, quod, si coloris plane nigri est, in lue venerea sananda, ut millies experientia edocti sumus, reliquis praeparatis omnibus, hucusque notis, procul dubio longe antecellit. Idem vero quum male compositum, coloris cani, et a pharmacopolis mercurii solubilis Hahn. nomine falso appellatum, aegrotis dosibus magnis propinatum esset, quin insignem illis inferret calamitatem, fieri non potuit, utpote quod cum mercurii muriatici multo vitiatum esset. Quod praeparatum purissimum, ut plane nigri coloris fieret, nonnullis tantum, artis suae peritissimis pharmacopolis contigit, nec ullius, nisi hujus, dosibus aptis curationes illae praecipuae, de quibus relatum legimus, effici potuere. Quapropter nigritudo ista fusca signum semper fuit, quo praeparatum illud ita, ut praescripsi, confectum, mercurium oxydulatum omnium adhuc purissimum esse, patefieret.

At ex iis, quae postea expertus sum, intellexi, ne hoc quidem praeparatum summam mercurii oxydulati puritatem attigisse, sed nigritiem fuscam nimiae

copiae ammonii caustici, quod ad mercurium nitricum (aliquanto hyperoxydatum) praecipitandum adhiberi solet, potius debitam esse, mercurium vero nitricum hyperoxydatum hydrargyri muriatici atque sulphurici (cujus minima copia acritudine vehementiori nocet) partes aliquot plerumque continere, quae una cum mercurio oxydulato nigro praecipitentur eumque adulterent, quamvis detegi nequeant et praecipitati colore fusce-nigro celentur.

Mercurius oxydulatus ammonii caustici ope praecipitatus, omnino purus, ergo omnium hujusmodi praeparatorum saluberrimum atque mitissimum, coloris nonnisi fusce cani est (perinde, ac pulvis ille, sola quassatione mercurii purissimi diuturna confectus, Aethiops per se) et mercurio nitrico sincero, omnino non hyperoxydato, cum pauco ammonio caustico praecipitando nascitur.

Mercurius igitur, a plumbi atque bismuthi additamento, ut supra dixi, liberatus, acido nitrico communi (aqua sic dicta forti duplici) in loco frigido (ita, ut plane non calidus fiat) diebus pluribus solvitur; mercurius oxydatus inde natus in charta bibula exsiccatur, tum vero in mortario vitreo, spiritus vini rectificatissimi parte ponderis quarta addita, per semihoram teritur; deinde spiritus vini, jam in spiritum nitri dulcem conversus, defunditur et mercurius oxydatus, aliquantulo spiritus vini addito, iterum iterumque per semihoras teritur, donec spiritus vini, postremo admixtus, spiritum nitri dulcem redolere omnino desinat. Postea, ut mercurius oxydatus a spiritu vini plane liberetur, hic defunditur et ille siccatur, chartis bibulis iterum atque iterum suppositis, postremo simul superpositis et pondere graviori oppressis. Jam vero, ubi hoc praeparatum cum aquae destillatae quantitate ponderis duplici, in mortario

vitreo per horae quadrantem tritum et, humore limpido deliquato, residuum, pari aquae copia admixta, denuo tritum et terendo plane edulcoratum est; hoc humore limpido illi adjecto, exstat solutio aquea totius, qui praeparato infuit, mercurii nitrici puri, omnino saturati; id, quod solvi non potest, e mercurii salibus alienis, muriatico et sulphureo, constat.

Ex hac solutione aquea, ammonio caustico addito, mercurius oxydulatus, non coloris nigri, sed subnigro-cani tantum, praecipitatur quam purissimus, qualis pulvis ille, e quassatione mercurii purissimi diuturna natus, *Aethiops per se.*

Mercurii hujus oxydulati granum unum simul cum sacchari lactis centum granis in mortario per horam teritur, et ex his deinde granum unum eodem modo granis centum sacchari lactis terendo admiscetur et sic porro. Qua actione undecies repetita, attenuatio (seu potius: expansio vis medicae et dynamicae) quadrillionaria oritur, ex qua unum granum, immo unius grani pars parvula ejusque plerumque dosis una ad luem veneream ulcerosam sanandam plane sufficit, modo haec simplex neque cum ullo alio morbo chronico, miasmatico conjuncta sit, dosisque illa, per dies quatuordecim ab omni impedimento libera, vim suam exercere possit, neque ulcus ullo remedio externo impugnetur. Ita homo a lue venerea liberatur et ulcus sponte sanescit.

Hoc praeparatum (sicuti mercurius solubilis) inter omnia, quae exstant, hydrargyri praeparata eo maxime excellit, quod nullos nisi puros mercurii effectus exserat.

M e r c u r i u m s o l u b i l e m omnino nigrum, quo hucusque usi sunt medici, in posterum etiam praeparare p h a r m a c o p o l i s liceat, quum ad nigrum,

qui ab hoc praeparato exigi et potest, et debet, colorem efficiendum, adducere ipsum coacti sint ad eam usque perfectionem, quam omnino assequi potest et qua ceteris, hucusque notis, praeparatis profecto antecedit; verum, ut nigrities ejus completa adsit, postulandum atque efflagitandum est, alioquin non mercurius solubilis erit, sed praeparatum corruptum et noxium.

Sed mercurium oxydulatum omnino purum, subnigro-canum, qui postremo descriptus est, sicuti ejus attinuationes, quisque medicus (si quidem, ut haec medicamina quam perfectissima habeat, ex animo optat) ipse paret, velim. Aliter ei verendum est, ne illius loco aliquod praeparatum mercurii subnigro-canum substituatur, quod e mercurii solutione perperam praeparata (quamvis ammonii caustici ope) praecipitatum, propter insignem hydrargyri muriatici portionem simili quidem colore cano imbutum est, sed veneni instar in corpus agit humanum.

Symptomata infra notata ab usu mercurii oxydulati (solubilis) omnino nigri profecta sunt, qui tamen satis purus fuit ad effectus mercurii maxima parte proprios proliciendos, quibus virtutum hujus metalli singularium cognitionem non parum auctam esse, spero.

Apparet inde, quod si id iis tantummodo morbis propinemus, quorum signa diagnostica mercurii symptomatibus, quam simillima exstant, — atque si nullo, nisi perfectissimo et purissimo praeparato ejusque dosi tam parvula, quam supra descripsimus, utamur, tum hoc medicamentum saepissime necessarium atque saluberrimum fore.

Unica hujus medicaminis dosis, quam per octo vel quatuordecim dies solam in corpus agere patimur,

ad finem nostrum adsequendum plerumque sufficiet. Raro fieri poterit, ut, postquam morbo usu mercurii mutato, aliud remedium ex lege homoeopathica magis accommodatum interim adhibuerimus, si quidem mala chronica sunt, altera et ad summum, alio item medicamine nunc apto interposito, tertia etiam mercurii dosi ad sanationem opus sit.

Ab hoc usu metalli hujus saluberrimi unice congruo longe abhorret iste, qui in praxi vulgari ex annis pluribus invaluit, mos permultorum medicorum, qui mercurium dulcem (Calomel) (in quo praeparato mercurii, quippe cum acido muriatico conjuncti, virtutes verae et propriae mirum in modum sunt mutatae) adversus omnes fere ac diversissimos morbos, magnis dosibus, una plerumque cum opio temere adhibent, plane ignari et calomelanos et opii virium verarum, neque morbos, ubi aut illud, aut hoc, vel utrumque simul aptum sit, distinguentes. Talis curandi ratio fastigium insaniendi attigit, neque ullum recensioni, sed castigationi tantum locum praebet.

Paulo major ad nos redundavit notitia ex abusu mercurii cum acido muriatico conjuncti superoxydati, i. e. mercurii sublimati corrosivi, qui, quoniam in aqua et spiritu vini solubilis est, ad omnes usque gradus dilui, ergo ex lege medicinae homoeopathicae facilius adhiberi potest. Cujus, ut eluceant vires propriae (namque a mercurio puro longissime dissidet), symptomata aliquot, quae augeantur digna, infra a me posita sunt. Guttulam quintillionariae dilutionis hujus medicaminis, solam ac semel pro dosi propinatam, dysenteriis autumnalibus solitis certissime ac paene specifice mederi, expertus sum; qua re denuo legis homoeopathicae veritas evidenter manifestatur.

Neque mercurio cum sulphure conjuncto, cinnabari, virtutes propriae, ab hydrargyri puri symptomatibus abhorrentes, desunt, quarum quidem cognitio accurata adhuc defideratur. Symptomatibus infra positis inchoavimus certe rudimentum ejus proponere.

Jam vero, ubi vel purissimus mercurius oxydulatus morbo incongruo adhibitus fuerit, et ergo propterea, quod contra legem homoeopathicam datus est, nocuerit, pro symptomatum inde natorum natura modo calcaria sulphurata, modo sulphur, nunc camphora, nunc opium, interdum china vel acidum phosphoricum, singulorum dosi admodum parva ministrata, tamen antidotum erit.

Mala ea, quae a lento et diuturno veneni mercurialis influxu proveniunt, inprimis artuum tremorem artificum, qui res auro inducere solent, vis electrica exstinxisse dicitur.

Symptomata, ab usu mercurii oxydulati nigri profecta, quae nunc sequentur, maxima ex parte ad effectus primarios ejus referenda sunt. Pauca tantum, quae effectibus secundariis adnumeranda esse constat, eo insignia sunt, ut dolore atque inflammatione omnino careant, quo v. c. glandularum tumoris duri, frigidi, non dolentis species, nec non musculorum quaedam debilitas cataleptico-paralytica pertinere mihi videtur.

Gr.

Symptomata.

Hydrargyrum oxydulatum nigrum *).

Vertigo in cubiculo, quasi casura esset foemina, inter eundum inniti cogens. (*H.*)

Vertigo inter sedendum magis, quam inter standum, cum visus obtenebratione, maxime circa vesperam. (*H.*)

Vertigo inter sedendum simulque scribendum, quasi ab ebrietate; surgit et in cubiculo titubanter ambulat, tum calore anxio invaditur cum nausea vomituriente, sine vomitu, inter cephalaeam quamdam (tribus diebus singulis illa omnia iterantur, circa meridiem et post eam). (*H.*)

Post sessum trunco incurvato, inter erigendum corpus, momento primo vertiginis sensus. (*H.*)

5. Inter decubitum in dorso, gyrationis et deliquescentiae sensus, decumbendo in latus evanidus. (*H.*)

Vertigo cum manuum frigiditate et horrore febrili, tum capitis occupatio. (*H.*)

In statu vertigo vehemens caput proclinantis.

Vertigo, decumbere cogens.

Inter versationem subitam vertigo, quasi omnia cum eo in gyrum verterentur.

10. Vertigo inter eundum in aëre libero cum nausea vomituriente et sensu, quasi in pectore vermis ad gulam usque sursum reptet.

---

*) Qui in viribus Mercurii investigandis auctorem adjuvere, medicorum nomina haec sunt: Grofs, Gutmann, Fr. Hahnemann, Hartmann, Hornburg, Langhammer, Stapf. —

Nota interpretis.

Vertigo et titubatio ex aëre libero cubiculum intrantis.
Vertiginis et titubationis sensus inter eundum in aëre libero, in cubiculo capitis tantum gravitas (post horam quadragesimam octavam).
Vertiginis species; inter decubitum sensus quasi ab oscillatione per longitudinem.
In fronte sensus gyratorius.

15. Post pastum, ebrietatis sensus; calor et rubor in faciem adscendit, quae tumescit. (*H.*)
Interdiu subtemulentia et dormituritio. (*H.*)
Debilitas capitis ut a subtemulentia, et quasi quid in fronte vibraret et in gyrum verteretur. (*H.*)
Quum a sessu surrexit, stupiditatis et gyrationis cum scotomia sensus, in cubiculo calido maxime adgravatus, in aëre libero levatus. (*H.*)
Capitis dolor, quasi a gravatione et plenitudine in cerebro. (*H.*)

20. Mane, quum e lectulo surrexisset, dolor capitis obtusus; — capitis obtenebratio mane inter expergiscendum. (*H.*)
In cubiculo capitis gravitas et oppressio, etiam in sessu et decubitu. (*H.*)
Mane post surrectionem caput turbidum, quasi a vigilia pernocte; in aëre libero haec affectio evanescebat. (*H.*)
Animi aciei obtusio cum socordia; quod rogatur, non audit; quae legit, memoria complecti vix potest, et loquendo labitur. (*H.*)
Loquelae difficultas cum capite turbido, legendi atque laborandi impotentia; si sedet, obdormiscit. (*H.*)

25. Memoria debilissima; mentem aegerrime colligit et quaestionibus perverse respondet (ut ipse sentit). (*H.*)
Vesperi, in capite inquietudinis sensus dolorosus ad decubitum usque, cum vocis clarioris impatientia; sedendo et caput mensa suffulciendo levatum se sentit. (*H.*)
Ubi sit, nescit; computandi, perpendendi, plane impotens.

Mentis abolitio et aphonia; dormire videtur, arteriarum vero pulsu evanido (licet corpore rite calido), facie plane funerea; post horam mens redit et vocis sonus aliquis, loqui tamen frustra conatur; post duodecim demum horas lingua uti potest.

Mentis distractio; dum labori animum intendit, aliud, quod agat, in mentem venit; cogitatio alia aliam pellit, identidem (per dies aliquot).

30. Cephalaea vespertina; in syncipite et vertice obtenebrationis sensus dolorosus cum morositate.

In capite dolor, quasi id annulo quodam (digitos tres lato) supra orbitas et aures ambiente circumcirca vehementer expanderetur. (*H.*)

In capite ardor. (*H.*)

Quasi capite arctissime colligato, cephalaea. (*H.*)

Vesperi capitis dolor, quasi cerebrum ligamento circumcirca constringeretur. (*H.*)

35. Capitis dolor sub ipso cranio, quasi a gravitate et angustia. (*H.*)

Capitis dolor foras premens. (*H.*)

In bregmatis ossibus dolor quasi foras premens. (*H.*)

Capitis dolor, tanquam cerebrum dispanderetur. (*H.*)

In cerebro plenitudo, quasi caput dirumperetur. (*H.*)

40. In occipite cephalaea premens.

Capitis dolor in fronte foras premens, cum ossis dolore sub superciliis, adeo inter tactum. (*H.*)

Cephalalgia vehemens, quasi caput in summo dilaberetur, cum pressione, tanquam cerebrum ad nasum deorsum niteretur. (*H.*)

Capitis dolor lancinans in syncipite ad verticem usque, etiam in inferiore occipitis parte. (*H.*)

Capitis dolor, quasi a punctu lancinante, tardo, et ut a contusione. (*H.*)

45. Per caput totum punctus. (*H.*)

In fronte capitis dolor pungens (statim). (*H.*)

In cerebro ictus propellentes, maxime inter motum et pronationem. (*H.*)

Inter pronationem in fronte quasi diruens et gravativus capitis dolor. (*H.*)
In cranio, in frontis ossibus, dolor lancinans. (*H.*)

50. Dolor terebrans in occipite. (*H.*)
Capitis dolor in fronte foras premens, maxime inter decubitum, pressione palmae levatus (post horam quadragesimam primam).
In syncipite toto agitatio et pulsatio.
In fronte punctus inter eundum in aëre libero.
(Inter sessum) in sinistro frontis latere punctus iteratim terebrantes, perquam dolorosi.

55. (Inter sessum) circa sinistrum frontis latus punctus lancinantes, cum horroribus supra totum corpus, manuum frigiditate, genis calidis tepidaque fronte, sine siti.
In anteriori capitis parte dolor tractim subruens.
Dolor constringens, quasi caput trochleae infixum esset, nunc in syncipite, nunc in occipite, vel in latere sinistro, cum oculis aqueis.
Mane, si in lecto perverse cubuit, dolorem a palato in cerebrum usque trahentem sentit, ita ut cerebrum ipsum quasi conquassatum doleat.
Ardor in tempore sinistro et in frontis cute lateris ejusdem.

60. Totum caput externum tactu dolet. (*H.*)
Capitis dolor externe lancinans. (*H.*)
In fronte et in capite pruritus ardens.
In nucha et capillitio dolor pruritive mordax.
In capillitio crustae multae prurientes, post fricatum ardentes.

65. In capillitio pustularum eruptio serum exsudantium, capillos quasi erodentium, doloris prementis vehementis, maxime locis degluptis.
Sine cephalaea capillorum casus.
Sub capitis cute, palmae tactu, sensus quasi ab apostemate.
In capillitio horror, inter quem capilli rigescere, sive capitis tegumenta contrahi et tremere videntur.
In arcu supercilii dextri sensus ardens.

70. Pupillae dilatio (post horam primam).
Oculi sinistri obnubilatio amaurotica, paulatim aucta, per horae sextantem. (*H.*)
Oculi sinistri caecitas amaurotica sine dolore, per minutas aliquot, inter eundum in aëre libero. (*H.*)
In visu punctum nigrum, quod infra praeire ei semper videtur.
Insecta nigra seu muscae in visu volitare semper videntur.

75. In visu omnia viridis et nigri coloris ei esse videntur, cum sensu, quasi cubiculum cum ipsa in gyrum vertatur, ut decumbere cogatur (inter pastum).
Visus abolitio per quinque sexagesimas, et quavis semihora hujusmodi accessus recurrit, visum plane adimens per quinque sexagesimas.
Puncta ignea in visu, nubes versus, maxime post meridiem.
Ante oculum unum, vel utrumque nebula.
Hebetudo visus.

80. Visus obnubilatio.
Visus error; culmum ante oculos pendulum videre sibi videtur.
Instrumenti acuti (v. c. subulae) apex duplex ei esse videtur.
Quae videre studet, juste cognoscere nequit ob involuntariam oculorum contractionem fere continuam, quam, quo magis conatur, prohibere eo minus potest; decumbere oculosque claudere coacta est.
Quasi bulbi agglutinati sint, oculos aperiendi difficultas.

85. Palpebrae inter sessum, statum et itum, quasi vi deprimuntur, ut a somno diu neglecto.
Oculi ignis splendorem solisque lucem pati nequeunt.
In oculis ardor, quasi a crebra lectione nocturna, cum rubore oculi alterius. (*H.*)

In oculo pressio, dum movetur, et inter tactum dolor premens. (*H.*)
Oculi lacrymant in aëre libero; — oculus lacrymis suffusus. (*H.*)

90. Palpebrae mane conglutinatae. (*H.*)
Palpebra superior, quasi ab hordeolo tumida et rubra.
In oculis sensus ardens et mordax, ut ab armoracia.
In albuginea venularum rubrarum copia apparet.
Utriusque oculi inflammatio doloris ardenter mordacis, aëre libero adgravati.

95. Oculorum calor et lacrymae; — uterque oculus aqueus, mane.
In palpebra dextra superiore et inferiore dolor ardens.
Palpebra sinistra inferior, maxime ad canthum externum, valde tumet, cum dolore ardente per dies quinque, oculo lacrymis suffuso, sternutatione crebra per triduum antecedente.
Palpebrarum tumor insignis, rubor et constrictio, tactu valde sensibilium.
In oculis pressio, ut ab arenula.

100. In oculorum bulbis pruritus.
In oculis punctio.
Sub sinistra palpebra superiore sensus, quasi corpus acutum et discindens ibi versetur.
In palpebra inferiore vibratio continua. (*H.*)
In palpebris vibratio, vulsio.

105. Rubor violaceus oculos ambiens, maxime infra eos apparens.
In ossis lacrymalis regione tumor inflammatorius. (*H.*)
Facies collapsa, pallida, lurida, oblonga; oculi turbidi.
Dextrum faciei latus maxime infra oculum tumet et calet.
In maxillae superioris osse sinistro, prope oculum, punctus obtusus.

110. In facie maculae rubrae.

Punctus singuli acuti, quorum quisque minutas quinque perdurat, in osse jugali (etiam in pectore, in genu et olecrano), magis ante meridiem et inter itum. (*H.*)

In ossis zygomatici sinistri cute herpetica macula partim rubida, partim albida, aspera.

In utroque osse jugali dolor foras premens.

Dolor lancinans in genae sinistrae latere, aurem totam lancinando constringens. (*H.*)

115. Genae sinistrae tumor summus.

Aures quasi obturatae et susurrus in iis. (*H.*)

Auris utriusque auditus difficilior.

Aurium amborum susurrus inter decubitum in lecto, cum auditu utrimque difficiliori.

Mane aurium susurrus. (*H.*)

120. Ut a syncope nascitura, susurrus aurium. (*H.*)

Aurium susurrus ad pulsuum modulationem. (*H.*)

In aure sinistra formicatio et sonitus quasi ab alarum clangore.

Aurium tinnitus, quasi a vasis vitreis diversis acute sonantibus, maxime vesperi, per multos dies.

In aure interna punctus inter pronationem. (*H.*)

125. In aure dolor premens et pungens; quo magis lecti calor increscit, eo magis frigiditatis et madoris in aure sensus augetur, postremo quasi glacies auri inhaeret. (*H.*)

In aure coarctationis sensus. (*H.*)

In aure vellicatio. (*H.*)

In ima aure sinistra lancinatio inter menstrui eruptionem.

In utraque aure infima punctio et ardor, in sinistra magis.

130. Auris utriusque intertrigo ac decoriatio interna, dextrae magis.

In aure utraque interna quovis die pluries sensus, quasi aqua frigida destillaret, subitaneus et post minutas aliquot evanidus; pruritu insigni in auribus ambabus intermixto.

Ex utraque aure liquor destillat.

Mane ex aure sinistra sanguis effluit.
Sanguinis cum pure foetido mixti ex aure dextra effluxus cum dolore lancinante in ea.

135. Ex utraque aure puris effluxus; anteriori auris dextrae parti vomica inhaeret, tactu pus fundens, cum doloribus in toto hemicranio dextro eodemque faciei dimidio, in hoc latere decumbere prohibentibus.
Ceruminis liquidi ex utraque aure effluxus.
In auris sinistrae cartilagine dolor ardens.
Auriculae per dies octo dolor magnus cum rubore et calore; post biduum in ea tuberculum oritur, quod per hebdomades duodecim durat.
In auricula tuberculum immobile, non nisi initio dolens, per hebdomades quatuor durans (post diem tricesimum quartum).

140. In auricula dextra oritur pustula ardentis, exedentis, prurientis doloris, serum exsudans, faciei squameae, herpetis parvuli ad instar, fricare cogens.
Pone aurem sinistram vellicatio, somnum impediens; locus tactu dolet.
In naso pustula valde dolens. (*H.*)
In naso tumor inflammatorius. (*H.*)
In nasi apice tumor, rubor, inflammatio, pruritus. (*H.*)

145. In nasi latere dextro pruritus insignis, fricare cogens. (*H.*)
Nasi radix turgida.
In nasi radicis cute sensus formicans et rodens.
Supra nasum tensio per transversum.
Nasi ossa tactu dolorosa.

150. Nasus totus, maxime lateris sinistri, tumet, valde rubet et nitet cum pruritu, maxime in interna narium alarum parte.
Narium septum tumidum et fissum.
Sinistrae alae nasi tumor, qualis coryzam vehementem comitare solet.
Respiratio per nares intercepta.
E p i s t a x i s v a r i i g r a d u s.

155. E nare sinistra epistaxis; inter destillationem sanguis coagulatur, ita ut metulae instar naso adhaerescat.

Epistaxis inter somnum nec non inter tussim insignis.

Labii superioris tumor internus. (*H.*)

In interna labii inferioris superficie, e regione dentibus incisivis, ulcera dolorosa. (*H.*)

Infra rubedinem labii inferioris medii et paulo propius ab oris angulo oriuntur pustulae, quae inter tactum dolorem mordacem excitant. (*H.*)

160. Oris angulus exulceratus, quasi a vulnere dolens. (*H.*)

Labiorum digito tactorum dolor quasi urens et ardens, ut ab urticis; item siccitas labiorum.

Labii inferioris, quasi a tempestate frigida, horrida, asperitudo atque siccitas (post horam septimam).

In labio superiori, propius ab ejus margine, exanthema, crustis flavis obsessum, doloris mordacis ardentis.

Labii superioris tumor mollis, ruber; labium interne a gingivis sejunctum, adspectu quasi divellicatum; in superficie ejus interna et externa vellera oriuntur ad imum usque exulcerata, dolore pungente, interdum pruriente.

165. Labii superioris et buccae tumor insignis, mollis et ruberrimus, in quo foramina (quasi terebrata) ad digitalem profunditatem oriuntur, flavo-subcana materie quasi illinita, humorem flavum, aqueum tantum fundentia, odorem aliquantum putridum reddentia et inter tactum (nec tamen nisi in margine) sanguinantia.

In labiorum parte interna macula albo-livida.

In oris angulis dolor, quasi ab incisione.

Oris angulus rhagadibus fissus.

Hora tertia matutina oris ad latus distortio, cum respiratione intercepta.

170. Musculi inter labium inferius et mentem conspicue rursum versum tracti. (*H.*)

In mento pustula pure repleta, grani milii magnitudine. (*H.*)
In buccae cute prope mentum ardor.
Ulcuscula rubra, milii granorum magnitudine, in dextro menti latere, tactu indolorifica.
Ulcuscula purulenta, rubra in sinistro menti latere, sine dolore (die tertio).

175. Sub mento exanthema flavum crustosum, digiti quadrante altum, fere sine dolore.
In maxillarum articulatione tensio inter oris apertionem. (*H.*)
Ad vesperam in mandibula dolor lancinans.
Absoluta fere mandibulae immobilitas, ut os vix aperiri possit, cum dolore vehementissimo.
Maxillas aperire nequit, simulque dolorem sentit tensivum in dextro ossis hyoidei latere; amaritudo ciborum ac potulentorum omnium (praeter lac, quod bene sapit); auris dextrae lancinatio et auditus difficilior; flatuum foetidissimorum cum crepitu eruptio copiosa, et capitis exanthema serum exsudans.

180. Gingivae tumidae a dentibus dissident, dolent. (*H.*)
Gingivarum margo superior, quasi serratus eminet, albidus, exulceratus. (*H.*)
Gingivarum exulceratio. (*H.*)
Gingivarum tumor nocturnus, interdiu imminutus. (*H.*)
Nonnisi mane gingivae tumor volaticus. (*H.*)

185. Quavis nocte, dum somnum capturus est, dolor in gingivis ardens eum expergefacit. (*H.*)
Gingivarum dolor ardens et pulsans, post meridiem auctus, decubitu levatus, noctu evanidus. (*H.*)
Gingivae inter tactum et masticationem, inprimis escarum solidarum, dolent.
In gingivis pruritus.
Gingivae a dentibus discedunt.

190. In gingivarum diversis locis lancinatio cum earundem intertrigine et tumore.

In gingiva spongiosa, a dentibus recedente, sanguiflua, lancinatio subtilis itemque in radicibus dentium denudatorum, per integrum fere diem et inter surrectionem mane; vesperi tabaci fumo hauriendo dolor aliquantum levatus.

Gingiva, a dentibus dissidens, decolor et in apice alba est.

Gingivarum tumor sine dolore per plures dies.

Gingivae tactu levissimo sanguifluae, per dies quinquaginta sex.

195. Incisivorum dentium dolor. (*H.*)

Anteriorum dentium incisivorum dolor, inter hauriendum aërem frigidum ore aperto, vel inter potum frigidum aut calidum, nec ultra tamen durans. (*H.*)

Quasi a dentibus obtusis dolor. (*H.*)

Noctu odontalgia immanis, quam evanidam deinde frigus per totum corpus insigne subsequitur. (*H.*)

In dentibus debilitas. (*H.*)

200. Anteriores dentes quasi luxati. (*H.*)

In dentium omnium radicibus per diem integrum lancinatio. (*H.*)

Odontalgia lancinans post noctem mediam et maxime mane. (*H.*)

Dentium dolor lancinans, in aures versus pungens, noctu maxime, lectum relinquere et vigilare cogens per totam noctem. (*H.*)

Dolor dentium trahens, mane. (*H.*)

205. Dentium dolor vulsorius, noctu maxime. (*H.*)

Odontalgia; ictus pulsatorii, qui a dentibus maxillae inferioris ad aurem et a maxilla superiori ad caput usque tendunt, cum gingivarum dolore, nona hora vespertina incipientes, nonnisi inter decubitum et somnum remittentes. (*H.*)

Vespere punctus horribiles in dente. (*H.*)

Noctu dentibus stridet inter somnum eosque tam fortiter comprimit, ut dolore vehemente e somno expergatur. (*H.*)

In dentibus lancinatio horribilis, pastu maxime adgravata; dentes vacillare incipiunt.

210. In dentibus, maxime post pastum, dolor, tanquam cariosi essent.
Dentes e cano nigricantes et atri.
Inter maxillarum motum sensus, quasi dentes omnes, inprimis inferiores anteriores, vacillarent.
Dentium vacillatio, qui linguae tactu dolent.
Aphonia et mentis abolitio per horas duas.

215. Loquelae et vocis abolitio*); auribus omnia bene percipiens, respondere tamen, nisi gesticulando, nequit, et quamvis loquelae organum intendere conetur, tamen ne literam quidem vel submissa voce eloqui, nec sonum edere potest, facie collapsa, de isto statu flens; somnum capere nequit et valde languet, inter omnium ciborum appetentiam et cerevisiae sitim, excrementis atque urina bene decedentibus.
Aëris liberi afflatum lingua ferre nequit.
Lingua valde tumida, alba. (*H.*)
In lingua formicatio. (*H.*)
In linguae apice, ut ab acubus, dolor pungens. (*H.*)

220. In linguae parte superiore per longitudinem stria, doloris pungentis. (*H.*)
Linguae, quasi a rhagade, ardens dolor. (*H.*)
Linguae tumidae margo ulcerosus, summe dolens. (*H.*)
Lingua alba et gingivae albidae, tumidae, inter tactum sanguinantes.
L i n g u a a l b a , p e l l e q u a s i t e c t a , maxime mane.

225. Lingua stupore affecta, quasi pellita.
Lingua asperrima.
L i n g u a e t u m o r i n s i g n i s.
Lingua tumida, in medio cava, exulcerata; lingua tumet et in margine tam mollis est, ut hic ad dentium intervalla sese formet et serratam exulceratamque faciem exhibeat.

---

*) Hic status, per triduum tenens, hyoscyamo omnino fere exstinctus est, ita, ut die quarto omnia posset loqui et voce justa, paulo tamen inhabiliori.

Linguae dimidium anterius plane aridum et tam durum est, ut ungue impacto crepet.

230. Buccae internae ulcera. (*H.*)
Noctu in ore ardor. (*H.*)
In ore siccitas diuturna. (*H.*)
In ore aphthae. (*H.*)
Os internum, maxime in buccis, livorem ducit.

235. In toto ore interno intertrigo.
In buccarum superficie interna vesiculae rotundae, prominentes, albae, sponte decoriatae, doloris ardentis.
Ulcera in ore ac vellera, insignis maxime vesperi doloris ardenter mordacis.
Aphtharum in ore species.
Muci copia e choanis narium ad fauces intrat, ad exscreatum invitans. (*H.*)

240. In faucibus dolor, quasi ab inhaerente theca granorum mali. (*H.*)
Sensus, quasi gulae quid inhaereat, quod deglutiendum sit.
In faucibus quasi premens dolor. (*H.*)
Primum in oesophago deorsum ardor, postea in abdomine. (*H.*)
Deglutitio difficilis, dolorosa, quasi faucibus ab oleo fervido hausto laesis. (*H.*)

245. Post prandium modicum vapor calidissimus ex abdomine in fauces adscendit cum dolore faucium paulatim ingravescente et siti intensa. (*H.*)
In linguae anteriori parte pituita copiosa, in faucibus siccitas magna. (*H.*)
Quasi a siccitate nimia in faucibus dolor. (*H.*)
In gula siccitas insignis, deglutire continuo cogens. (*H.*)
In faucibus siccitas diuturna cum dolore, quasi ab angustatione; ibidem inter deglutiendum pressio et tamen ad deglutionem creberrimam invitatio, quum os semper liquore repletum sit. (*H.*)

250. Inter deglutiendum in faucibus posterioribus punctus, ad ipsas aures penetrantes. (*H.*)

In velo palatino punctio. (*H.*)
Inter deglutitionem dolor pungens in tonsillis. (*H.*)
Tonsillae exulceratae, cum doloribus in pharynge acute pungentibus inter deglutiendum. (*H.*)
Ductus stenoniani ostium intra dentes posteriores tumidum, albidum, exulceratum et summe dolorosum. (*H.*)

255. Effluxus ex ore salivae viscidae, foetidae, copiosae, maxime horis quibusdam noctis, vel vesperi. (*H.*)
Glandularum salivalium dolor ac tumor. (*H.*)
Glandularum colli et parotidum tumor et dolor, maxillarum apertionem ac motum impediens. (*H.*)
Parotidis tumor et dolor ardens ac premens, frigiditate evanidus, calore recrudescens; si glandula panno laneo tangitur, ad tussim oritur irritatio. (*H.*)
In colli glandulis dolor pungens. (*H.*)

260. Per accessus dolor premens in oesophago, quasi ab ulcere nascituro. (*H.*)
In oesophagi latere dextro, vel extra deglutitionem, quasi a vulnere dolor. (*H.*)
Deglutitio difficilis; nonnisi aegerrime et nisu vehementiori cibos gulam transire facit.
Faucium inter deglutitionem dolor cum raucedine.
In palati velo asperitudo, mordacis doloris inter linguae tactum, quasi ab intertrigine.

265. In palato ariditas, quasi a calore genita.
Caloris sensus, per gulam adscendentis.
Uvula multo longior et tumida.
Inter emunctionem in gulae latere et in oesophago premens et quasi a tumore dolor.
Potus, quando ad laryngis regionem usque pervenit, ultra deglutiri nequit, sed per nares refluit.

270. Continuus in oesophago circa laryngem dolor premens, pastu adgravatus, cum sensu tanquam glutiendo carnis crudae frustum superandum sit, et cum dolore ibidem ardente.

Quasi vermis per gulam adscendat, sensus, glutire creberrime cogens et glutiendo paulnlum cessans, quamquam per gulam deorsum transire nihil videatur.

Sine vomitu ac tussi per fauces sanguis adscendit et ex ore effunditur.

Exspuitio continua.

Salivae acidissimae affluentia.

275. Salivae valde mucosae exspuitio.

Salivae confluvium saponaceae, saepe magis pituitosae, in fila longa protensae.

Odor ex ore putridus, insignis, quem alii magis, quam aegrotus ipse, sentiunt.

Ciborum sapor non foedus quidem, sed qualis in febre intermittente exstare solet. (*H.*)

Butyri sapor foedus. (*H.*)

280. Hydrargyrum oxydulatum nigrum insipidum primo reddit saporem, postea insignem, foedum (metallicum, terreum, argillaceum, saponaceum, putridum, acidulum), — postremo intolerabilem. (*H.*)

Mane oris amaror summus. (*H.*)

Amaror oris insignis post coffeae potum. (*H.*)

Screatus pituitae tenacis, amarae. (*H.*)

In ore amarities, maxime extra pastum et dum ab edendo ac bibendo abstinet. (*H.*)

285. Sapor in ore amarus ante pastum et post eum, ciborum sapore integro. (*H.*)

In ore amarities continua cum ructibus post panis esum acidis. (*H.*)

In faucibus puris sapor. (*H.*)

Sapor ingratissimus, putridus faucium. (*H.*)

Sapor in ore ut ab ovis putridis, dum lingua movetur, deinde deglutitio involuntaria. (*H.*)

290. Putridus, quasi excrementorum, sapor in ore et simul salivae sapor salsus. (*H.*)

In ore sapor salinus. (*H.*)

Cerevisiae lupulo conditae nec non panis sapor acidus. (*H.*)

Mane in ore jejunae sapor acidus, qui post pastum evanescit. (*H.*)
In ore sapor mucaginosus. (*H.*)
295. In ore sapor dulcis. (*H.*)
Dulciculorum nausea. (*H.*)
Sensus quasi quid nauseose-dulcis edisset, et inde nausea vomituriens. (*H.*)
Carnium bubularum fastidium et sapor ingratus. (*H.*)
Carnis summa aversatio, coffeae fastidium; nonnisi frigidarum escarum (panis butyro illiti etc.) appetitus, calidarum omnino nullus. (*H.*)
300. Sapor ingestorum omnium deletus et anorexia. (*H.*)
In labio et lingua, inter pastum et extra eum, amaritudo.
Panis secalini sapor amarus.
In ore sapor putridus, maxime mane.
Sapor in ore quasi metallicus, vomitum fere ciens.
305. Sapor omnium ciborum ac potulentorum, etiam aquae, mucosus atque salinus.
Sapor falsus in labio et in lingua per plures dies.
Sputum salinum.
Inter pastum et extra eum sapor in ore acidus.
Panis sapor dulcis.
310. Appetitus deminutus, fames aucta. (*H.*)
Inappetentia ciborum; appositis tamen iisdem vescendi redit appetitus et gratus escarum sapor. (*H.*)
Sitis major quam fames, cum frigoris sensu diuturno. (*H.*)
A pastu minimo statim satietas. (*H.*)
Escarum odorem percipere, quam iis vesci, mavult. (*H.*)
315. Ciborum appetentia ac fames immensa, quamvis escarum fere nihil sumere possit ob saporem omnium insipidum (nec tamen foedum).
Fames canina brevis, paulo post pastum justum.
Diuturna fames canina cum languore continuo increscente.

Escarum siccarum appetitus nullus, sed fluidarum appetentia.
Maxime mane appetitus nullus.

320. Vini atque spiritus frumenti, quibus sumendis pridem assuetus est, inappetentia.
Nauseae vomiturientis accessus, post pastum auctae; per diem integrum nausea vomituriens cum horrore. (H.)
Cum quavis nausea vomituriente cephalaea conjuncta. (H.)
Nausea vomituriens in summo oesophagi, non in ventriculo, ita, ut vomere nequeat (maxime post pastum). (H.)
Ob nauseae et vomituritionis sensum auditus atque visus abolitio. (H.)

325. Vomituritio cum vertigine scotomica et calore volatico. (H.)
Vomituritio statim post pastum, appetitu et sapore integro. (H.)
Interdum liquoris ad fauces adscensio cum acritudine, quasi spiritus frumenti.
Carnium nausea cum vomitu subsequo.
In pectore cum dolore disscindente ac premente nauseae summae sensus, quasi vomitus instet, nullo situ requiescere sinens ob angorem ultro citro vertere cogentem.

330. Dum tabaci fnmum pro more hauriebat, in pectore inde a cordis scrobiculo ad colli scrobiculum usque vomituritionem cum dolore opprimente et disscindente sentit.
In pectore vomituritio continua cum dolore premente et disscindente, et ultro citro (ad pectoris latera versus) punctus obtusi, dolor in abdomine disscindens et in scrobiculo cordis disscindens premensque.
In scrobiculo nauseae vomiturientis sensus, tum eructatio et eructando respiratio interdum suppressa.
Circa ventriculum (statim) nausea vomituriens, postea ut a contusione dolor in latere dextro

paulo supra coxendicem, motu adgravatus atque tactu.

Noctu (hora prima) confluentia in ore aquae copiosa inter nauseam vomiturientem, quae e somno expergit et liquoris amarissimi vomitum excitat.

335. Vomitus insignis pituitae amarae.
Eructatio aëris continua. (H.)
Ructus crebri sine ullo sapore, interdum saporis acidi. (H.)
Liquoris amari ructus. (H.)
Ructus saporis amari odorisque putridi. (H.)

340. Ructus biliosi, post meridiem. (H.)
Ructus quasi panis recens cocti. (H.)
Post pastum et potum regurgitatio. (H.)
Ructus non sonorus.
Paulo post prandium ructus cum vapore oris putrido.

345. Soda. (H.)
Ante prandium atque coenam oscitatio crebra. (H.)
Post pastum singultus vehemens. (H.)
Singultus creber, maxime ante meridiem. (H.)
In scrobiculo dolor ardens (statim). (H.)

350. Ventriculi dolor vehemens, quasi a vomitu insigni. (H.)
Sensus in ventriculo valde dolorosus, maxime inter inspirationem altam et inter tactum. (H.)
In scrobiculo cordis dolor, quasi ab incisura decussatim facta. (H.)
In scrobiculo lancinatio constringens, dein pectus petens.
Dextra prope scrobiculum arteriam quandam fortius pulsare sentiebat, id quod etiam per vestes tangebatur et cernebatur.

355. Inter sedendum in sella humili caloris sensus in scrobiculum adscendens cum visus obtenebratione, surgendo evanidus. (H.)

Inter sessum ab ingestis in scrobiculo, ut a lapide, sensus pressorius, quasi illic conglobarentur. (H.)
In scrobiculo plenitudo ac tensio, respirationem angustans, appetitu integro. (H.)
Post pastum in scrobiculo pressio simul cum nausea vomituriente. (H.)
A pane eso in ventriculo pressio. (H.)

360. Si parum cibi capit, per horas aliquot ventriculus deorsum trahitur et spasmus quidam in eo sentitur. (H.)
Ne eas quidem, quae facillime digeruntur, escas concoquere potest; vel a panis paululo ingesto oppletionis sensus, quasi ventriculus deorsum traheretur, cum fame tamen insigni; ubi paulo plus cibi capit, a morositate vix tolerabili invaditur. (H.)
In ventriculo plenitudo et constrictionis sensus. (H.)
Trunco pronato statim concoctio impedita. (H.)
In intestinis sensus, quasi nimis relaxata essent; inter eundum ibidem quassatio, tanquam omni firmitate carerent. (H.)

365. In abdomine frigescentia. (H.)
Ab aëre vespertino tormina ac diarrhoea. (H.)
Quasi a refrigerio tormina; inter eundum in aëre libero in abdomine sensus, quasi a refrigeratione. (H.)
Primo dolor uti forcipe premens in scrobiculo, tum sedes mollis, cum torminibus tamen et borborygmis in abdomine subsequis, vesperi. (H.)
Primo in genis rubor et calor, tum in epigastrio dolores ardentes, uti forcipe prementes. (H.)

370. Inter dolorem uti forcipe prementem in abdomine frigus et horror eum perreptat. (H.)
In epigastrio dolor disscindens. (H.)
Vesperi in hypogastrio tormina disscindentia, cum dolore premente in epigastrio, vestium vincula ibi solvere cogente (post horam vicesimam quartam). (H.)

Noctu tormina disscindentia, vel potius lancinantia in abdomine, inter tactum frigido. (H.)
Tormina immensa, non nisi decubitu evanida. (H.)

375. In latere dextro decumbens dormire nequit ob intestinorum, quasi a pressione, dolorem. (H.)
In latere abdominis dextro pressio vehemens, quasi intestina extorquerentur. (H.)
In abdomine dolor premens, in gulam usque adscendens, quasi panis crusta oesophagum raderet et ut a soda seu eructatione nascitura. (H.)
Quasi a lapide, in abdomine pressio. (H.)
Mane, jam in lecto, pressio dolorosa in latere abdominis dextro. (H.)

380. In hepatis regione dolor protrudens, foras premens. (H.)
Distensio abdominis. (H.)
Post pastum in abdomine vel musculis ejus glocitatio ad pulsuum modulationem. (H.)
A quovis potu in abdomine borborygmi. (H.)
Dum aliquid frigidi (v. c. lignum frigidum) adprehendit, tormina.

385. Tormina ventris cum borborygmis sonoris.
Ardor circa umbilicum et in abdomine.
Tormina ventris per horam integram, quae circa noctem mediam e somno expergunt, duabus noctibus iterata.
Supra renis sinistri regionem dolor punctim lancinans.
In abdomine inter mictum dolor disscindens.

390. In hypogastrio dolor pressim tensivus, inter exspirationem cessans, pressione externa et eundo adgravatus, maxime inter scalarum adscensionem in doloris disscindentis speciem degenerans.
Supra umbilicum in imo ventre dolor tensivus, pastu levatus.
Punctus ad perpendiculum inde a medio hypogastrii in anum usque foras terebrans.
In imo hypogastrio, quasi a cultro, punctus disscindentes a dextro ad sinistrum latus versum,

inter eundum magis, quam inter statum ac sessum, sentiti, una cum tenesmo doloroso sine sede minima, per dies quatuor.

In hypogastrio, paulo super pudenda, sensus, quasi quid grave ad pudenda versus trahendo niteretur, per horas quadraginta octo, simul cum dolore distrahente in utroque femore, tanquam tendines atque musculi nimis curti essent.

395. In hypogastrio constrictio dolorosa.

Abdomen distentum, durum.

In abdomine ante sedes singulas borborygmi (post diem secundum).

Flatuum eruptio crebra. (H.)

Vesperi, hora ante decubitum et inter quemvis mictum flatus urgent, abdomen magnopere distendunt et postea sine odore prorumpunt.

400. In abdomine vesperi pruritus pungens, post fricatum ardens, sine pustularum eruptione conspicua in cute. (H.)

Identidem dolor in glandula inguinali premens. (H.)

Punctus in inguine (et calcaneo) circa vesperam. (H.)

In glandula inguinali formicatio. (H.)

In inguinis regione et in testiculis dolor trahens. (H.)

405. G l a n d u l a   i n g u i n a l i s   t u m i d a, primum cum rubore ambiente, tum i n   i p s o   a p i c e   r u b r a   a t q u e   i n f l a m m a t a,   i n t e r   t a c t u m   e t   i t u m,   m a x i m e   c e l e r i o r e m,   d o l o r o s a; stare et ire impediens, decumbere cogens. (H.)

In sinistro inguine tubera parvula et inter mictum ardor.

In inguine dextro dolor pressim terebrans, inter decubitum et itum (post horam duodecimam).

In sinistro inguine dolor premens et punctus vehementes, inspiratione adgravati.

In inguinis dextri regione punctus magni, vehementes, tanquam a cultro, ut omni vice terrore succutiatur.

410. Constipatio alvi dierum plurium, cum febre gravedinosa, animi demissione hypochondriaca et nausea ciborum omnium ac potulentorum praeter cerevisiam. (H.)

Nisus in alvum exonerandam irritus et eruptio varicum haemorrhoidalium, quae ut a vulnere dolent. (H.)

Nisus alvum deponendi anxius, ante et inter eum omni vice nausea vomituriens insignis et in temporibus pressio. (H.)

Sudor anxius, frigidus faciei cum aegrotatione summa per quadrantem horae; postea sedes diarrhoica. (H.)

Ante sedem diarrhoicam nisus, anxietas et totius corporis tremor, — post sedem ructus amari, cum rasionis sensu, et sodae aliquantum. (H.)

415. Cacaturitio summa, subitanea. (H.)

Sedes frustulis parvis, excrementorum ovilium instar, consistens. (H.)

Egestio excrementorum tenacium. (H.)

Sedes odoris acidi. (H.)

Ante sedes singulas frigus; — ante alvum exoneratam horror. (H.)

420. Ante sedem diarrhoicam frigus et pressio in anum versus et inter frigus calor volaticus. (H.)

Ab una inde sede diarrhoica ad alteram usque frigus; inter alvum ipsam deponendam calor corpus, maxime faciem percurrens. (H.)

Post sedem, cum torminibus crebris conjunctam, languor summus. (H.)

Inter sedes diarrhoicas nausea vomituriens et ructus multi. (H.)

Cum torminibus disscindentibus et tenesmo egestiones parvae muci sanguinolenti. (H.)

425. S e d e s s a n g u i n o l e n t a e c u m s e n s u a c r i t u d i n i s d o l o r o s o i n a n o. (H.)

Post pressionem in abdomine, quasi a globo, dejectio pituitae fusco-viridis. (H.)

Sedes fusco-virides, biliosae, spumeae. (H.)

S e d e s v i r i d e s, p i t u i t o s a e, a c r e s, a n u m e r o d e n t e s. (H.)

Diarrhoea pituitae viridis cum ardore in ano et prolapsu ani. (H.)

430. Dejectio excrementorum mollium subfuscorum, levium, in summo aquae natantium; inter alvum deponendam in ano dolor mordax. (H.)

Diarrhoea cum dolore disscindente et pressione in intestino recto. (H.)

In ano sponte et inter diarrhoeam parvam, quasi ab incendio, ardor; inter sedes molles in ano dolor ardens, idemque post sedem quamvis. (H.)

Cacaturitio crebra, post quam nisu magno et intervallis longis excrementorum durorum, crassorum parvum decedit.

Cacaturitio, omni momento iterata, cum impetu versus rectum urgente irrito; — alvum deponendi nisus continuus, cum sede semper minima inter tormina uti forcipe prementia.

435. Sedes non nisi diebus ternis iterata.

Excrementa solidissima, inter dolores ani immanes et non nisi post longum temporis spatium decedentia.

Dejectio excrementorum durorum parva, sine pressione.

Plures per diem sedes, parvae tamen, anum erodentes, cum dolore ardente et mordace.

Egestio excrementorum, pituita et sanguine tinctorum, non tamen durorum.

440. Sedes pultacea cum pituita.

Sedes coloris sulphurei.

Sedes flavida, diarrhoica, bis per diem iterata, sine dolore, per plures dies.

Sedes exalbido-cana.

Sedes pituitosa cum fecum parva copia, quater vel quinquies per diem iterata.

445. Sedes non nisi nocturna.

Saepius ad alvum deponendam celerrime recingere se debet; aliter excrementa ei, quamvis pultacea tantum, nolenti excidunt.

Diarrhoea vespertina, nocturna.

Diarrhoea excrementorum sanguine notatorum.

Diarrhoea cum sanguinis copia per plures dies; postea sedes dura cum sanguine.

450. Diarrhoea viridis cum torminibus vehementer comprimentibus et disscindentibus.

Inter mictum e recto haemorrhagia.

Post excrementorum egestionem sanguis secedit.

In ano, quasi a diarrhoea, compressio, cum flatuum eruptione crebra.

In ano punctus acuti, concutientes.

455. Varix anum obsidet, inter alvum deponendam et inter tactum pungentis doloris. (H.)

In ano, ut ab ascaridibus, pruritus. (H.)

Ascarides cum formicatione e recto prorumpunt (post dimidiam horam).

Lumbricorum plurium magnorum eruptio.

Micturitio continua, circiter decima quavis minuta; sed urinae parum emittitur. (H.)

460. Post mictum pressio. (H.)

Inter mictum sensus deliquescentiae nauseosae levis. (H.)

Inter mictionem primo ardens, tum mordax dólor. (H.)

In pudendis pressio, postea urinae copiosus effluxus. (H.)

Festinandus est mictus, cum alias urinam continere nequeat. (H.)

465. Urinae profluvium copiosum, etiam noctu subinde iteratum. (H.)

Urina cum nubeculis floccidis, albis. (H.)

Urina jam inter mictum turbidissima, cum sedimento. (H.)

Urina quasi cum farina mixta, sedimenti spissi. (H.)

Liquoris aliquid ex ostio urethrae exit. (H.)

470. Pituita obdurata, carnis instar, frustillatim cum urina secedit. (H.)

Post mictum, fibrarum atque floccorum albidorum frusta excernuntur, sine dolore. (H.)

Urinae primum clarae, postea albae, quasi cum creta mixtae, excretio; paulo post vel solo penis attactu, urethrae dolor ardens. (H.)

Urinae odor acidus. (H.)

Urina rubida, postea crassa; inter mictum dolor disscindens. (H.)

475. Urinae, quasi cum sanguine mixtae, parum decedit. (H.)

Urina rara, ignei coloris. (H.)

Micturitio continua, inanis.

Urinae radius valde exilis.

Urinae rubrae ac fuscae copia.

480. U r i n a e m u l t o m a j o r c o p i a, q u a m p o t u s f u e r a t.

Mictus nimis creber cum dolore ardenter mordace.

Inter mingendi molimen urinae incontinentia.

Urina acris.

Inter mictum ardor.

485. Ex urethra haemorrhagia.

In urethra dolor magis pulsans quam pungens. (H.)

In anteriore urethrae parte punctus extra mictum. (H.)

In urethra ad abdomen versus punctus, circa vesperam. (H.)

Punctus obtusus iteratus in urethra. (H.)

490. Extra mictionem in urethra dolor tractim pungens. (H.)

Vesperi circa glandem penis ardor, tum in superficie praeputii interna vesiculae, in ulcuscula degenerantes (quae sponte cito sanantur). (H.)

In penis glande pruritus. (H.)

In penis glande punctio pruriens inter pressionem externam, etiam post mictum. (H.)

Formicatio in glandis frenulo et in scroto. (H.)

495. Praeputii tumor et in superficie ejus interna rubor inflammatorius atque dolorosa sensibilitas. (H.)

In scroto punctus vehementiores. (H.)
Inter eundum genitales, et quae circum sunt, partes magnopere sudant. (H.)
Intra pudenda et femora intertrigo. (H.)
In pubis ossibus super penem pruritus (post horam secundam).

500. Penis narcosis, per horae quadrantem.
In urethra tota inter mictum, maxime sub finem ejus, ad guttam ultimam usque dolor disscindens et mordax; simul non satis celeriter ad mingendum recingere se potest, quum plerumque sibi urinae aliquid antea erumpat.
In penis glandis parte anteriore et latere vesiculae, imum et ambitum ejusdem erodentes; — vesiculae plures parvae, albae, serum etiam fundentes, sed mox evanidae.
In penis glande pruritus formicans.
Partis urethrae anterioris tumor cum suppuratione intra glandem ac praeputium, rubore et calore externo, magnoque inter tactum et incessum dolore; simul in fronte dolor vehemens et exanthema asperum, scabiosum in manibus, maxime ubi pollex inhaeret, latere superiore, noctu valde pruriens.

505. In anteriore glandis parte dolor lancinatim pungens, per totum penem ad anum usque, interdum ad inguina etiam tendens.
Praeputii inflammatio cum dolore ardente; ejusdem tumor, quasi aëre vel aqua ad instar vesicae distentum esset.
In penis praeputio et externus et internus pruritus suavissimus, scalpere cogens.
Praeputii tumor cum dolore ardenti, mordaci et rubore; in interiore ejus facie fissurae et rhagades, in exteriore vero exanthema rubrum, subtile.
Vesiculae plures, parvae, rubrae in glandis fine, sub praeputio, quae diebus quatuor post ruptae in ulcuscula degenerant materiemque ex albo flavidam, indusium inficientem et insigniter olentem fundunt; ulcuscula majora sanguinem

postea exsudant cum dolore inter tactum corpus totum lacessente; rotunda sunt, margines eorum carni crudae similes et replicati, fundus materie caseosa obductus.

510. In praeputii frenulo pruritus pungens.
In penis glandis apice pruritus titillans, suavis, ad scalpendum excitans (post horam nonam).
Dolor pressim trahens, magis tamen trahens, quam premens, in testiculis. (H.)
Dolor trahens in testiculis et inguinis regione, — idem per singulos ictus in funiculo spermatico. (H.)
Frigiditatis in testiculis sensus, post meridiem et vesperi, per dies quatuordecim.

515. Ante flatuum eruptionem testiculus tumidus sensibilis est, nec tamen dolorosus.
In testiculo dextro pruritus.
Dolor spasmodice lancinans, intra testiculos incipiens, tum in penem penetrans et in ulceribus pruritum insignem excitans.
Pollutio inter meridiationem; postea in urethrae ostio inter mictum dolor ardens. (H.)
Pollutio nocturna, cum sanguine mixta. (H.)

520. A pollutione nocturna mane post surrectionem corporis totius frigiditas, sine languore. (H.)
Pollutio sine somniis lascivis.
Tentigines incompletae cum dolore tensivo in regione pubis, a flatuum copia oriundae, uti ei videbatur.
In perinaeo punctus terebrans inter itum ac sessum.
Dolor mordax in urethra feminea inter mictum.

525. Blennorrhoea balani. (H.)
Urethrae blennorrhoea subviridis, indolorifica, maxime noctu. (H.)
In coitu conceptio facillima, certa.
In vulvae labiis pruritus, — pustulae. (H.)
Paulo ante menstruationem in vulvae labiis pruritus diuturnus. (H.)

530. Uteri vaginae tumor inflammatorius internus, cum sensu quasi crudi vulneris. (H.)

Prolapsus insignis vaginae uteri.

In vulvae labiis tubercula.

Diebus sex post menstruationem denuo sanguis exit.

Inter menstrua anxietas, ut, quo se vertat, nesciat. (H.)

535. M e n s t r u a n i m i s c o p i o s a, cum torminibus conjuncta.

In anu, cujus menstruatio ante annos undecim jam desierat, metrorrhagia.

Haemorrhagia uteri per tres hebdomades.

Menstrua suppressa.

Fluor albus cum sensu mordaci, etiam exedenti. (H.)

540. Leucorrhoea purulenta. (H.)

Leucorrhoea mitis.

Fluor albus, maxime ab hora octava vespertina ad decimam usque, coloris subviridis, in anteriore pudendorum parte dolorem mordacem gignens et inde vesperi maxime et noctu crebro scalpere cogens, post scalpturiginem vero dolorem vehementer ardentem excitans.

Floccorum pituitae atque puris, nucum avellanarum magnitudine, ex uteri vagina decessus.

Sternutatio creberrima, maximé mane, — vehementissima (statim). (H.)

545. S t e r n u t a t i o c r e b r a s i n e d e s t i l l a t i o n e.

Sternutatio per tres dies fere continua, tum tumor insignis palpebrae inferioris sinistrae, maxime ad canthum externum versus, cum dolore ardenti et lacrymis, per dies quinque.

Odoris e naribus putridi species, ut a coryza vehementiori.

Coryza cum sternutatione crebra.

Per diem integrum copiosum narium stillicidium, sine coryza.

550. Puris acris, caseum putridum olentis, e naribus effluvium.

Tussis brevis, sicca, lacessens, ad quam irritatio titillans sub superiore pectoris parte, maxime inter loquelam, oritur et loqui paene impedit. (*H.*)

Per noctes quasdam tussis valida inter vigiliam et somnum, surrectionem tamen non poscens, ad quam irritatio ab imo, quasi e ventriculo, ad summum proficiscitur. (*H.*)

Tussis accessus altera quaque vespera vehementissimae, concutientes, dum somnum capturus est, quasi pectus dirumperetur atque caput, per semihoram; post tussim summa pandiculatio. (*H.*)

Rauca tussis et aspera. (*H.*)

555. Inter tussiendum, quasi spiritus supprimeretur, sensus. (*H.*)

Inter tussim vomituritio.

Tussis cum expectoratione

Tussis cum sono ac sensu, quasi in pectore sicca omnia sint, inter dolorem pectoris ossisque sacri.

Haemoptysis.

560. Expectoratio sanguinea inter itum in aëre libero et inter laborem.

Sanguinis libra una plus per horas tres (ante meridiem) inter decubitum tussi ejectum.

Respiratio cita, quasi angusta. (*H.*)

Inter scalarum adscensum respiratio cita, — etiam inter eundum, quasi spiritu satis aëris ducere nequiret. (*H.*)

Sub sterno angor, spiritum alte ducere cogens.

565. Circa sternum angustatio. (*H.*)

Respiratio difficilis, quasi intercepta sit, mane.

Pectoris, ut ab oppletione, dolor.

Vesperi: dum in latere sinistro decumbit, respiratio angusta, alte spiritum ducere cogens, una cum dolore intolerabili in sinistra inguinis regione.

Post pastum spiritus angustior.

570. In sterni latere dolor premens, dorsum pervadens, vel inter quietem, maxime tamen inter itum vesperi; postea locus quasi a contusione dolet. (*H.*)

Inter pronationem pectoris dolor, punctus singuli. (*H.*)

Extra respirationem, nonnisi inter sternutationem ac tussim, punctus in anteriori et superiori pectoris parte ad dorsum usque permicans, simul cum pectoris angustia. (*H.*)

Punctus singuli acutiores (unusquisque per minutas quinque durans) in pectore, in genu, osse jugali et olecrano, magis ante meridiem et inter itum. (*H.*)

Inter respirationem in superiori et anteriori pectoris parte ad dorsum usque permicantes punctus una cum pectoris angustia. (*H.*)

575. In sinistra pectoris parte, extra respirationem et inter eam, punctus vehementes quinque vel sex. (*H.*)

Inter inspirationem, dum in aëre libero it, in costa lateris dextri ultima et in regione inguinali punctio cum spiritus angustia. (*H.*)

In pectore, quasi a vulnere, dolor. (*H.*)

Ardoris sensus in pectore ad gulam sursum; in latere sinistro, ubi costae finiuntur, ardor.

In pectoris parte sinistra pressio, respirationem altam impediens.

580. In pectoris cavo dextro dolor premens, inter supprimendum halitum, dum nec inspiratur, nec exspiratur, inter respirationem evanidus.

In latere sinistro, paulo infra costas, sensus quidam coarctans et tensivus, parum quidem dolorosus, vitae tamen periculum minitans; respiratio valde intercepta; veretur ne minimum motum v. c. brachii faciendo, vel unica voce emittenda animam statim efflet (post horam primam).

In pectoris parte dextra inter sternutationem et tussim punctus.

In dextro pectoris cavo punctus obtusi per minu-

tas aliquot, nonnisi inter exspirationem, decubitum et pronationem.

Inter inspirationem quamvis in latere sinistro sub costis brevibus, quasi a cultro, punctus.

585. Sinistrum pectoris latus tactu, ut a contusione, dolet.

Ut ab ictu in superiore pectoris parte dolor vespertinus.

In latere sinistro sub costis ultimis, ut a tumore, sensus dolorificus.

Mammae femineae, papillae inprimis, praeter naturam tumidae et papillae duriores.

In mammis subinde dolor, quasi ab apostemate intus nascituro.

590. Post pastum infra mammas dolor, ictibus alternis corripiens.

In musculis pectoralibus, juxta axillam sinistram, lancinatio horribilis.

(Inter sessum) circa anteriorem pectoris partem dolor tensivus, respirationem impediens (per plures dies).

Supra anteriorem pectoris partem, ut a contusione, dolor; nescit, quomodo, ut dolorem tollat, sedendum sibi sit aut decumbendum.

In osse sacro atque dorso, quasi a contusione, dolor. (*H.*)

595. In osse sacro dolor, tanquam a decubitu in lecto duriore. (*H.*)

Ossis sacri dolor, sessu diminutus. (*H.*)

In osse sacro dolor corripiens, maxime inter statum, itu levatus. (*H.*)

Exanthema ad variolarum instar paulo supra anum, cum dolore premente, inter sessum maxime.

In osse coccygis dolor lancinans, dum os versus abdomen premitur, levatus.

600. In osse sacro, ut a verberatione, dolor, maxime inter sessum (per plures dies).

In osse sacro inter itum pruritus pungens.

In osse sacro punctio, dum consueto more respiratur (post horam primam).

In osse sacro et in cruribus a tactu dolor pungens; os sacrum et crura a genibus ad pedum plantas usque omni vi carere videntur atque stabilitate.

Intra scapulas ardor per tergum deorsum. (*H.*)

605. In scapulis lancinatio. (*H.*)

In scapula pulsatio haud dolorifica, in vibramen finiens. (*H.*)

Infra scapulas dolor coarctans inter motum, post mediam noctem in lecto. (*H.*)

Punctus acuti in spina dorsi, intra scapulas.

Punctus in musculis dorsi inter eundum.

610. Dolor dorsi mordax, inter sessum maxime.

In dorso pruritus, vesperi in lecto.

In sinistro dorsi latere pruritus titillans, scalpere cogens.

In toto dorso caloris sensus ardens.

Ut a pronatione diuturna, in sinistro dorsi latere contusionis dolor inter motum, maxime in aëre libero, per plures dies.

615. Intra scapulas, ubi collum incipit, inter capitis versationem et dum (inter decubitum) corpus reliquum vertitur, dolor vehemens, tollendo aliquid ita adgravescens, ut dentes comprimere cogatur.

In scapula sinistra dolor, ut a contusione, cum punctione et tensione, capite retorto ita exacerbatus, ut ejulet et vociferetur (mane statim post experrectionem).

Tubercula tumoresque parvuli exulcerati in scapulis atque abdomine.

In nucha rheumaticus dolor, pressionis instar, adeo inter quietem, maxime capite resupino. (*H.*)

In nucha rigiditas et inter motum punctio.

620. Collum tumidum et ita rigidum, ut nonnisi aegre id vertere possit; — colli rigiditas dolorosa, caput versare impediens, cum gravitatis sensu.

In humeri dextri apice ad nucham usque dolor ardens (inter sessum).

Punctus horribiles in humeri articulatione, vesperi. (*H.*)
Concrepatio humeri et cubiti articulorum. (*H.*)
Dolor magis vulsorius, quam tundens, in humeri capite, quovis horae quadrante. (*H.*)

625. In humeri dextri capite, humeri ossium tubis et manus articulo (in genu et femoris junctura et in femoris ossium tubis) lancinatio. (*H.*)
In humeri capitibus dolor quasi deprimens. (*H.*)
Humerus sinister aliquanto altior dextro fit (licet ad latera ambitu ejus nequaquam aucto) cum dolore maxime inter motum, quo e somno adeo expergefit.
Axilla simul cum humero stupore quasi affecta, mane in lecto.
In humeri ossibus dolor contundens. (*H.*)

630. Brachium uno loco diu jacere nequit ob orientem inde lassitudinis dolorem intolerabilem; modo extendi, modo incurvari debet, inter extensionem tamen melius se habet. (*H.*)
Dolor vulsorie-lancinans in utroque brachio superiore; postea etiam musculi ejus a tactu dolent. (*H.*)
In brachiis ambobus ardor, ut e manibus omnia excidant et brachia delabantur.
Brachii dextri atque manus narcosis, motu diminuta.
Brachii dextri concussio et convulsio, per noctem integram.

635. Brachium sinistrum inter tollendum grave videtur et quasi a contusione dolet.
Punctus singuli acutiores (quinarum sexagesimarum unusquisque) in olecrano (etiam in osse jugali, pectore et in condylo tibiae externo), magis ante meridiem et inter itum. (*H.*)
In cubiti articulo punctus lancinans, tardus. (*H.*)
In brachii anterioris ossibus (et tibiae ossium tubis), quasi a lassitudine, dolor sponte nascens, sed desinens a tactu. (*H.*)
In brachio anteriori eruptio miliaris pruriens. (*H.*)

640. In brachio sinistro, maxime in cubito, eruptio tuberculorum parvorum, rubrorum, non inflammatorum, quorum apices, postea squamulis albis tecti, pruriunt, post scalptum doloris ardentis.

Tumor insignis, ruber, calidus cubiti sinistri in manum usque penetrans, cum summe ardenti et lancinanti, simulque formicanti dolore (post horam sextam).

In cubiti articulis ardor.

In cubito sinistro pruritus, in utrovis punctio.

In brachio anteriori dextro herpes rotundus cum deglubitione et pruritu suavissimo, per dies octodecim (post horam sextam).

645. Maculae magnae, rubrae, rotundae, pollicem diametro continentes, squameae, doloris ardentis, in brachio anteriore atque manus carpo.

Pulsationis non dolorificae accessus in manuum articulis. (*H.*)

In manus dorso tuberculum rubrum, inter ortum cum sensu ardente. (*H.*)

Digitorum et manus constrictio crampoides, qua incurvantur. (*H.*)

Digitorum ac manus crampus dolorosus, primum extensorius, ut non nisi aegre flecti possint, post flexionem vero crampus, quo digiti paene incurvantur. (*H.*)

650. In manuum carpi latere interiori vesiculae, humore aqueo repletae.

Manus dextrae articuli rigiditas dolorosa.

Manus sinistrae articuli debilitas paralytica cum concrepatione atque punctione.

Manus sinistrae junctura tumida; a tactu graviore atque motu dolet.

In manibus rhagades altae, quasi ab incisura (manus fissiles).

655. Manus sinistrae tumor insignis atque tensio.

In manibus dolor trahens cum frigiditate digitorum.

Inter motum manuum, in sinistra manu, maxime in digitis, dolor insignis crampoides.

Manus dorsi deglubitio.
Vesperi in lecto, in manuum dorso pruritus exedens, scalpendo evanidus, mox vero rediens.

660. In manus sinistrae vola titillatio summa, scalpere cogens (post horam sextam).
Sub pollicis ungue inter scribendum dolor ardenter-vulsorius. (*H.*)
In tendinibus digitorum pedis, nec non in tendine Achillis vulsio conspicua vesperi, cum horroribus summis, alte succutientibus. (*H.*)
Manus utriusque digitorum incurvatio spasmodica, pollicis praesertim, ut in epilepsia.
Digitorum narcosis.

665. Rhagades digitorum profundae, in fundo vulneris habitum prae se gerentes, sanguinolentae; — ut ab incisura, rhagas alta intra pollicem digitumque indicem, sanguinea et dolorosa.
Digitorum maxime in latere interiori, quasi ab incisione, fissurae profundae.
In digitorum articulis vellera parvula, aliquantum exulcerata.
Mane digitorum narcosis, tum in iis sensus vibrans, postea ad brachii anterioris dimidium usque lancinatio.
In digitorum malleolis posterioribus tumor.

670. In digitorum phalangibus hinc inde lancinatio.
(Tempore pomeridiano) pollicis sinistri ad digitum indicem usque attractio (inter situm horizontalem manus hominis sedentis); pollex et digitus index per minutas plures, quasi spasmo vehementiori, arcte cohaerent, inter punctionem in illo; tum a digito indice pollex sponte recedit; quamvis antea summa vi adhibita sejungi non potuerit.
In manus dextrae pila deorsum, infra digitum minimum, lateris exterioris, dolor fodiens, inter quietem maxime adgravatus.
Ungues decorticando, desquamando decidui.
In ossis ilei sinistri spina anteriori, inferiori punctus acuti, dolorosi, ad rhythmum.

675. Pustula rubra cum apice albido in nate, pungentis doloris. (*H.*)
In musculis glutaeis lateris dextri dolor terebrans (inter sessum).
In natibus ardor.
In ossis femoris capite, in genu et femoris ossis tubo (in humeri dextri capite, manus junctura et ossis humeri tubo) lancinans dolor. (*H.*)
Intra femora et pudenda intertrigo. (*H.*)

680. Femoris dextri, quasi a verberatione, dolor, inter tactum atque itum maxime adgravatus. (*H.*)
Vesperi, post calorem capitis et pedum dorsi, in utroque femore eruptio pustulosa pruriens, a scalpendo serum ardens exsudans, quasi vulneri spiritus frumenti ingereretur; post pruritum, circa mediam noctem, abdominis et femorum sudor; sine siti omnia. (*H.*)
In femorum cute punctio cum pruritu, post mediam noctem, hora tertia, e somno expergens. (*H.*)
In femoribus et cruribus inter motum punctus. (*H.*)
In femoris parte inferiori paulo super poplitem crampus. (*H.*)

685. Inter ambulandum super genu lassitudo summa. (*H.*)
In femoribus per crura deorsum trahens dolor. (*H.*)
In femoris dextri capite punctio inter itum.
Pruritus, inter scalpendum suavior, in femoris latere interiori cum tuberculorum parvorum eruptione.
Utriusque femoris frigiditas.

690. In tendinibus femoris sinistri, ad latus exterius, prope a genu, dolor crampoides (inter sessum).
Dolor lancinans, punctioni similis, in musculis femoris dextri, quovis situ.
In femore dextro dolor tensivus (inter sessum).
Inter soporem nocturnum sine somno: dolor vehementer tensivus in posteriori femoris sinistri

parte, in nate ad poplitem usque (ubi natis a femore sinu sejugatur, maxime adgravatus); nonnisi decumbendo in dorso, femore simul strato quodam suffulto, levatus; inter sessum adgravatus; periodice exacerbans.

Exanthema pruriens in femoribus, maxime in superficie interna.

695. Tuberculorum parvorum eruptio in femorum latere interiori.

In femoris parte posteriori herpes cum deglubitione inter scalpendum, quavis scalpturigine dolens, per dies triginta (post hebdomadem quintam).

In superiori parte femoris sinistri tuber, incessu et tactu dolens.

Ulcuscula exedenter-prurientia in femoris dextri latere externo, scalpere cogentia.

Utriusque femoris et cruris tumor nitidus, pellucidus.

700. In extremitatibus inferioribus pruritus, vesperi. (*H.*)

In genu dextro, inter sessum et itum, punctus lancinans, tardus. (*H.*)

In genuum articulis pulsationis non dolorificae accessus. (*H.*)

In genubus pedumque juncturis debilitas, maxime inter statum, quasi tendines vi et firmitate omnino carerent. (*H.*)

Poples quasi nimis curtus esse sentitur. (*H.*)

705. Inter eundum in aëre libero in genu articulatione punctio. (*H.*)

Geniculatio involuntaria.

Utrumque genu nimis amplum et crassum ei videtur, cum vulsionis in illo sensu, per horas triginta sex.

Genuum articuli inter decubitum, quasi a diffractione, dolent.

Inter statum punctio in crure crebra, quasi nimis curtum esset. (*H.*)

710. Crus inter eundum quasi rigidum. (*H.*)

In cruribus dolor trahens. (*H.*)

Crurum narcosis paralytica, crebra. (*H.*)
Punctus singuli, acutiores, minutarum quinque quivis, in genu convexitate (non in articulo), etiam in osse zygomatico, in pectore et olecrano; magis ante meridiem et inter eundum. (*H.*)
In cruribus lassitudo cum inquietudine, vesperi. (*H.*)

715. In tibia dolor terebrans et trahens. (*H.*)
In tibiae ossibus (et ossibus brachii anterioris) dolor, qnasi a lassitudine, sua sponte nascens, inter tactum nullus. (*H.*)
Crura sponte promoventur; — in cruribus vulsiones spontaneae.
Crura ob gravitatis in iis sensum movere vix potest.
Crurum languor, eundi difficultas, ab inferiori pedum parte, circa malleolos, profecta.

720. Inter eundum tremor crurum subtilis, inprimis circum genua et in inguinis regione vehementior.
Crura per noctem integram spasmodice sursum tracta extendere nequit.
Cruris et pedis utriusque tumor aqueus.
Vellera multa exulcerata, a pustulis parvis, valde prurientibus, oriunda, in crure sinistro, per dies octo vel decem; iisdem consanescentibus cutis circumcirca decidit.
Rigiditatis sensus in crure sinistro ad poplitem usque.

725. In cruribus pruritus.
In tibia dextra locus prominens, durus, faciei rubrae ac nitidae, doloris tensivi.
Inter eundum in aëre libero in sura pungens dolor. (*H.*)
Sura spasmodice constringitur et constringendo magna quasi tubera ibi oriuntur. (*H.*)
Incrementum surae utriusvis immensum.

730. In suris striae oblongae formantur.
In sura dextra crampus dolorosus.

Inter eundum Achillis tendo dolet. (*H.*)
In tendine Achillis et pedis digitorum tendinibus, vesperi, vulsio conspicua, cum horroribus summis, alte succutientibus. (*H.*)
A malleolo pedis externo in poplitem usque punctus. (*H.*)
735. In pedum malleolis ad pedum dorsum usque lancinatio, cum tumore circumcirca. (*H.*)
Infra pedis malleolum externum in pedis junctura dolor lente trahens, etiam plantae pedis cavum petens; ab initio dolori pungenti et corripienti fere similis. (*H.*)
Infra pedum malleolos et in pedis articulo inter eundum dolor vehementer premens, consistere cogens.
Pedes frigidi, vesperi post decubitum, in lecto. (*H.*)
Versus mane: pedum sudor frigidus. (*H.*)
740. In calcaneo et inguine punctus, vesperi. (*H.*)
Pedis dextri juncturae tumor insignis cum dolore pungente, maxime inter eundum et vesperi.
Pedum dorsi tumor.
In pedum plantis sensus, quasi in aquam frigidam immersae essent, una cum ardoris in iis sensu.
Inter statum: in dextri pedis planta dolor fodiens.
745. Inter sessum: in calcaneo sinistro, ut a distortione, dolor lancinans.
Dolor lancinatim trahens a calcaneo ad nates usque, in posteriori tantum parte, noctu vehementior fere, quam interdiu; eundi difficultas ob geniculationem crurumque contractionem.
Insignis ~~calcanei~~ tumor, digitis pedum insistere vix permittens, cum dolore pedis totius vehementer ardente atque mordace; adeo in lecto tantus dolor, ut surgere oporteat.
Pedis digitorum constrictio crampoides, noctu. (*H.*)
A pedis pollice super genu usque lancinatio, per accessus. (*H.*)
750. Tumor omnium pedis digitorum; — tumor nunc oriens, nunc evanescens, digitorum pedis trium, qui noctu dolent.

In tertii pedis digiti apice dolor terebrans, inter quietem ac motum.

Infra pedis sinistri pollicem dolor ardens (inter quietem) (post horam vicesimam quintam).

Intra pedis digitos pruritus, maxime pomeridiano tempore ac vespertino.

Manuum pedumque digitorum ungues erosi cum pruritu.

755. Icterus cum pruritu mordaci super abdomen. (*H.*)

Herpetes, tactu ardentes. (*H.*)

Urticalium tuberculorum eruptio, biduo post in maculas rubras degenerantium. (*H.*)

Macularum rubrarum, prominentium, eruptio, doloris pruritim-lancinantis. (*H.*)

Exanthema pruriens, scabiei instar, in abdomine et femoribus.

760. In cruribus, pudendis, poplitibus, in collo et abdomine exanthema, quasi ab intertrigine, rubrum, serum exsudans, pruriens, aliquantum prominens pluribusque locis scabiei pinguis ad instar.

Stigmata parvula, rotunda, paulatim in maculas rotundas, exulceratas degenerantia, postremo crustosa, maxime in femoribus et cruribus.

Tuberculorum minutissimorum, humorem aqueum continentium et pellucidorum, in variis corporis locis eruptio, mane ante diluculum.

Herpes aridus, prominens, ardenter-pruriens, in corpore toto, maxime in cruribus, brachiis, manibus earumque juncturis, adeo intra digitos.

A parvis et valde prurientibus pustulis oriunda ulcuscula, diametro lineas tres continentia, quae post dies octo vel quatuordecim sanescunt, desquamatione circumcirca subsequa.

765. Pruritus, scalpendo suavior factus.

In articulis, ut a scabie, pruritus interdiu et noctu, vesperi adgravatus, exanthemate non apparente.

In toto corpore pruritus immanis, crebro scalpere

cogens, noctu praesertim; interim faciei rubor summus et calor.

In extremitatibus superioribus atque inferioribus pustulae prurientes, pus colligentes.

Ulcus (jam antea ortum) sanguifluum. (*H.*)

770. Aëris vespertini aversatio. (*H.*)

Inter eundum in aëre libero frigescentia. (*H.*)

Ab ambulando in aëre libero statim frontis sudor; — inter eundum semper lenis sudor, interdum vero insignis; sudor a quovis motu. (*H.*)

A potu calido statim sudor. (*H.*)

Artuum omnium, quasi a distortione, dolor, magis inter sessum. (*H.*)

775. Articulorum quasi arthriticus dolor, cum tumore. (*H.*)

Ad vesperam inquietudo, ut requiescere nuspiam queat; ne per duas quidem minutas sedere ei licet; nec decumbere potest, ob oriundam inde in cruribus vulsionem et gravitatem; noctu vulsionibus (etiam ipsius capitis) succutitur et brachia in somno jactat. (*H.*)

Dolor articulorum fere indesinens, e distortione, compressione et confractione quasi compositus, nullo loco requiescere sinens, sed inter sessum et decubitum membra motitare et ultro citroque vertere cogens. (*H.*)

Partium plurium inter motum crampus. (*H.*)

Mane deliquescentia, crurum gravitas, languor et dormituritio. (*H.*)

780. In juncturis pulsationis haud dolorificae accessus. (*H.*)

Dolor lancinans in manibus, in dorso et pectoris latere, cum cephalaea interna. (*H.*)

Omnium membrorum dolor trahens et lancinans, — trahens noctu maxime. (*H.*)

In artubus quasi a contusione sensus; in femorum musculis languor. (*H.*)

Partis affectae dolor vulsorius. (*H.*)

785. In variis corporis partibus lancinatio.

Dolor lancinans hic illic in artubus, magis in musculis, pressione externa valde auctus; — in membris hinc inde vulsio et lancinatio.

Vulsio artuum spontanea.

Femorum tremor et gravitas, cum insigni corporis totius ac faciei sudore, ante meridiem decumbere cogens.

Oscitatio crebra; ossis sacri per horae quadrantem dolor; tum extremitatum inferiorum ac superiorum extensio rigida, pollicibus intra pugnum impressis, languore subsequo.

790. Pallor et frigiditas cum gravitate, inertia atque dormituritione.

Ab exhalatione insensibili croceum colorem indusia accipiunt, quem nulla lavatio delere potest.

Locus tumidus, in quo nulla exsudatione seri antecedente, crusta plana, cani coloris, oritur, quo facto tumor cedit ac dolor.

Capitis, brachii et femoris utriusque inter decubitum narcosis.

Simulatque consedit, omnium partium, femorum et crurum, brachiorum superiorum et anteriorum, manuumque, immo — quamvis minori gradu — abdominis, dorsi ac pectoris stupor, ita, ut omnino nihil fere in corpore sentiat omnesque partes narcosi atque torpore affectae videantur; inter motum membri formicatio in eo, qualis a narcosi solet oriri.

795. Omnium artuum torpor, ut ne paululum quidem per totas horas ab ipso moveri possint, quamquam ab alio facile moveantur.

Utraque manu tempora fricans et genas, syncope afficitur.

Ossa dolent omnia inter sessum, decubitum, incessum et statum.

Symptomata vespere ingravescere solent.

Symptomata sinistrum corporis latus crebrius occupare solent (ut in lue venerea).

800. Melius se habet incessu, quam decubitu vel sessu.

Sic dictis hydropicis mox oedema evanuit, et crurum ulcera foetida, celeriter putrescentia pro eo orta sunt.
Tegmenta omnia nimis gravia ei videntur, tum vestes, tum lecti stragula.
Lassitudo cum dolore femoris utriusque lancinantim-trahente, post noctem mediam in lecto; post surrectionem e lecto, inter insistendum, inde ab inguinis regione ad genu usque dolor, quasi de femoris parte anteriori musculi contundendo avulsi essent.
Lassitudo summa. (*H.*)

805. Languor summus, quovis die, hora quinta vel sexta pomeridiana rediens. (*H.*)
A motu parvo languor ingens. (*H.*)
Languor cum moerore. (*H.*)
Languor maxime inter sessum, quasi membra omnia decidua essent, — languor ingens vesperi. (*H.*)
Inter sessum nullus, sed ab itu minimo summus languor cum insigni femorum et pedum dolore, quasi ab itinere longo. (*H.*)

810. Mane sine languore; ab ambulatione tamen minima afficitur. (*H.*)
Post sedem, cum torminibus multis conjunctam, languor insignis. (*H.*)
Inertia cum sensu, quasi plumbum venis insit, magis inter sessum. (*H.*)
Debilitas inter eundum minor, quam inter statum. (*H.*)
Languor immanis cum geniculatione.

815. Lipothymia quaedam cum mente tamen constante, inter decubitum maxime; interim aperto ore spiritus captatio cum inertia et languore omnium artuum.
Syncope brevis, in somnum quinque minutarum transiens; ante syncopen dulcoris in pectore adscendentis sensus.
Lipothymia inter pulsum satis bonum, per horas decem.

Adeo inter statum somno invincibili occupatur. (*H.*)

Primum dormituritio, dein agrypnia. (*H.*)

820. Sopor continuus sine somno satis profundo.

Somnus nocturnus ore aperto, sine rhoncho, cum agitatione crebra, quasi requiescere non posset (post horam vicesimam tertiam).

Insignis dormituritio diuturna.

Interdiu et noctu quovis momento somnum capit, neque rarius expergitur, ita ut juste nec dormiat, nec vigilet.

Somnus nimis et creber et profundus; interdiu et noctu protractus nimis somnus.

825. Nunquam somni satis capere potest; etiam circa horam tertiam pomeridianam oculis vi clausis, duas vel tres per horas, quamvis nolens, somno victa jacet.

Somnus nocturnus capitis obnubilationi tantum similis videtur; volutatio, quasi lecti stragula molesta sint, cum crebra experrectione. (*H.*)

In latere dextro decumbens dormire nequit ob intestinorum quasi a pressione dolorem. (*H.*)

Obdormiscendi impotentia cum agitatione sine cognita causa; mane lassitudo insignis, e lecto surgere impediens. (*H.*)

Simul ac lecto vesperi incumbit, dolor recrudescit et somnum pellit. (*H.*)

830. Dum somnum capturus est, dolore aucto expergitur. (*H.*)

Quavis nocte hora quarta expergiscitur cum mingendi molimine. (*H.*)

Noctu quovis horae quadrante experrectio sine somniis. (*H.*)

Noctu inter evigilationem crebram pandiculationes. (*H.*)

Summo mane expergiscitur, nec in somnum relabi potest, sine alia querela; — quavis nocte ab hora secunda ad quartam usque insomnis est. (*H.*)

835. Vesperi, non, nisi horis duabus praeterlapsis, som-

num capere potest; noctu sero tantum et aegre somno occupatur. (H.)

Ante noctem mediam somnum non capit et multo mane, tenebris nondum discussis, jam expergiscitur cum parvo sudore. (H.)

Agrypnia et vigilantia noctu ad horam tertiam usque et tum, antequam obdormiscit, sudor (ab hora secunda ad tertiam usque). (H.)

Inter infirmitatem summam et dormituritionem continuam somnum capere nequit. (H.)

In somno gemitus, ploratus, blateratio cum respiratione citissima et manuum frigiditate (post horam secundam). (H.)

840. Anxietas crebra sanguinisque ebullitio noctu cum punctione in venis. (H.)

Agrypnia cum inquietudine immensa, angore et aegro sensu communi. (H.)

Dormituritio a terroribus succutientibus, palpitatione cordis et phantasiis pavidis (v. g. quasi epilepsiae accessus instet) interrupta. (H.)

Somnus inquietus cum calore; semivigil fures irrumpentes audire sibi videtur. (H.)

Somno fere plane caret, obdormiscere metuens. (H.)

845. Somnus; sed inter evigilationem, quasi omnia in gyrum verterentur, in capite sensus; somnus ingratus magis, quam jucundus. (H.)

Ante mediam noctem, paulo postquam obdormivit, in somno angor, terrorem gignens succutientem et ad experrectionem usque durans. (H.)

Inter capiendum somnum, quasi a terrore magno, concussio, ex qua dolor dentes petit et punctus gravis genu permicat cum horripilatione. (H.)

Somnum altum capere post mediam noctem nequit, et noctu in crure sinistro vehementer tensivum sentit dolorem.

Interdiu somnus creber, noctu agrypnia.

850. Nonnisi circa mane dormire potest.

Noctu experrectio facillima.

Noctu evigilatio cum sudore tantum in cruribus, a genu ad pedem usque, non in femoribus et pedibus; denudatis pedibus sudor statim evanescit.

(Post horas duas) hora undecima e somno expergitur, quasi a terrore, et per minutas aliquot ejulat et lacrymat, antequam ad se rediens animi compos fiat.

Evigilatio crebra ut a strepitu.

855. Experrectio crebra e somno, quasi a vigilantia (post horam vicesimam secundam).

Experrectio crebra e somno, quasi somno jam satiatus esset, cum volutatione in lecto.

Terror succutiens creber, brachiis sursum jactis.

Delirium in somno crebrum.

Vigilans et somnians plurimam noctis partem degit. (H.)

860. Somnia grata post mediam noctem*). (H.)

Somniorum historicorum copia, noctu. (H.)

Somnia anxia cum cordis palpitatione, nec ex iis experrectio. (H.)

Somnia terrifica, pavida, noctu, quasi ab alto caderet; etiam de latronibus, de inundatione etc. (H.)

Vesperi somnum capere nequit ob imagines terribiles. (H.)

865. Somnia luculenta de rebus interdiu gerendis, quamvis pridem nihil omnino somniaverit.

Somnia anxia (v. c. de acu deglutita) cum experrectione incompleta; etiam de canis morsu, de tumultus machinatione, post mediam noctem.

De hominibus somniat, qui ante fenestram foris sint, et inde expergita, manet in opinione, illos adesse.

Somnia terribilia cum terrore succutiente; domi se esse, negans, in lecto erectus sedet et de pago procul sito loquitur.

---

*) Effectus fortasse saluber post statum contrarium, qui antecesserat.

Somnia luculenta, quae tamen in memoriam non redeunt.

870. Somnia lasciva cum tentigine nocte altera, sine pollutione.

Oscitatio crebra, quasi somno non satiatus esset.

Mane in lecto, inter evigilationem frigus, etiam horror cum frigore interno mane in lecto et statim inter surrectionem. (H.)

Corporis totius frigus internum, tempore antemeridiano. (H.)

Mane frigus, ad meridiem calor. (H.)

875. Post meridiationem frigus. (H.)

Frigus circa vesperam; fornacis calore quo magis utitur, eo majorem sentit frigiditatem. (H.)

Mane et vesperi in lecto frigus. (H.)

Vesperi in lecto per semihoram horripilatio, nullo calore subsequo. (H.)

Frigus, vesperi post decubitum, in lecto. (H.)

880. Vesperi in lecto per semihoram sub cute totius corporis frigus. (H.)

Frigus, vesperi in lecto, ad mediam noctem usque, postea cum siti intensa calor. (H.)

Vespertinum frigus tremulum, insigne, in lecto hominem conspicuo modo succutiens (una cum subsultu tendinis Achillis et digitorum pedis flexoris communis). (H.)

Pedes frigidi, vesperi in lecto, post decubitum. (H.)

Noctis initio frigoris plus, deinde per vices tum frigus, tum calor. (H.)

885. Febris paroxysmi, noctu maxime. (H.)

Manus frigidae. (H.)

Cum manuum frigiditate, supra totum corpus horrescentia et frigus, quasi ab affusa aqua frigida. (H.)

Omnia occupans membra frigus, febris gravedinosae modo, decumbere cogens. (H.)

Post frigus artuum omnium tremor. (H.)

890. In aëre libero plus friget, quam in cubiculo, quamvis utrique sit idem caloris gradus.

Mane et vesperi in corpore toto frigoris sensus concutiens.
Manuum ac pedum frigiditas continua.
Frigiditas cum frigiditatis sensu et frigus concutiens cum livore corporis per diem integrum, truncum incurvare cogens.
Frigus et frigiditatis sensus corpus, maxime manus, perreptans; simul calor siccus pone aures.

895. Frigus insigne inde a naso atque oculis ad occiput usque, cum dolore externo lancinante, ante noctem mediam inter decubitum in lecto.
Hora nona vespertina frigus universale per noctem usque, cum mictu quavis hora iterato et inter decubitum atque soporem cum capitis, brachiorum et crurum vulsionibus, jactationibus atque concussionibus spontaneis.
Sitis diuturna. (H.)
Aquae sitis (**circa vesperam**).
Sitis crebra et interdiu et noctu.

900. Sitis creberrima aquae gelidae.
S i t i s i m m e n s a.
A motu minimo horror inde a summo ad imum usque, caloris paroxysmis intercurrentibus. (H.)
Horrores super totum corpus, sine calore ac siti, in quovis situ.
Frigus internum cum faciei calore genarumque sensu ardente. (H.)

905. Nunc faciei calor, nunc horror quidam. (H.)
Frigus et per vices calor capitis ac faciei. (H.)
Continuo calor frigori intermixtus; extra lectum frigus, in lecto calor cum siti lactis immensa nocturna (una nocte ad congium lactis bibit).
Pulsus duplo celerior. (H.)
Arteriarum omnium pulsatio celer, vehemens. (H.)

910. Pulsus lentus, debilis.
Febris: primo faciei calor et rubor cum caloris sensu in corpore toto, maxime in volis manuum, sine calore externo, tum invicem frigus internum, decumbere cogens, concutiens ad

ipsam noctem usque, et inter hoc frigus calor in manuum volis, digitorum apice gelido. (H.)

Febris accessus crebri, e calore universali volatico ac frigore et horrore saepius rediente (maxime super faciem, dorsum, pectus et brachia) constantes. (H.)

C a l o r i s e t f r i g o r i s s e n s u s i n v i c e m r e d i e n s, t a c t u n o n p e r c e p t i b i l i s. (H.)

Calor et caloris sensus in facie pallida. (H.)

915. Post mediam noctem calor et rubor genae sinistrae et manuum volarum sudor; postea diarrhoea cum ciborum fastidio. (H.)

Calor, rubor ac pressio in utroque oculo.

Inter sessum per aliquantum temporis in genis et capite calor oritur cum faciei rubore, sine siti.

In aëre frigido, aspero, caloris insignis sensus in omnibus corporis partibus, per dies quatuor (statim).

Caloris accessus cum angore maximo, quasi a pectoris compressione, sine siti, cum frigoris sensu super totum corpus et summo languore alternans. (H.)

920. Sudor odoris acidi, et dum e lecto protendit membrum, statim lancinatio in eo vehementissima. (H.)

Quovis vespere, semihora post decubitum sudor. (H.)

S u d o r m a t u t i n u s i n s i g n i s, inter eum sitis, nausea ad vomitum usque et cordis palpitatio intolerabilis, immanis. (H.)

Sudor diurnus cum nausea vomituriente. (H.)

Vesperi in lecto sudor insignis, inter quem obdormiscit. (H.)

925. S u d o r n o c t u r n u s s u m m u s. (H.)

In manuum volis pedumque plantis sudor. (H.)

Sudor, ardoris sensum in cute gignens.

Interdiu ac noctu magna in sudorem propensio, major vero noctu.

Sudor foetidus per multas noctes; — sudores foetidissimi, ut lecti stragulum et culcita in aquam immersae videantur.

930. Noctu sudor insignis, adiposus quasi atque oleosus, quo fit, ut lintea rigida ceu amylo firmata tangenti videantur luteumque habeant colorem.
Sudor faciei atque pectoris.
Sudor faciei frigidus creber, cum siccitate corporis reliqui.
Sudor summus, acida et foeda redolens digitosque quasi molliens, ut spongiosi atque rugosi fiant.
Sudor partialis; nocturnus sudor partium aliarum, cum aliarum siccitate; sudantium locorum magnitudo digitorum sex mensuram non superat, sudor vero insignis, profusus est, capite totaque facie siccis.

935. Tremor per accessus iteratus. (H.)
A re minima, improviso oblata, terror summus cum totius corporis tremore et quasi paralysi, immanis ardor in genam dextram adscendens statim tumescentem cum rubore violaceo per horas duas; tanta affectio, ut vix ac ne vix quidem animo possit consistere, cum artuum omnium, quasi a contusione, dolore, frigore concutiente insigni et genuum vacillatione, ante tempus solitum decumbere cogente. (H.)
In terrorem concutientem propensio vespertina.
Palpitatio cordis. (H.)
Cordis palpitatio inter itum. (H.)

940. Inquietudo, nullo loco morari, nec stare, nec cubare sinens, et quasi insania vel animi perturbatio, tanquam in crimine versetur capitali. (H.)
Animus inquietus, demissus; angor vagus, nescit cur. (H.)
Intolerabilis aegrotationis internae sensus ineffabilis, cum silentio et e lecto surgendi recusatione. (H.)
Cruciatum terribilem pati sibi videtur, sed cujus generis iste sit, dicere nequit. (H.)
Animi sui impos fieri et mori sibi videtur, cum imaginibus vanis, quibus fit, ut v. c. aquam profluentem videat, ubi aqua non adest (mane). (H.)

945. Animus ad anxietatem et pavorem proclivis; angustia tum subito scrobiculum petit, manus sudore madefiunt, facies calescit. (H.)

Anxietas cum pavore a sanguine quasi profecta, ut, quo se vertat, nesciat; sensus, tanquam flagitium commisisset, simulque tanquam sui impos sit, per diem integrum. (H.)

Angor, propensionem in fugam gignens, quasi in crimen vocatus sit, vel quasi sors adversa instet. (H.)

Sensus, quasi maleficium commiserit. (H.)

Simul atque edit, anxietas summa oritur cum capitis sudore atque frontis, quae gelida ipsi videtur; in aërem liberum eundum ei est, antequam sudor evanescat; interim respiratio intercepta cum punctione in dextro latere paulo infra costas.

950. Inquietudo summa per noctem integram, circa horam octavam vespertinam incipiens et ad mane usque tenens; nunc surgit, decumbendo requiescere nequiens, nunc recumbit, itionis impatiens, nec usquam fruitur quiete.

Omnium rerum neglectus, ciborum inappetentia; dum vero edit, esculenta gratum sapiunt eorumque justa copia ingeritur. (H.)

Omnium rerum contemtus et neglectio. (H.)

Omnium rerum, etiam musices aversatio. (H.)

Laboris gravioris fuga.

955. Vitae taedium, omnium rerum, vel pridem carissimarum, contemtus.

Animus irritabilis, ad iram paratus, audax. (H.)

Animus ad stomachationem proclivis, litium amans, perquam irritabilis, suspiciosissimus. (H.)

Animus in stomachationem cum quolibet, et in rixas summe propensus, in omni sententia tuenda pertinax. (H.)

Animus perquam rixosus. (H.)

960. Per diem integrum animus severior, frigidior, immo ad stomachationem paratus, aliis levis momenti rem ridentibus, cum summo omnium, quae circa sunt, rerum neglectu.

Animus sine causa sibi ipsi iniquior ac rebus suis male contentus.
Per diem integrum morositas cum angore conjuncta; ne adversi quid sibi accidat, metuit.
Per diem totum morositas cum loquelae fuga et severitate.
Per diem totum animus ad stomachationem pronus; omnia, quae conetur, ad nihilum postremo ventura esse, putat.

965. Per diem solidum ad morositatem et diffidentiam proclivitas; homines, quibuscum ei res est, paene offendit eosque pro inimicissimis habet.
Per diem solidum animus morosus, quasi ipse sibi iratus sit et sibi displiceat, cum aversatione loquelae et jocorum.
Patriae summum desiderium; — procul abeundi cupido fere irresistibilis.
In loquendo festinatio, velocitas.
Absurda loquitur. (H.)

970. Vesana patrat jocosque futiles et scurriles movet; vesperi (aestate calida) ignem in fornace suscitat, gladios decussatim ponit et in altero cubiculi angulo candelas, in altero caligas collocat, omnia haec serio agens; capitis obtenebratio ac gravitas. (H.)
Inter ambulandum, hominum incognitorum, obviam venientium, nasum duobus digitis prehensare gestit. (H.)
Vesana patrans, ad lacrymas tamen proclivis est; hoc paroxysmo evanido languorem summum sentit. (H.)
Insania; noctu se denudat, stramina dispergit cum opprobriis; interdiu alte subsilit (feminae lascivae, in jocos pronae, similis), tam in aëre libero, quam in cubiculo; multum secum ipso blatit et objurgitat, parentes ignorat et salivam, copiose exsputam, pedibus dispersam, partim lambit; etiam fimum bubulum haud raro lingit et e lacunis limum; crebro lapillos ore capit nec vero glutit, intestina dissecari, querens; cum sede sanguinis grumosi copia excernitur;

neminem laedit, sed attacta vehementer se defendit; nulli jussui obediens, ad vescendum minime se accingit, quamvis pluribus diebus extra ordinem cibum sumat ac potum; facie pallente, collapsa, multo magis, quam pridem, languere videtur.

Lacrymatio fere involuntaria, levationem gignens.

Hydrargyrum muriaticum mite, Mercurius dulcis.

Inter febrem continuam, cum calore diuturno, sudoribus nocturnis, virium lapsu, artuum dolore lancinanti atque tremore conjunctam, ulcera multa, rotunda, alta, partes circum jacentes erodentia in ore et pharynge, in facie, pudendis et corpore reliquo, quorum fundus albidus est et margines summopere dolent. (H.)

Hydrargyrum muriaticum corrosivum, Mercurius sublimatus corrosivus.

Mentis debilitas; homines mirabundus quasi spectat nec, quid dicant, intelligit (post horam secundam). (H.)

Capitis dolor pungens et premens super oculum sinistrum, pronatione adgravatus. (H.)

In aure sinistra susurrus ad pulsuum modulationem. (H.)

In maxilla superiori (antro Highmori) ad oculum versus lancinatio, tumore subsequo. (H.)

5. In gingivis atque in ore dolor ardens. (H.)

Faucium asperitudo, loquelam impediens, non deglutitionem. (H.)

In ore sapor salsus (post horam secundam). (H.)

Statim post alvum depositam in anteriori abdominis parte infra umbilicum dolor deorsum premens, per temporis aliquantum durans. (H.)

In abdomine (statim) dolor disscindens cum frigescentia in aëre libero, quamvis calido. (H.)

10. Abdominis distentio insignis (post horam duodecimam). (H.)
Excrementa tenacia. (H.)
Excrementa tenuia. (H.)
Inter tormina disscindentia fere continua, pressionem intolerabilem atque tenesmum, sedes crebrae, parvae, pituitosae et sanguineae, interdiu et noctu. (H.)
In urethrae parte anteriori pruritus. (H.)
15. Ex urethra blennorrhoea primum liquida, tum spissior; postremo inter mictum dolor mordax et per urethram punctus. (H.)
Leucorrhoea pallidule-flavida, odoris nauseose-dulciculi. (H.)

Coryza immanis. (H.)
Tussis cava, lacessens, sicca (post horam secundam). (H.)
Dolor nocturnus totum per pectus transversum pungens. (H.)
20. Circa papillas glandularum tumores dolorosi. (H.)
In ossis femoris capite dolor pungens inter motum et quietem. (H.)
Cruris narcosis. (H.)
Pedes gelidi (post horam secundam). (H.)
Circa vesperam in ossium omnium periosteo sensus ingratus, ut a febre intermittente nascitura, cum caloris sensu in capite (post horam sextam). (H.)
25. In musculis hinc inde dolor pungens, interdiu. (H.)
Inter somnum capiendum terror vehemens totum corpus concutiens (post horam octavam). (H.)
In capite frigus. (H.)
Inter motum levissimum frigus et tormina disscindentia. (H.)
Horrescentia et frigus cum torminibus disscindentibus atque tenesmo ab aëre libero, quamvis calido, excitantur. (H.)
30. Inter pronationem trunci calor, inter erectionem refrigerium. (H.)

Noctu nullo loco requiescere potest propter caloris sensum atque anxietatem. (H.)

Animus in morositatem crebram pronus, cum animo hilari alternans. (H.)

Hydrargyrum aceticum, Acetas mercurii.

In faucibus siccitas, loqui impediens, cum tussi asperrima. (H.)

Inter tussim, magis, quam inter deglutitionem, in posteriori faucium parte dolor pressim pungens. (H.)

Mictio crebra. (H.)

Urinae mane copiosa, sed lenta excretio cum tenesmo. (H.)

5. In urethra ardor et inter mictum et extra eum. (H.)

In urethra dolor disscindens, dum ultima urinae guttula destillat. (H.)

Urethrae partis anterioris tumor ac inflammatio (cum dolore ardente atque pungente, noctu e somno expergente); aqua frigida dolor augetur, tepida diminuitur. (H.)

In testiculo dolor constringens. (H.)

Intra vulvae labia tumor internus. (H.)

10. In pectore dolor, quasi ab apostemate et crudo vulnere. (H.)

In sterno, paulo super scrobiculum, pressio cum spiritus angustia inter statum, vel extra incessum. (H.)

In manibus lancinatio, cum rubore atque tumore malleolorum inde oriundo. (H.)

Ulceris marginum dolor auctus. (H.)

Pustularum prurientium, in rupturam pronarum, exanthema, post scalpturiginem maxime urens. (H.)

15. Ante meridiem in artubus dolor trahens cum horrore, calore nullo subsequo. (H.)

Post mediam noctem somnia gravia, v. c. de interitu in undis, de latrone, necem ei parante, de inundationis periculo atque incendii. (H.)
Noctu, maxime post noctem mediam, calor sine siti et sudore, cum sudoris tamen sensu. (H.)
A motu sudor profusus. (H.)

Cinnabaris.

1) *A Cinnabaris usu interno* *).

Susurrus in capite semihora post prandium et vesperi, antequam somno indulgetur, temulentiam gignens. (H.)
In externis capitis partibus dolor foras pungens, tantum diurnus. (H.)
Inter capitis tactum cranii externi ipsorumque capillorum dolor. (H.)
Noctu siccitatis atque caloris multum in ore et faucibus, crebro bibere cogens, cum dolore infra linguam in parte posteriori aliquantum pungente. (H.)
5. Pruritus pungens in anteriori colli parte, glandulis in collo atque pectoris anteriori parte tumidis; stigmata rubra erumpunt, quae in maculas rotundas confluunt, pustulis duris, granulatis, obsessas; inter scalpendum exanthema ardet vehementiusque prurit; postremo loci affecti dolent. (H.)
Cibi ac potus appetitus creber cum summo in coitum nisu. (H.)
Appetitus nullus; ciborum omnium aversatio. (H.)
Statim vomituritio. (H.)
Binae singulis diebus sedes leves, molles et ante sedes singulas tormina vellicantia, rarius postea. (H.)
10. In urethra, quamvis a pressione externa non doleat, inter mictum, quasi a vulnere, dolor. (H.)

*) Cujus effectus per dies novem obtinebat.

Tumet penis. (H.)
In pene vulsio. (H.)
In strige pone glandem penis dolor pruriens; pus ibi exsudat odoris nauseose-dulciculi. (H.)
Maculae parvae, rubrae in penis glande. (H.)

15. In penis glande punctus lancinantes. (H.)
In penis glande stigmata rubra nitent, sicut grana parvula ad efflorescendum prona. (H.)
Vesperi in glandis corona pruritus ardenter lancinans, fricatu quidem remittens, sed paulo post vehementer recrudescens. (H.)
Praeputii rubor et tumor, ut ab intertrigine, cum dolore pruriente. (H.)
Leucorrhoea ipso effluvio in uteri vagina pressuram gignens. (H.)

20. Vesperi in lecto tentigines insignes. (H.)

Coryza crebra. (H.)
Pulsus instar pulsatio et punctio hic illic juxta sternum et infra costas breves, maxime inter eundum, minus inter sessum et decubitum. (H.)
Dolor lancinans, et quasi omnia diffracta sint, dorsi lateris, maxime noctu inter motum in lecto minimum; similis dolor brachii inter scribendum; uterque dolor fornacis calore minuitur. (H.)
Intra femora sudor foetidus, erodens, inter itum. (H.)

25. Vesperi, post obdormiscendum, vulsio dolorosa in crure. (H.)
Post pastum sensus ingratissimus, quasi ab inflatione, cum oppletionis sensu supra pectus et ventriculum. (H.)
In artubus omnibus sensus paralyticus; inertia atque dormituritio. (H.)
Agrypnia sine doloribus et sine languore; mane sensus, quasi recreatus sit et somno satiatus. (H.)
Post noctem mediam subita, quasi ex somniis, experrectio, cum spiritu intercepto, ut ab incubone. (H.)

---

2) *A fumo Cinnabaris.*

Cephalaea immanis. (H.)
In colli vertebris, ut a distortione, dolor. (H.)
Diarrhoea nocturna, per hebdomades duas, sine torminibus. (H.)

Varia hydrargyri praeparata.

Observata medicorum veteri doctrinae addictorum.

Aegrotus pro sano se habet. [*Jac. Hill**) in Edinb. Essays, IV.]
Mentis alienatio. [*Larrey***) in Descr. de l'Egypte, T. I. Memoires et obs.]
Se mente captam esse nec, quid agat, scire, queritur. [*Degner****) in Act. Nat. Cur. VI. Obs. 600.]
Insignis memoriae defectus; saepe primam sententiae partem oblitus est, ultimam prolaturus. [*Hufeland* †) in Journ. d. pr. A. X. 1. p. 62.]
(5) Cephalalgiae immanis accessus; pressione capitis externa levatus. [*Pet. Schenk* ††), VII Obs. 213.]
Capitis, glandularum colli et gingivarum tumor [*Schlegel* in *Hufel.* Journ. VII. 4.]; — colli tumor insignis et capitis. [*Degner*, l. c.]
Capillorum casus. [*Heyermann* †††), Bemerk. und Untersuch. II. p. 29. 30.]

---

*) A Cinnabaris drachmae fumo.

**) A variis mercurii praeparatis, in Aegypto interne adhibitis.

***) A mercurio sublimato externe in emplastro applicato.

†) Ab usu mercurii oxydati — simul cum gargarismate e putaminibus juglandium.

††) A fumo cinnabaris.

†††) Ab usu variorum hydrargyri praeparatorum, maxime calomelanos.

Faciei livor. [*Swedjaur* *)], Traité des malad. vénér. Tom. II. p. 368.]

Faciei, colli omniumque oris partium internarum tumor. [*Swedjaur*, l. c.]

(10) Hyperaesthesia organi auditus; a strepitu levissimo terror concutiens. [*Fourcroy* **) in versione operis a *Ramazzinio* scripti: Maladies des artisans, p. 42.]

Epistaxis insignis. [*Heuermann*, l. c]

In maxilla superiori caries. [*Michaelis* ap. *Hufel.* Journ. XXVIII. 4. p. 57.]

Motus labiorum spasmodicus. [*Louvrier* ***) in Annal. d. Heilk. 1810. Dec. p. 1123. 1126.]

Maxillarum musculorum tendines erosi et ob hanc causam oris apertio dolorosa. [*Heuermann*, l. c.]

(15) Gingivae tumidae, tactu levissimo sanguifluae [*Heuermann*, l. c.]; — gingivae et pharyngis tumor. [*Misc. Nat. Cur.* †) Dec. III. ann. 5. 6.]

In dentium nervis dolor vehementer ardens. [*Heuermann*, l. c.]

Dentes elongantur, vacillant, excidunt [*Heuermann*, l. c.]; — dentes nigrescunt, vacillant et postremo excidunt. [*Swedjaur*, l. c.]

Linguae tremor et inde balbuties, quae vi electrica tolli nequit. [*Fourcroy*, l. c.]

Lingua rigida, tumida. [*Degner*, l. c.]

(20) Lingua tumida, valde dolorosa, ad manus latitudinem ex ore protensa et intra dentes quasi incarcerata. [*Friese* ††) in Geschichte und Versuche e. chir. Gesellsch. Kopenh. 1774.]

Lingua alba, crassa, fere immobilis, in margine exulcerata, erosa. [*Heuermann*, l. c.]

---

*) Ab usu interno mercurii praeparatorum oxydatorum et salinorum.

**) A fumo mercurii.

***) Ab usu unguenti neapolitani.

†) Unguento neapolitano adhibito.

††) Ab usu unguenti neapolitani copioso.

Aphthae in lingua [*Thom. Acrey**) in Lond. med. Journ. 1788.] et in ore. [*Schlegel*, l. c.]
Ulcera valde dolorosa, circum erodentia in ore [*Fourcroy*, l. c.], maxime noctu sanguiflua. [*Heuermann*, l. c.].
Foetor oris cadaverosus. [*Schlegel*, l. c.]

(25) Saepe palati seu maxillarum ossa carie absumuntur. [*Swedjaur*, l. c.]
Statim salivatio profusa. [*Jac. Hill*, l. c.]
Salivatio sanguinea. [*Degner*, l. c.]
Cum ptyalismo haemorrhagiae profusae. [*Heuermann*, l. c.]
Ductuum parotidis salivalium ostia excoriata; a saliva intoleranter foetente labiorum atque buccarum excoriatio, etiam perrosio. [*Heuermann*, l. c.]

(30) Tuba Eustachii in pharynge saepe tumoribus compressa et inde surditas oriunda. [*Heuermann*, l. c.]
Pharyngis inflammatio, glutire prope impediens. [*Degner*, l. c.]
Ut a carbone candente dolor in pharynge. [*Degner*, l. c.]
Pharyngis atque oesophagi tremor, ut nonnisi spasmodice et cum suffocationis periculo glutire possit. [*Fourcroy*, l. c.]
Appetitus deficit. [*Huber***) in Nov. Act. Nat. Cur. III. Obs. 100.]

(35) Vomituritio. [*Misc. Nat. Cur.* l. c.]
Vomitus cum motibus convulsivis. [*Hoffmann* in *Baldingers* Magazin, p. 963.]
Anxietas circa scrobiculum. [*Misc. Nat. Cur.* l. c.]
Abdominis magna distentio. [*Riverius****), Obs. med. p. 92.]

---

*) Ab usu calomelanos interno, unguenti neapolitani externo.

**) Inter usum internum solutionis mercurii sublimati corrosivi, per hebdomades plures.

***) Ab usu unguenti neapolitani.

Tormina summopere vellicantia. [*Jac. Hill*, l. c.]

(40) Tormina intoleranter disscindentia. [*Misc. Nat. Cur.* l. c.]

Morbi hepatis. [*Larrey*, l. c.]

Icterus completus. [*I. Cheyne* in Dublin hospital reports and communications in med. and surgery. Dublin, 1816. Vol. I]

Diarrhoeae periculosae. [*Heuermann*, l. c.]

Sedes virides. [*Michaelis* ap. *Hufeland*, Journ. VI. p. 22. 24.]

(45) Excrementa cum dolore ardenti atque mordaci in ano decedunt. [*Felix Plater*, Obs. I.]

Sedes crebrae, foetorem oris redolentes. [*Degner*, l. c.]

Tenesmus continuus cum creberrimo sanguinis per anum decessu. [*Misc. Nat. Cur.* l. c.]

Urinae stillicidium tantummodo cum ardore. [*Felix Plater**), Obs. I. Basil, 1614.]

Immensa urinae copia (diabetes) cum summa macie. [*Schlichting* in Act. Nat. Cur. VIII.]

(50) Urethrae ostium inflammatum. [*Hufel.***) Journ. XXVI. 4.]

Blennorrhoea ex urethra. [*Hufel.* Journ. l. c.]

Raucitas continua. [*Fourcroy*, l. c.]

Tussis. [*Jac. Hill*, l. c.]

Haemoptysis vehemens. [*A. Gottl. Richter* ***), Chir. Bibl. IV. p. 277.]

(55) Asthma insigne, per accessus repetens; prae suffocationis metu nec ire, nec truncum pronare poterat. [*Fourcroy*, l. c.]

Suffocatio. [*Riverius*, l. c.]

Tremor vehemens manuum primo, totius corporis deinde. [*Fourcroy*, l. c.]

Contractionis brachiorum atque femorum spasmodicae accessus. [*Riverius*, l. c.]

Tetanus localis vel universalis. [*Swedjaur*, l. c.]

---

*) A mercurio crudo, cum pulvere liquiritiae trito.

**) Ab usu interno mercurii sublimati.

***) A mercurio sublimato intus adhibito.

(60) Dolores primo volatici, deinde fixi, summe penetrantes in lumbis et genubus, postea in ceteris etiam membris. [*Huber*, l. c.]

Dolores validissimi in musculis, tendinibus vel articulis, rheumaticis vel arthriticis similes. [*Swedjaur*, l. c.]

Ossa fragiliora post dolorum rheumaticorum accessus. [*Fourcroy*, l. c.]

Ulcera phagedaenica, spongiosa, livida, in sanguinationem prona. [*Swedjaur*, l. c.]

Ulcera, levissimo tactu summe dolorosa, quae ichorem acrem, exedentem fundunt et erodendo mox augescunt, tam prominentias iniquas, quam sinus, quasi ab insectis exesos, formantia; pulsus inaequalis celer; dormire et requiescere nequit noctuque sudoribus diffluit aegrotus, perquam irritabilis et ad impatientiam pronus. [*Swedjaur*, l. c.]

(65) Eruptio cutanea miliaris, morbillis adsimilis, cum ardore et pruritu conjuncta. [*Bell**), über bösart. Tripper und vener. Krankh. Leipzig, 1794. II. p. 236.]

Maculae supra totum corpus, scorbuticarum instar, et eruptiones scabiosae, herpeticae atque furunculi illis intermixti. [*Huber*, l. c.]

Epidermidis deglubitio maxime in manibus ac pedibus. [*Heuermann*, l. c.]

Erysipelas. [*Clare***).]

Periostei spissitudo. [*J. Hunter*, Abh. üb. d. vener. Krankh. p. 632.]

(70) Exostoses. [*Louvrier*, l. c.]

Caries et abscessus in articulis. [*Betkke*, Schlagfluſs, p. 406.]

Totum exsiccatur corpus. [*Richter*, l. c. — et *Louis* apud *Pibrac* in Mem. de l'acad. royale de Chirurgie. T. IV.]

Macies universalis viriumque lapsus. [*Swedjaur*, l. c.]

---

*) Ab usu unguenti neapolitani.

**) Ab unguento hydrargyri cinereo externe adhibito.

Vis electricae sensus immensum auctus. [*Hunter*, l. c.]

(75) Immobilitas universalis; catalepseos species. [*Swedjaur*, l. c.]
Artuum variorum paralyses. [*Swedjaur*, l. c.]
Apoplexia. [*Swedjaur*, l. c.]
Lipothymiae. [*Swedjaur* *), l. c.]
Agrypnia diuturna. [*Degner*, l. c.]

(80) Pulsus primo celer, intermittens, fortis, deinde tremulus, debilis. [*Jac. Hill*, l. c.]
Febris; systematis nervosi sensibilitas universalis. [*Swedjaur*, l. c.]
Febris cum inflammationibus perquam dolorosis, localibus, in gangraenam transeuntibus. [*Swedjaur*, l. c.]
Febris lenta cum macie corporis conspicua **). [*Richter*, l. c.]
Febres acutae, putridae. [*Heuermann*, l. c.]

(85) Sudores languorem gignentes. [*Wedel****), Amoenitat. Mat. med. p. 153.]
Spiritus summa angustia, liquidorum abhorrescentia, postea furoris species, inter quem, quidquid arripere potest, divellit †). [Obs. medici, qui in linguam francogallicam transtulit *Culleni* first lines.]

---

*) A vapore mercurii.

**) Aqua selterana atque lacte sanata.

***) A cinnabaris nativae usu interno.

†) Die nono post usum externum unguenti neapolitani in juvene, quem lue venerea affectum esse, suspicati fuerant. —

Moschus orientalis.

(Substantia in folliculo pilis obsesso, pone umbilicum protuberante, Moschi moschiferi, Asiae mediae montes inhabitantis, recondita, unguinosa, exsiccata Moschum viridem, venalem suppeditat, ex quo subtilissime cum sacchari lactis trito spiritus vini ope [ratione granorum X ad gutt. 200 spiritus vini] per plures dies conquassatione repetitâ tinctura extrahitur.)

Symptomata sequentia, quae ut augeantur, quam maxime optandum foret, medicamen virtutibus eximiis instructum, quibus nullum aliud gaudet, arguere licent.

Moscho hucdum empirico modo, maxime in recentioribus temporibus, utebantur, et in dosi maxima haud parvi pretii, panaceae ad instar omnibus in mortis articulo versantibus, administrabant.

Quodsi convulsionum species istae, a pluribus scriptoribus, more consueto, hoc nudo verbo notatae, accuratius descriptae fuissent, posset sane definiri, in quibus convulsionum speciebus, maxime infantum, Moschus auxilium ferat praesentissimum.

Observationes certissimae Lentini, Zanetti, Morgensternii, Roebolii aliorumque docuerunt, Moschum suppeditare remedium efficax contra Tetani species complures, id quod etiam ex symptomatibus illi propriis apparet.

Contra statum tonico-spasticum Hypochondriacorum, dosi minori, qua adhuc administrabatur, legibus homoeopathicis congrua, tanquam remedium, aliis intercalandum in hoc morborum genere, optimo cum successu adhibebitur, cui fini tinctura millies diluta respondet.

Vis Moschi, veneris stimulum excitandi, pro primario, contrarium pro secundario effectu habendum est *).

Tr.

*) Vires Moschi in sanum corpus humanum indagaverunt, praeter Samuelem Hahnemannum, Gul. Grofs, Fred. Hahnemann et Ernest. Stapf.

Symptomata.

Sensus in capite, quasi a vertigine (a granis duobus Moschi).

Vacillatio vertiginosa ante oculos a capitis motu minimo, ac si quid sursum et deorsum moveretur (statim jam ab odore et a granis duobus Moschi, cum saccharo et aqua tritis in tres partes divisis et inter biduum consumtis).

Sensus rotationis in fronte et ante oculos, ab inclinatione auctus (post $\frac{1}{8}$ horam).

Vertigo cum nausea, ad decubitum cogens, cum coffeae appetentia (post 30 horas).

5. Sensatio interdum, quasi sensus evanescerent cum pressione stupefaciente universali in cerebro, compressioni haud absimili.

Caput oppressum, cum pressura stupefaciente in cerebro.

Caput oppressum, cum sensu tensionis haud dolorificae in superiore ejus parte.

Sensus dolorificus in capite inter motum ejus fortiorem, v. gr. inter scalarum adscensum (post 4 horas).

Sensus gravitatis in capite (post $\frac{1}{2}$ horam).

10. Dolor in toto capite huc illuc trahens, usque in nucham extensus, ubi iste dolor in tensivum abit, in aëre libero mitior, vehementior vero in cubiculo (post 1 horam).

Tractio dolorosa in capite, ab occipite in aures et ex auribus in dentes migrans, praeprimis in latere dextro (post 3 horas).

Tractio spastica per totum caput.

Pressio trahens, volatica, in tempore dextro.

Pressio universalis in verticis summo et in frontis parte superiore.

15. Sensus super marginem orbitae superiorem, ac si corpus obtusum in cerebrum intruderetur.
Pressio stupefaciens in arcum superciliarem sinistrum.
Punctio lenis in fronte.
Pruritus huc illuc in capillitio, scalpturigini cedens.
Dolor mordax in oculis, quasi a fumo, cum lacrymarum effluvio (statim ab odore).

20. Pruritus in oculis, ad frictionem cogens (post ½ horam).
Oculorum caligo.
Faciei calor cum oculorum caligine.
Pressio volatica in os zygomaticum sinistrum, saepius recurrens.
Ardor frigescens, volaticus, in osse zygomatico dextro.

25. Strepitus repentinus, celeriter transiens, quasi a strepitu alae avis majoris, mox in dextra, mox in sinistra aure (post 60 horas).
Sapor ingestorum nullus, ne lactis quidem.
Ructus aërei, violenti, auditu percipiendi, saepius reiterati.
Ructus aërei cum regurgitatione liquoris insipidi in os.
Sensus aspritudinis in oesophago, quasi a soda, cum aliqua nausea, sicuti inter verminationem ascendens.

30. Nausea in cordis scrobiculum ascendere videbatur cum retractione umbilici et sensu crampoide.
Nausea et cephalalgia per biduum tempore pomeridiano lectum peti jubent.
Nauseae accessus per sex dies crebrius reiterati.
Vomituritio matutina (post 22 horas) et vespertina (post 9 horas).
Angustari videntur partes circa cordis scrobiculum cum sensu mordaciter ardente, aut quasi a.

vulnere, qui sensus post quodcunque prandium enascitur (per triduum).

35. Plenitudinis sensus in ventriculi regione, etiam pastu modico auctus (post 3 horas).
Pressio aliqua in sinistro latere juxta cordis scrobiculum.
Dolor in cordis scrobiculo et super illum (in pectore), maxime inter inspirationem, cum angore pectoris (post 6 horas).
Pressio tensiva in ventriculi regione cum sensu doloroso aliquo abdominis, quae post horam dimidiam in inguen dextrum migrat et ex illa regione super totum abdomen diffunditur (post $1\frac{1}{2}$ horam).
Punctus subtiles, acuti, volatiles in dextro latere, subter costas spurias, quasi vellicatio subtilis, ad frictionem cogens.

40. Punctus subtilis, pruriens in dextro abdominis latere, subter costas spurias; pruritus post punctum continuus ad frictionem cogit.
Punctus singuli, vehementes in umbilici regione, profundum penetrantes, maxime inter inspirationem (post $1\frac{1}{2}$ horam).
Tormina corripientia supra umbilicum, respirationem praecludentia.
Dolor simplex in abdominis latere dextro, subter umbilicum.
Angustiae haud dolorificae in abdomine sensus, cum angore tanto, ut laborem nullum suscipere posset, sed obambulare cogeretur, ita ut verbi gratia amicos plures visitaret, apud quos vero aliquot sexagesimas tantum commorari poterat (statim).

45. Murmur sonans, continuus in abdomine, sine flatuum molestia, quod murmur inter pastum et post eum silet.
Nisus alvum exonerandi et flatus mittendi cum sedibus normalibus et flatuum decessu ante sedem, non inter illam, sine strepitu.
Alvus per plures dies obstructa.

Veneris stimulum excitare videtur (effectus primarius).

Sensus trahens et urgens versus pudenda, quasi menstrua proruptura essent (post 9 et 22 horas).

50. Menstrua sex diebus anticipantia, aucta.

Sternutatio fortis.

Nares antea a gravedine obturatae, dein per emunctionem liberiores redduntur.

Sensus in gula, quasi a vapore sulphureo, cum tracheae constrictione (statim ab odore).

Sensus inter inspirationem liberam, quasi a vapore sulphureo hausto.

55. Sensus in larynge repentinus, quasi spiritus praecluderetur, uti a hausto vapore sulphureo fieri solet.

Respirationis angustia, spiritum profunde trahere cogens.

Coarctatio inter inspirationem profundiorem in latere sinistro sub costis brevibus.

Punctus obtusi, per intervalla redeuntes, in pectore sinistro et sub costis brevibus.

Pressio sensibilis, quasi a corpore obtuso, in osse sacro versus latus sinistrum, super os coccygis.

60. Tractio vehemens in dorso, cum sensu tensivo in istis partibus, quasi ante menstruorum profluvium.

Punctus obtusi, per intervalla recurrentes, in latere sinistro, juxta spinam dorsi, medio in trunco.

Pressio trahens in nuchae musculo.

Dolor trahens et pungens, vespere post decubitum, in sinistro antibrachio, a carpo manus in cubiti articulum extensus, somni principium impediens; antibrachium e stragulis porrigere et sursum deorsum movere, doloris mitigandi causa, cogens, per horam dimidiam (post 6 horas).

Pressio coarctans in antibrachii sinistri latere inferiore, prope cubitum.

65. Tractio paralytica in antibrachio dextro, supra manus carpum.
Tractio crampoides in manibus et digitis, quasi a spasmo (tetano) exorituro.
Tractio paralytica in pollice manus sinistrae, quasi a crampo nascituro.
Vulsio paralytica in pollice manus sinistrae.
Species ardoris frigescentis in anteriore articulo digiti indicis dextri.

70. Dolor simplex, internus in phalange digiti indicis sinistri anteriore, tremorem ejusdem digiti excitans (statim).
Vulsio paralytica in interno latere femoris sinistri.
Pressio subitanea in interno femoris sinistri latere.
Pressio coarctans, obtusa in musculis femoris sinistri posterioribus, magis extrorsum tendens.
Punctio subtilis, pruriens, ad frictionem cogens, in anteriore femoris latere.

75. Pressio simplex cum debilitatis sensu in exteriore femoris sinistri latere, haud procul a genu.
Sensus frigoris repentini in tibia sinistra.
Pruritus acutus, frictioni cedens, in externo tibiae sinistrae latere, versus suram.
Dolor paralyticus (deliquescentia dolorosa) crus dextrum deorsum permigrans, quasi istud torpore corriperetur, inter sessum.
Inquietudo in crure sinistro, mox illud retrahere, mox extendere cogens — sensus torporis paralytici, crus per vices movere cogens, quo per momenta mitigatur.

80. Pedes inter sessum continuo movere cogitur, ne lassitudinis sensus aut inquietudo, qualis iter pedestre longius sequi solet, in illis enascatur.
Quando inter sessum pedes haud moventur, stuporis sensus in illis oriri minatur.
Sensus oscillans in pedibus inter sessum retractis, maxime in cruribus, partim quoque in femoribus, quasi itinere longiore pedestri defessi essent, aut torpescerent.

Pressio ardens in extremis digitorum pedis dextri.

Pruritus, vellicatio et punctio, quasi ab acubus, in variis corporis locis, ad frictionem cogentes.

85. Dolor totius corporis, quasi a conquassatione.

Inscius, quo potissimum corporis incommodo laboret, interdum sensu valetudinis adversae, aut leni animi deliquio celeriter transeunte afficitur.

Vires haud deficiunt inter eundum; sedendo autem debilitatem paralyticam genuum, quasi a magno virium lapsu aut lassitudine, persentit.

Somnus nocturnus somniis continuis de negotiis peragendis turbatus, et dolor, quasi a confractione aut luxatione, in parte corporis, cui incubuerat, impediebat, quo minus per longius temporis spatium uni eidem loco incumberet (post 24 horas).

Somnus nocturnus somniis luculentis de negotiis haud feliciter peractis, aut offensis contumeliosis, iracundiam moventibus plenus (post 48 horas).

90. Sensus, quasi ab accessu aëris frigidioris repentino in partibus nudis, maxime in manibus.

Inter ambulatum in aëre libero, haud frigido, aërem solito frigidiorem persentiebat et fornacis calorem desiderabat (post $1\frac{1}{2}$ horam).

Horror lenis in capillitio, unde iste leniori gradu per totum corpus diffunditur (statim).

Dum in manibus calor naturalis persentitur, sinistra tamen calidior, dextra frigidior tangitur — utraque faciei admota frigere videtur (post 2 horas).

Pulsus minus plenus, et multo celerior, a 72 usque ad 88 ictus adauctus (post 6 horas).

95. Sitis nulla nec inter horrorem, nec post illum.

Sensus caloris naturalis per totum corpus diffusi gratus post horrorem (post 10 sexagesimas).

Horror lenis a capite totum corpus deorsum percurrens post sensum caloris naturalis gratum (post horae quadrantem).

Calor totius corporis valde adauctus, cum perspiratione uberiore et animi alacritate majore (statim).

Post cubitum vespertinum (hora IX. vespertina) calor ardens totius corporis (maxime dextri lateris, ut videbatur) cum siccitatis sensu, rasione in faucibus et ore, sitique modica; intolerantia stragulorum foventium corpus denudare cogit, cum dolore lancinante (?) in fronte, vertigine ante oculos, sensu quasi a conquassatione totius corporis, agrypnia, inquietudine, jactatione corporis, torminibus corripientibus, per intervalla recurrentibus, supra umbilicum, sensu urgente versus genitalia et summa animi morositate; qui accessus per horam integram persistebat (post 9 horas).

100. Sudor lenis quocunque tempore matutino. (*H.*)

Cordis palpitatio, quasi ab angore de rebus futuris (post 4 horas).

Morositas (horis primis).

Observata medicorum veteri doctrinae addictorum.

Vertigo. (*Cartheuser*, Fundam. mat. med. p. 380.)

Cerebri stupor. (*B. L. Tralles*, de Moschi laudibus et abusu limitandis in medela morborum. Vratislav. 1783. 8.)

Caput oppressum. (*H. I. N. Cranz*, Mat. med. I. p. 252.)

Caput oppressum quasi ab ebrietate. (*Tralles*, l. c.)

(5) Dolor capitis. (*Cartheuser*, l. c. — *Luc. Schroeck*, Hist. Moschi, Aug. Vindel. 1682. — *Rolfinck*, Epit. Meth. cogn. et curand. m. Cap. de cap. dolor.)

Cephalalgia vehemens. (*Rob. Boyle*, de insigni eff. effic. Cap. 6.)

Gravitas in capite. (*Tralles*, l. c.)
Sanguinis versus caput congestio. (*Sanctorius*, Comment. in art. med. Gal. §. 71.)
Epistaxis. (*Schroeck*, l. c. — *Boecler*, Adnot. ad *Herrmanni* Cynos. mat. med. I. Cap. 15.)

(10) Epistaxis statim ab odore. (*H. Mercurialis*, de compos. med. I. Cap. 15.)
Vomitus. (*Morgenbesser* in Nov. Act. Nat. Cur. IV. 1770.)
Pressio in ventriculo. (*Morgenbesser*, l. c.)
Dolor in umbilici regione. (*Morgenbesser*, l. c.)
Diarrhoea. (*Morgenbesser*, l. c.)

(15) Oestrus venereus excitatus. (*Vogel*, Hist. mat. med. p. 356. — *Piderit*, Pharmac. rat. p. 268.)
Veneris stimulus in sene excitatus. (*Weickard*, pract. Handb. Heilbr. et Rothenb. 1789. 1799.)
Menstruum fluxum provocat. (*Schroeck*, l. c.)
Menstruus fluxus jam ab odore provocatus. (*Vogel*, l. c. — *Th. Bartholin*, Epist. med. Cent. II. p. 87.)

Constrictiones pectoris, suffocationem minantes. (*Fr. Hoffmann*, Med. rat. syst. III. p. 92.)

(20) Pectoris compressio. (*Tralles*, l. c.)
Plenitudo in pectore. (*Tralles*, l. c.)
Haemorrhagiae. (*Piderit*, l. c.)
Tetanus. (*F. C. Medicus*, Samml. v. Beobacht. a. d. Arzn. II. p. 605. 618.)
Convulsiones. (*Fr. Hoffmann* — *Morgenbesser*, l. c.)

(25) Convulsiones vehementissimae virorum et mulierum. (*Boerhave*, de morb. nerv. p. 744.)
Affectiones hystericae. (*Schroeck* — *Sennert*, Med. pr. lib. 1. 4. p. 125. — *G. W. Wedel*, Amoen. mat. med. p. 193. — *Jac. Sylvius*, Meth. med. compos. et simpl. I. cap. de Animal.)
Hypochondriacos valde afficit. (*Wedel*, l. c.)
Affectiones hystericas in viris ipsis excitare valet (Moschus cum Ambra mixtus erat). (*Riedlin*, Lin. med. p. 856.)

Lipothymiae. (*Fr. Hoffmann* — *Cartheuser*, l. c. — *Mead*, Monit. medic. p. 123. — *Pelargus*, Observat. II. p. 492 [a Moscho in pessario]. — *Fuller*, Pharmac. extemp. p. 302.)

(30) Animi deliquium cum doloribus capitis subsequis. (*Schroeck*, l. c.)

Coma. (*Tralles*, l. c.)

Somnus. (*Cullen*, Mat. med. II. p. 644.)

Pulsus plenior, etsi circiter 4, 5 ictus tardior (post horae quadrantem). (*Lor. Crell* in *Baldinger's* Magazin, VII. p. 656.)

Calor. (*Schroeck*, l. c. — *Loesecke*, Mat. med. p. 529. — *Rob. Whytt*, Schriften, p. 504.)

(35) Sanguinis orgasmus summus. (*Piderit*, l. c.)

Sudor. (*Piderit* — *Cullen*, l. c.)

Lenis perspiratio. (*Wall* in Philos. Transact. No. 474.)

Sudor absque calore. (*Reil*, Erkenntniſs und Cur der Fieb. IV. p. 174.)

Angores magni. (*Fr. Hoffmann*, l. c. — *Cartheuser*, l. c. p. 380.)

Semina Strychni Nucis vomicae.

(Nucis vomicae seminum grana quinquaginta, in mortario calefacto subtilissime pulveratorum, spiritus vini rectificatissimi mille guttis, quibus immersa sunt, intra hebdomadem, calore non adhibito, vires suas impertiunt, unde tinctura oritur, cujus una gutta, cum spiritus vini guttis quingentis quassando commixta, dilutionem facit, cujus gutta quaevis parte grani decies millesima imbuta est, quam si guttis centenis quatiendo admiscueris, dilutionem accipies, cujus gutta quaelibet partem millies millesimam grani continet, et porro, usque dum ad dilutionem decillionariam veneris, qua in omni morbo, cui nux vomica remedium homoeopathicum est, optime uteris, hujus guttulae partem minimam pro dosi porrigens.)

Sunt aliquot medicamina, pauca quidem, quorum symptomata plurima morborum, qui creberrime, certe in Europa, occurrere solent, symptomatibus plane respondeant et ob eam causam, homoeopathica curatione adhibita, saepissime afferant utilitatem. Polychresta illa vocare possis.

Istis nucis vomicae semina inprimis adnumeranda sunt, quae adhibere olim metuebant medici, quum ingentes doses (ad granum integrum usque) et in morbis incongruis atque hanc ob causam damnose semper propinassent. In omnibus illis morbis, quorum signa diagnostica symptomatibus, ab usu nucis vomicae in sano homine sponte oriundis, satis respondent, parvulisque istis, quas modo diximus, dosibus adhibita fuerint, remedium se praebebunt mitissimum atque saluberrimum.

Huc adhiberi licet regulas quasdam, ab accuratiori multorum annorum usu medico profectas.

Atque ii quidem saepius hoc remedio sanantur, qui sunt animi ad sedulitatem atque impigritatem proclivioris, alacris et ardentis, vel doli, malitiae, irae capaces.

Menstrua si diebus aliquot anticipare, fortasse nimis copiose etiam fluere solent, mala, quae inde remanent vel postea nascuntur, nucis vomicae usui omnino sunt accommodata.

Quam medicinam, horis aliquot ante, quam cubitum eatur, propinatam, mitius quam alio tempore agere vidi; quam ob rem ea, nisi, ubi in mora periculum est, alias adhibeatur nolim. Mane ante jentaculum assumta longe molestissime fertur ab homine sensibiliori, utpote quum symptomata creberrima atque validissima tempore matutino, statim post evigilationem, provocare soleat.

Porro effectus ejus creberrime etiam mox vel statim post cibum captum apparent et inter animi attentionem, quare eam post pastum illico praescribere, ubi vitari potest, male factum sit, nec statim post propinationem animum intendere, meditari seu declamare, legere vel scribere homini licuerit, sed post nucem vomicam sumtam certe horae aliquot ab his rebus liberae praetermittendae erunt, aliter perversam vim exseret atque noxiam.

Praeter ceteros multi morbi chronici, etiam qui a crebro coffeae ac vini potu, maxime dum cubiculo rarius absceditur, et qui a literariis laboribus continuis profecti sunt, nec minus epidemica complura mala febresque aliae acutae, inprimis quae calore frigori antecedente vel intermixto excellunt, seminibus illis sanantur.

Similiter vero hoc potissimum remedium etiam tum utile est, si aegrotus mane pessime se habet et, hora jam tertia matutina experrectus, per plures inde horas idearum copia sponte oblata vigilare coactus, diluculo demum in somnum gravibus somniis plenum incidit, ex quo lassior, quam vesperi cubitum discesserat, et aegre surgit; itemque iis conducit, qui vespere horis pluribus ante, quam in somnum eant, vel dum sedent, quin obdormiscant, facere non possunt.

Quum in aliis quibusdam, tum in hoc medicamine symptomata quaedam omnino vel partim sibi contraria videntur, alternantia quidem, quae ad effectus primi ordinis referenda tamen sunt et multis morbis nucem vomicam congruum remedium reddunt.

Majorum dosium vis per dies quindecim usque durare videtur, quamvis etiam parvarum atque minimarum virtus ante diem octavum vel duodecimum, modo ne ab aliusmodi medicina perturbetur, non soleat exspirare.

Quod quidem remedium ubi, propter dosin nimiam vel usum medicinae homoeopathicae legibus non respondentem, incommoda majora excitaverit, vis ejus celeriter tamen *vino*, *spiritu frumenti* et *camphora* omnino poterit exstingui; praeterea etiam cephalalgiae atque anorexiae inde oriundae *coffea*, symptomatibus paralysis *cocculus*, hyperaesthesi atque asthmati inde profectis, *aconitum*, summaeque morositati et in stomachum propensioni *chamomilla* qua antidota resistent.

Medici quidam, qui, experientiae plane expertes, remediorum vires atque antidota animo tantum fingere hucusque soliti sunt, acetum et acida alia vegetabilia nucis vomicae aliorumque acrioris naturae

remediorum vegetabilium antidota certissima esse declaravere, id, quod de nuce vomica omni, quam et in homine et bestia observare mihi licuit, veritati repugnat. —

Symptomata sequentia satis completa sunt et virium, quas nux vomica in hominis corpus habet, mentem et animum fere summam praebent*).

Gr.

---

*) In quibus indagandis operis hujus auctor paululum adjutus est a viris, disciplina ejus usis, J. G. Flaeming, Fr. Hahnemann et E. Stapf.

Nota interpretis.

Symptomata.

Vertiginis accessus, quasi cerebrum in gyrum vertatur, cum sensuum abolitione momentanea. (*H.*)

Vertigo scotomica, praesertim inter pastum, fere ut si quis ex aëre frigido cubiculum calidum subito intraverit. (*H.*)

Post pastum vertigo inter eundum, stando cessans (post horam primam). (*H.*)

Vertigo gyrans inter pastum. (*H.*)

5. Vertigo, quasi in gyrum vertatur, quando e stomacho ructus nascuntur. (*H.*)

Vertigo, quasi nec audiat, nec videat et casurus sit, inter sternutationem et tussim, vel in erectione capitis post altam pronationem. (*H.*)

Vacillatio inter eundum vertiginosa, quasi ad latus vel retro casurus sit. (*H.*)

Ob vertiginem et scotomiam caput erigendi impotentia, in dorsum reclinati (post horam vicesimam quartam). (*H.*)

Per duas deinceps vesperas vertigo post decubitum, quasi lectus cum ea in gyrum vertatur. (*H.*)

10. Vertigo syncopodes (statim). (*H.*)

Ebrietas. (*H.*)

Ebriosa capitis obtenebratio. (*H.*)

Caput turbidum, quasi a pervigilatione. (*H.*)

Capitis dolor matutinus, quasi a vigilia nocturna. (*H.*)

15. Post prandium capitis obtenebratio, post nychthemeron repetens (post hor. vicesimam quartam, septuagesimam secundam). (*H.*)

Stupiditas in aëre libero et solis ardore. (*H.*)
Capitis dolor stupefaciens mane in lecto inter evigilationem, post surrectionem evanidus (post horam decimam sextam). (*H.*)
Capitis, dum erectum est, stupiditas, dum vero ponitur, sensus in fronte, quasi a pondere prolabente. (*H.*)
Gravitas capitis matutina, ebriosa, vertiginosa. (*H.*)

20. Capitis in pronatione dolor, quasi a pondere prolabente. (*H.*)
Capitis dolor post prandium, e gravitate et pressione compositus, maxime inter oculorum motum (post horam decimam sextam). (*H.*)
Dolor capitis in medio cerebri (premens?), qualis post vomitum oriri solet, depressione palpebrarum emergens. (*H.*)
Capitis dolor premens in fronte, pronatione in mensam allevatus, in aëre libero adgravatus, cum crurum lassitudine inter adscensionem (post horam tertiam). (*H.*)
Capitis dolor mane in lecto supra orbitam oculi dextri premens, quum in latus dextrum incumbit, quum vero in oppositum latus vel in dorsum, evanidus. (*H.*)

25. Capitis dolor in occipite premens post surrectionem in lecto mane. (*H.*)
Experrectus mane, oculis nondum apertis, cephalaeam sentit in medio cerebro (post horam duodecimam). (*H.*)
In intimo capite, regione verticis, dolor trahens, deorsum premens. (*H.*)
Capitis dolor in occipite, cerebrum quasi antrorsum premens vel protrudens. (*H.*)
Capitis dolor coarctans. (*H.*)

30. Capitis dolor dispandens, in decubitu, a minima meditatione. (*H.*)
Ab animi intentione capitis dolor in utroque tempore. (*H.*)
Inter attentionem intensiorem dolor capitis premens et pulsans in vertice. (*H.*)

Mane in lecto capitis dolor, quasi in superficie cerebri, quasi cranium disrumperetur (post horam decimam). (*H.*)

Capitis dolor, e pressione et contusione compositus. (*H.*)

35. Capitis dolor mane in lecto, quasi securi percussum esset, surrectione evanidus. (*H.*)

Sensus, quasi fissum esset cerebrum (post horam octavam). (*H.*)

Capitis in hemicranio dextro dolor, quasi dilaceratum esset, dum mane in lecto in latus sinistrum decumbitur, dum vero in latus dextrum dolens decumbitur, evanidus (post horam quinquagesimam secundam). (*H.*)

Dilacerans cephalalgia ad nasi radicem et maxillam superiorem protensa, eundo aucta. (*H.*)

Dolor lancinans in vertice, in fronte et oculis, cum nausea vomituriente in pectore, deliquescentia cordis et infirmitate loquelae organi (post horam secundam, duodecimam). (*H.*)

40. Capitis dolor tractim lancinans. (*H.*)

Capitis dolor deorsum lancinans juxta aurem (post horam quadragesimam). (*H.*)

Capitis dolor, post pastum, lancinans, cum sensu caloris in genis et frigoris sensu supra corpus, certe in manibus. (*H.*)

Capitis dolor ardens et tractim lancinans, mane (post horam sexagesimam). (*H.*)

Ardor in cerebro subter frontem. (*H.*)

45. Dolor trahens primo in temporibus, tum in fronte, tum in occipite. (*H.*)

Concussionis nec non vibrationis et glocitationis sensus in cerebro inter eundum, inter cursum. (*H.*)

Capitis dolor trahens, vulsorius, mane. (*H.*)

Pulsationes vel ictus aliqui in capite. (*H.*)

Paulo post pastum ictus seu punctus obtusi vehementes in sinistro hemicranio, ab orbita ad os bregmatis et occiput tendentes (post horam decimam). (*H.*)

50. Punctus aliquot vehementes in capite (post horam sextam). (*H.*)
Capitis dolor, horis aliquot ante prandium incipiens et post prandium auctus; tum punctus graves in tempore sinistro cum nausea vomituriente et vomitu acidissimi liquoris; vesperi decubitu omnia evanescunt. (*H.*)
Dolor pungens et premens supra palpebras. (*H.*)
Capitis dolor, quasi a clavo identidem hemicranio sub bregmate magis magisque infixo (post horam primam). (*H.*)
Capitis dolor intolerabilis (ruens?), mane in lecto inter decubitum, incipiens, surgendo evanescens (post horas aliquot). (*H.*)
55. Paulo ante prandium capitis dolor. (*H.*)
Capitis dolor (hemicrania) pomeridianus (a quarta hora ad noctem) cum languore et lassitudine. (*H.*)
Capitis dolor in occipite utrinque foras premens, quasi occiput dirumperetur, cum calore in cerebro, manuum compressione per temporis momentum levatus; per horas viginti (post horam undecimam).
Integumentorum capitis, maxime occipitis, dolor quasi a contusione; capilli in eodem parte horrent et tactu dolent (post horam octavam). (*H.*)
Dolor trahens in partibus capitis externis. (*H.*)
60. Integumentorum capitis dolor, tactu exasperatus. (*H.*)
A vento aspero capitis dolor externus, quasi ab erosione; tactu tamen dolor nullus percipitur (post horam sextam). (*H.*)
In capillitio et facie tubercula seu pustulae rubrae, dolorosae, in apice tandem pus continentes. (*H.*)
Tumores parvuli dolorosi in fronte. (*H.*)
Tractio non dolorifica in facie, inter pronationem corporis nec non vulsionis sensus, quasi a filo tracto, in dextra faciei parte, vesperi. (*H.*)
65. In faciei musculis vulsio, vesperi post decubitum. (*H.*)

Pustulae parvae in buccis. (*H.*)
Facies collapsa, pallida, lurida, subflava; non mutata tamen oculi albedine. (*H.*)
Tensionis sensus in facie circa os, oculos et nasum, cum intumescentia locorum horum conspicua.
Dolor tractim lancinans in palpebris. (*H*)
70. Palpebrarum vibratio. (*H.*)
Constrictionis sensus palpebrarum, quasi a gravitate palpebrae superioris, cum lacrymarum effusione. (*H.*)
Pressio in palpebris superioribus, praesertim mane. (*H.*)
In palpebrae anteriori parte pruritus (post sesquihoram). (*H.*)
Vesperi palpebrarum pruritus in cantho interiori (post horam duodecimam). (*H*)
75. Palpebrarum margo quasi ab attritu seu vulnere dolens, maxime inter tactum et mane (*H.*)
Oculorum canthi, quasi a vulnere, dolorosi. (*H.*)
Oculi canthus internus, quasi ab attritu seu vulnere, dolet (post horam secundam). (*H.*)
Oculorum canthi quasi purulenti. (*H.*)
Oculi canthus externus, mane, quasi pure conglutinatus. (*H.*)
80. Siccitatis et quasi ab ulcere sensus dolorosus in canthis oculorum interioribus, mane in lecto. (*H.*)
Sensus mordax in canthis oculorum internis, quasi a lacrymis acribus, vespere in lecto. (*H.*)
Sensus mordax, ut a sale culinari, in oculis, maxime in cantho externo, cum lacrymis. (*H.*)
Ardor in oculis, sine inflammatione. (*H.*)
Ardor formicans in oculis. (*H.*)
85. In oculo sinistro, quasi a contusione, dolor, cum pituita puriformi in cantho externo (post horam quintam). (*H.*)
Oculorum pruritus; fricatus gratum sensum affert. (*H.*)

Oculi aquei, lacrymis superfusi, ut in lippitudine vel gravedine. (*H.*)
Sanguinis suffusio in bulbi albuginea sine dolore (post horam decimam quartam). (*H.*)
Rubor non dolens in externo oculi sinistri cantho, mane. (*H.*)

90. Exsudatio sanguinis ex oculo. (*H.*)
Tumidi oculi, albuginea rubro radiata, cum dolore premente, tensivo. (*H.*)
Ophthalmia, chemosis. (*H.*)
Lucis fuga. (*H.*)
Intolerabilitas lucis matutina, scotomica. (*H.*)

95. Splendor tremulus — vibratio extra visus aciem, maxime a sinistro latere, horis antemeridianis, (M. Herzii vertigo spuria), (post nychthemeron). (*H.*)
Presbyopia. (*H.*)
Pupillarum contractio (horis primis). (*H.*)
Pupillarum dilatatio cum respiratione lentissima. (*H.*)
In aure interna per tubam Eustachii pruritus, deglutire crebro cogens, noctis quietem turbans. (*H.*)

100. Formicatio reptans, pruriens in aure interna. (*H.*)
Ictus aliquot acuti in aure interna, quasi ab otodynia (post horam sextam). (*H.*)
Punctus in aure mane in lecto, vociferare cogentes (post diem uonnm). (*H.*)
Punctus lancinantes in aurem interiorem directi, circa vesperam (post horam sextam). (*H.*)
Dolor in aure interna, ex ictu et constrictione compositus, quasi ab otodynia (post horam duodecimam). (*H.*)

105. Aurium sibilus tinniens. (*H.*)
Aurium tinnitus (post horam secundam, quartam). (*H.*)
Aurium susurrus, mane post surrectionem (post horam duodecimam). (*H.*)
Aurium strepitus, quasi in fullonica, noctu. (*H.*)
Inter mordendum et maxillarum compressionem

dolor circa aurem internam punctim trahens, crampo similis (post horam quartam). (H.)

110. In musculis masticatoriis et maxillis sensus, quasi trismi nascituri, vel quasi maxillarum constrictarum, motu tamen illaeso. (H.)

Dolor trahens in maxillae musculis. (H.)

In labiorum angulis exulceratio. (H.)

Labiorum cuticulae deglubitio dolorosa (post horam tertiam). (H.)

Super labii superioris margine pustulae prurientes. (H.)

115. Quasi a vulnere sensus in interna labii inferioris parte. (H.)

In interna labii inferioris superficie ulcusculum, tactu dolorosum. (H.)

Ulcus crustosum ardenter dolens in labii rubro. (H.)

In labii margine exulcerationes crustosae, inter eruptionem punctim dolentes. (H.)

In inferioris labii medio rhagas (post horam duodecimam). (H.)

120. Inter pili barbae in labio tactum dolor acutissimus, quasi a festuca inhaerente (post horam quintam). (H.)

Eruptiones miliares, pus includentes, circa labia. (H.)

Tuberculum sub cute in maxillae inferioris superficie externa, tactu tantum dolorosum. (H.)

In mento exanthema pustularum prurientium, pustulis majoribus rubedine circumfusis. (H.)

In menti inferiori parte herpes. (H.)

125. Gingivae tumor. (H.)

Gingivarum tumor dolens, cum pustulis dolentibus in labio interno et in lingua, ut salivationis mercurialis initio. (H.)

Gingivae tumor maximus, cum glocitationis, quasi ab apostemate, sensu doloroso, pastum prohibente, per dies quinque. (H.)

Gingivae tumidae dolor trahens. (H.)

Epulis dentis canini cum dolore tensivo et ardente. (H.)

130. Cum gingivarum tumore dentium dolor ante prandium. (H.)
Gingivae tumor cum dentium dolore sub initium premente (post horam primam). (H.)
Quasi a gingivarum vulnere, dentium dolor, mane. (H.)
Dentium dolor continuus inter eundum in aëre libero, quasi obtusus vulneris sensus, maxime inter oris apertionem. (H.)
Dentium dolor vulsorius et quasi a gingivae tumore proficiscens. (H.)
135. Cum gingiva tumida dentium dolor vulsorius ad pulsus modulationem. (H.)
Dentium dolor continuus, quasi a vulnere, animi intentione auctus et meditatione. (H.)
Dentium dolor vulsorius cum ictibus et torsionibus in aure, mane inter evigilationem et vesperi. (H.)
Post prandium dentium dolor, primo quasi ab ictu seu punctu introrsum, tum sensus intus, quasi ab aestu et susurro, dolorosus, ad oculos usque tendens et inter eundum in aëre libero adgravatus, etiam ad noctem identidem perdurans et dein calidiori genae velamento allevatus; dolor revertens semper sub initium pungit. (H.)
In dentibus pluribus vulsiones singulae, in punctum semper finientes, in aëre libero. (H.)
140. Dentium seriei dolor trahens et simul pungens, maxime dum os aperitur et aër admittitur (post horae quadrantem). (H.)
Dentium dolor trahens et simul pungens in dente incerto. (H.)
Dolor trahens in dente carioso inter linguae suctum. (H.)
In dente carioso dolor ad caput sursum trahens, dum aër ori admittitur. (H.)
Inter inspirationem altam (in aëre libero) dolor, quasi ab aëre ad dentem cariosum admisso. (H.)
145. Dentium dolor trahens modo in superioris, modo in inferioris maxillae dente molari, tum tractio

antrorsum in dentibus ceteris, maxime statim post prandium et coenam, cum maculis rubris, calidis, in genis et collo oriundis, et animo querulo, opprobrandi cupido et desperante. (H.)

Dentium dolor trahens a potu et jusculo calido. (H.)

Dentium dolor lancinans, primo dentem cariosum invadens, tum maxillam totam, modo superiorem, modo inferiorem, tum per faciei ossa in caput penetrans et in tempore ejusdem lateris lancinans — per intervalla accedens, somno aliquamdiu sopitus, ab aqua frigida vel mica in dentem cariosum illapsa recrudescens (post horam secundam). (H.)

Dentium dolor terebratim rodens, nec tactu, nec mordendo ingravescens, neque levatus, aëre libero frigido ducendo minutus, cubiculi calore auctus. (H.)

Dentium dolor subruens inter animi intentionem et meditationem; postea dolor in glandula sub angulo maxillae inferioris, circa vesperam (post horam nonam). (H.)

150. Dolor quasi luxati dentis et vacillantis, cum punctibus singulis, magnis, inter aëris tantum aperto ore accessum perceptis. (H.)

Dentis vacillatio cum obtuso, inter morsum aucto, dolore, sero vespere et mane ante surrectionem e lecto (post horam duodecimam). (H.)

Dentium vacillatio. (H.)

Dens integer vacillans, nec tamen dolens, nisi illidatur. (H.)

Casus dentium, vix ante vacillantium. (H.)

155. Dolor tractim lancinans in maxillis. (H.)

Dolor trahens in colli musculis. (H.)

Lingua alba (post horam vicesimam). (H.)

Loquelae difficultas; aphonia, — clara voce loquendi, impotentia. (H.)

Oris interni anterioris siccitas, maxime linguae apicis. (H.)

160. Mane in ore siccitas, sine siti, quasi a potu spirituoso hesterno die hausto. (H.)

Oris siccitas post mediam noctem, quasi lingua palato haereat, sine siti, tamen cum salivae in faucibus copia (post horam quintam). (H.)
Pustulae ac vesiculae dolentes in anteriore palati parte, pone dentes incisivos superiores (post horam quadragesimam), nec non in lingua (post horam sextam). (H.)
Pituita os et fauces obducta mane cum cerumine in canthis oculorum (post horam decimam sextam). (H.)
Asperitatis et quasi a vulnere sensus in velo palatino. (H.)

165. Pituitosum et quasi a crudo vulnere dolens os internum; gingiva, lingua et palatum, ut a liquore acri. (H.)
Veli palatini tumor cum dolore premente, vel extra deglutitionem, et aspritudinis mordacis sensu pone palati velum (post horam tricesimam secundam). (H.)
Tumor veli palatini et uvulae, quasi a muco inhaerente, maxime inter deglutitionem perceptus (post horam octavam). (H.)
Angina, quasi a tumore in palato, potu intermittens. (H.)
Angina; dolor premens in gula inter deglutitionem salivae tantum, non escarum. (H.)

170. Angina; mane vel in lecto sensus in pharynge, quasi a tumore, magis inter deglutitionem, quam extra eam. (H.)
Punctus singuli in latere colli extra deglutitionem, maxime inter pronationem et adscensionem scalarum (post horam primam, vicesimam quartam). (H.)
Dolor pruritive pungens in pharynge ad aures usque, inter deglutitionem et maxillarum motum. (H.)
Angina uvularis et glandularum submaxillarium; pungens inter deglutitionem dolor, cum horrore diurno, sudore nocturno et cephalaea. (H.)
Angina; quasi a paxillo inhaerente dolor, magis extra deglutitionem perceptus, quam inter eam. (H.)

175. Angina; aspritudo faucium cruda non nisi inter aëris frigidi haustum et deglutitionem. (H.)
Angina; sensus crudus inter deglutitionem (sine punctione). (H.)
In faucibus ardor, ut a soda. (H.)
Ebullitio ardens ad os usque. (H.)
Noctu in pharynge ardor, ad sedendum cogens, decubitu ingravescens. (H.)

180. In oesophago ardor ad os usque. (H.)
Pyrosis. (H.)
In gula et laryngis ostio asperitatis sensus, quasi a soda rancida (post horam octavam). (H.)
Soda rancida, quasi a cibis pinguibus, olidis, superflue sumtis (post horam sextam). (H.)
Rasionis sensus in gula, qualis post sodam remanet. (H.)

185. Rasio scalpens in faucibus, inter deglutiendum cessans. (H.)
Copiosus salivae affluxus in ore (horis primis duodecim). (H.)
(Ut in verminatione) salivae aqueae copiosus effluxus ex ore, maxime inter pronationem, sine nausea vomituriente. (H.)
Salivae ex ore effluxus inter somnum (post horam vigesimam). (H.)
Saliva sanguinea. (H.)

190. Exspuitio sanguinis fusci, paene grumosi, primum hora secunda matutina, tum hora eadem pomeridiana, cum sapore singulari in ore et cum odore, ut a sanguine in naribus; simulque emungendis naribus sanguinis paulum prolicitur. (H.)
Sapor acidus in ore, maxime mane, acidusque inde odor. (H.)
Ingesta omnia acidum in ore relinquunt saporem. (H.)
Statim post ciborum, qui rite sapiunt, deglutitionem acidus in ore sapor oritur. (H.)
Panis secalis et similaginei sapor acidus, non reliquorum ciborum. (H.)

195. Lactis potus, saporem in ore acidulum relinquens, acidum ventriculi gignere videtur. (H.)
Screatus salsae pituitae. (H.)
Sapor in ore foedus. (H.)
Foedus, ex herbaceo et metallico compositus, pituitosus sapor in ore, cum tristitia et languore, mane. (H.)
Sapor in faucibus nauseosus, herbaceus, quasi foliorum dauci (post horam primam). (H.)

200. Cerevisiae sapor herbaceus. (H.)
In ore sapor, quasi ventriculo corrupto. (H.)
Sapor lactis, quasi corruptum sit, ingratus, mane. (H.)
Expergefactus mane faucibus torridis, post surrectionem ex ore foetorem sentit. (H.)
Post ructum ex ore halitus foetere ei videtur. (H.)

205. Inter screatum sapor putridus altis in faucibus (post horam secundam). (H.)
Putridus in ore sapor. (H.)
Mane ante pastum in ore sapor putridus, post pastum evanidus. (H.)
Sapor in ore putridus mane, quasi a dentibus cariosis. (H.)
Foetor oris mane, integro escarum et potionum sapore. (H.)

210. Mane in ore sapor amarus; integer escarum atque potionum. (H.)
Sapor in ore amarus, non ciborum. (H.)
Salivae sputum amarum. (H.)
Panis sapor fumidus. (H.)
Inter edendum, paululum vel nihil sapit; ciborum sapor omnino ei videtur deletus. (H.)

215. Lactis (mane), carnium, coffeae (post horam tertiam) sapor nullus. (H.)
Ciborum appetentia deminuta; pastus sine appetitu. (H.)
Anorexia cibi (statim). (H.)
Anorexia panis aciduli. (H.)
Nausea maxima panis secalis, a quo salivae affluxus in ore oritur. (H.)

220. Ciborum atque potionum nausea. (H.)
Eundo (per semihoram) appetitus evanescit. (H.)
A cibo, potu et a tabaci fumo consueto nec non a coffea abhorrescentia. (H.)
Sitis pomeridiana atque vespertina. (H.)
Sitis et tamen potus, sive aquae sive cerevisiae, anorexia. (H.)

225. A tabaci fumo hausto nausea vomituriens (post horam tertiam, octavam). (H.)
Fames cum inappetentia ciborum. (H.)
Hora ante prandium ingratus in ventriculo et abdomine sensus, quasi ab inanitate, cum fame. (H.)
Fames canina pomeridiana per intervalla rediens, maxime post cerevisiae triticeae potum; minimus (ejus) haustus famem gignit, qua neglecta quasi satietatis et plenitudinis sensus oritur. (H.)
Fames; sed post pastum minimum satietas nimia (post horam tertiam). (H.)

230. Post pastum quasi ab aegritudine sensus et quasi, nulla affectae valetudinis ratione habita, cibi nimium sumsisset. (H.)
Post pastum in ventriculo pressio, sapore metallico et herbaceo redeunte. (H.)
Post pastum animus non contentus, tristis. (H.)
Post pastum hypochondriasis et animus minima quaeque moleste ferens. (H.)
Post prandium et coenam frigus; post illud etiam frigiditas. (H.)

235. Post prandium, maxime in facie, caloris multum, ex abdomine adscendere visi; sudor maximus supra totum dorsum. (H.)
Post pastum genarum calor et rubor, cum capitis oppressione. (H.)
Post pastum calor in genis externus, cum majori interno sensu caloris (ardoris) in genis, pupillis maxime dilatabilibus, lucem fugientibus, et frigore in brachiis cum cute anserina (post horam tertiam). (H.)
Post prandium in posteriori gulae parte siccitas magna. (H.)

Inter prandium in capite calor. (H.)

240. Inter prandium animi deliquium quasi cum nausea vomituriente et calore volatico, decubitu penitus evanescens. (H.)

Inter pastum in fronte et capillitio sudor (post horam secundam). (H.)

Post prandium subita deliquescentia nauseosa; tum cum vertigine in lipothymiam propensio; serius ructus multi sine sapore et odore (post diem decimum tertium). (H.)

Ructus post pastum et potum. (H.)

Ructus creberrimi. (H.)

245. Ructus dolorosi. (H.)

In ructus propensio frequens, frustranea; inde, quasi oesophagus a spasmo quodam constringatur, sensus. (H.)

Post pastum, aquei liquoris regurgitatio. (H.)

Ructus amarus jejuni. (H.)

Regurgitatio amari et acidi liquoris (post horam sextam). (H.)

250. Eructatio liquoris amaro-acidi, noctu (post horam duodecimam). (H.)

Post ambulationem matutinam ad linguam usque saporis acidi ructus. (H.)

Post pastum (horis tribus) ructus acidi saporis et odoris, cum oscitatione (post hor. octavam). (H.)

Singultus creber, sine causa. (H.)

Singultus ante prandium (post nychthemeron). (H.)

255. Temperatura justa corporis cum siti; potulenta tamen ventriculum aggravant (post horam sextam). (H.)

Potus appetentia et gratus sapor, sed paulo post nausea vomituriens, vespere (post horam duodecimam). (H.)

Nauseam vomiturientem sentit, dum esura est. (H.)

Hora ante prandium nausea vomituriens (post horam decimam sextam). (H.)

Nausea vomituriens adeo mane. (H.)

260. Mane deliquescentia cordis nauseosa cum salivatione; pomeridiano tempore horrores. (H.)
Nausea vomituriens matutina, hinc inde per corpus tensiva, quasi a tumultuante intus motu universali (post horam duodecimam). (H.)
Post pastum deliquescentia cordis anxia, nauseosa et, quasi a purgante fortiori, aegritudo, a scrobiculo adscendens. (H.)
Post pastum statim nausea ingestorum, maxime, si non recumbit. (H.)
Post prandium nausea vomituriens (post horam quadragesimam). (H.)
265. Nausea vomituriens pomeridiana (hora quinta) (post horam vicesimam). (H.)
Pomeridiana in scrobiculo nausea vomituriens, non tamen ad vomitum (post diem tertium). (H.)
Deliquescentia post pastum nauseabunda. (H.)
Statim post pastum vomituritio. (H.)
Post prandium ac potum nausea vomituriens, tum sitis et post potionem, quasi a tumore, abdomen inflatum. (H.)
270. Inter screatum, quasi ad vomitum, motus (post horam quartum). (H.)
Pituitae acidae vomitus antemeridianus (post horam vicesimam). (H.)
Vomitus pituitae acidi odoris et saporis circa vesperam, cum cephalaea quasi lancinante (?) inferioris cranii partis circumcirca (post horam nonam). (H.)
Vomitus cruentus seu e ventriculo sanguinis eructatio (post horam primam). (H.)
Vomitus creber (post horam primam).
275. Dolor premens spasmodicus a gula ad scrobiculum usque, mane. (H.)
Rasio in scrobiculo. (H.)
Cardialgia diuturna. (H.)
In ventriculo, quasi a lapide, pressio. (H.)
Post pastum minimum in ventriculo pressio (mane). (H.)
280. Statim post pastum dolor in regione ventriculi premens, quasi a satietate nimia (post h. quintam). (H.)

Post pastum: in scrobiculo et abdomine pressio, cum meteorismo. (H.)

Statim post potum: in scrobiculo pressio, respirationem angustam gignens, cum abdominis inflatione (post horam secundam). (H.)

Digitis aliquot infra scrobiculum pressio, ructus afferens. (H.)

Infra scrobiculum pressio, maxime post ambulationem in aëre libero, inter sedendum non nisi post horae quadrantem cessans. (H.)

285. Mane: in scrobiculo pressio, tum tormina disscindentia et nausea vomituriens longa (post nychthemeron). (H.)

Mane, quasi a lapide pressio in epigastrio, eundo aucta, sessu diminuta (post horam decimam quartam). (H.)

Tensio in ventriculo et epigastrio, post meridiem (hora tertia); tum in toto abdomine quasi a crudo vulnere dolor. (H.)

In abdomine dolor tractim tensivus. (H.)

Inter eundum, inter gressus singulos, in abdomine, quasi ab ulcere vel a vulnere, dolor. (H.)

290. Quasi a vestibus nimium constringatur, in epigastrio dolor. (H.)

D o l o r v e n t r i c u l i c o n s t r i n g e n s, c o a r c t a n s. (H.)

Post tormina coarctanter prementia et fermentantes in hypogastrio borborygmos diarrhoea aquosa, multo mane (post nychthemeron). (H.)

D o l o r c o n s t r i n g e n s i n h y p o c h o n d r i i s (post horam sextam, duodecimam). (H.)

D o l o r c o n s t r i n g e n s i n a b d o m i n e. (H.)

295. Post pastum minimum et vel sub pastus initio in epigastrio plenitudo. (H.)

Sub costis spuriis sensus, quasi a tumore. (H.)

S c r o b i c u l i e x p a n s i o, t a c t u d o l o r o s i. (H.)

Sensus, quasi quid in regione ventriculi circumvertatur. (H.)

Ad ventriculum pulsatio — pulsationis post coe-

nam sensus, tactu maxime perceptibilis (post nychthemeron). (H.)

300. In hepatis regione et infra eam pulsans, quasi ab apostemate nascituro, dolor. (H.)

Icterus cum nausea ciborum et accessibus lipothymiae brevibus, morbosa debilitate subsequa. (H.)

In hepatis regione dolor pungens (post horas aliquot). (H.)

Frigus hepatis regionem perreptans, quasi formicatio a scarabaeis. (H.)

In sinistro abdominis latere dolor spasmodicus, cum deliquescentia, maxime in scrobiculo percepta. (H.)

305. Contractionis et relaxationis vicissitudines subter hypochondriis. (H.)

Sensus in abdomine apprehendens, subigens, fodiens. (H.)

Inter pastum dolor apprehendens et tormina circa umbilicum. (H.)

Sensus tractionis ab extremitatibus ad umbilicum usque, et tum in hac regione subactionis seu depsitionis. (H.)

Spasmus ventriculi corripiens post mediam noctem, circa mane, quasi a purgante — tum in ardorem degenerans scrobiculi. (H.)

310. Stomachi ardor ejusque sensus in scrobiculo, sursum adscendens. (H.)

Ardor quidam cum frigiditatis sensu conjunctus (quasi a nitro in lingua) a scrobiculo ad gulam usque, maxime noctu. (H.)

Paulo post coenam dolor ardens in scrobiculo et infra, cum anxietate. (H.)

Aucti in abdomine caloris sensus, mane. (H.)

Calor internus in abdomine non ingratus, et sensus ibidem, quasi quid sese explicaret et moveret. (H.)

315. Ebullitio in abdomine, sursum adscendens, temperatura justa. (H.)

Paulo ante prandium in scrobiculo, quasi a conquassatione, dolor, pastu evanescens. (H.)

Mane in lecto tormina, quasi ab intestinorum conquassatione, etiam in lumbis, cum nausea quadam. (H.)
Dolor in ventriculo lancinans. (H.)
Colica flatulenta in epigastrio, vesperi post decubitum (post horam quintam, decimam, decimam tertiam). (H.)

320. Flatuum adscensio in abdomine et restagnatio ad hypochondria (post horam vigesimam). (H.)
In abdomine et imo hypogastrio, quasi a flatuum incarceratione, tormina, cum ossis sacri doloribus, mane. (H.)
Post sedem colica flatulenta, quasi a lapide, hic illic in intestinis duriter premente (post horam quartam). (H.)
In hypogastrio, quasi ab inflatione, pressio inter inspirationem, loquelam atque tactum. (H.)
Post pastum (post horam duodecimam) et post potum statim abdominis inflatio flatulenta. (H.)

325. Ingesta omnia in flatus converti videntur, qui sursum adscendunt et anxietatem creant. (H.)
Flatus in pectus adscendere, idem angustare et hic illic dolorem punctim prementem gignere videntur (statim). (H.)
Bene mane, flatuum tumultus in abdomine (post horam decimam octavam). (H.)
In abdomine, quasi a ranis, borborygmi. (H.)
Mane in lecto colica flatulenta spasmodica, cum torminibus uti forcipe prementibus et borborygmis, simul calor volarum plantarumque (post horam vicesimam). (H.)

330. Borborygmi in abdomine sonori cum interno, quasi a sede instante, motu, debilitatem creante et decumbere cogente. (H.)
In abdomine hic illic flatus anxie prementes.
Ponderis sensus in abdomine. (H.)
In abdomine, quasi prolapsurum sit, sensus, lentius incedere cogens. (H.)

Sensus in abdomine inter eundum, quasi intestina fluctuarent. (H.)

335. Inter dolores abdominales siccitatis sensus in labiis et calor faciei. (H.)

Dolor in abdomine pungens (post horam quartam, sextam). (H.)

In sinistro abdominis latere punctus inter altam inspirationem. (H.)

Punctus in abdominis latere inter motum. (H.)

Punctus in dextro abdominis latere, respirationem prohibens et manus impressione cessans, ante meridiem. (H.)

340. In imo hypogastrio colica quaedam flatulenta; pressiones acutae, quasi ab instrumento disscindente seu pungente, in vesicam, ejus collum, urethrae initium, perinaeum, intestinum rectum et anum, tanquam ex omnibus his partibus flatus disscindentes essent erupturi; intolerabiles quovis gressu (incurvato trunco ire cogentes), inter quietem, sessum et decubitum mox evanidae. (H.)

Tormina disscindentia cum vomituritione. (H.)

Tormina disscindentia continua in hypogastrio, in epigastrium adscendentia ibique apprehendentia. (H.)

In hypogastrio tormina disscindentia cum vomituritione, sapore dulcicule-nauseoso oris, languore et dormituritione ingenti, mane, post nychthemeron redeuntia (post semihoram, nychthemeron). (H.)

Dolor ardenter disscindens, magis in hypogastrio et saepius inter motum. (H.)

345. Tormina, in aëre libero, tanquam a refrigerio. (H.)

Tormina, quasi a refrigerio diarrhoea esset nascitura (post horam quintam). (H.)

Tormina uti forcipe prementia (post horam primam). (H.)

Post coffeae potum tormina uti forcipe prementia,

quasi a verme, resupinatione trunci evanida, pronatione revocata (post horam primam). (H.)

Uti forcipe premens et lancinans dolor in abdomine, ad pectus tendens (post horam primam). (H.)

350. Tormina tractim lancinantia, interdum ab utroque latere in pubis regionem convergentia. (H.)

Depressio in partes genitales, etiam inter eundum in aëre libero, et constrictio in hypogastrio. (H.)

Spasmus constringens in abdomine et utero, quasi quid intus capesseret et corriperet (menstruatione aucta, sanguine menstruali frustis grumosis decedente). (H.)

Debilitatis sensus in annulo abdominali, tanquam ab hernia nascitura (post horam vicesimam). (H.)

In annulo abdominali dolor, quasi hernia incarceretur, mane in lecto. (H.)

355. Herniae inguinalis molimina (post horam quintam, septimam, octavam). (H.)

Vulsio et palpitatio sub cute abdominis musculorum. (H.)

A contusione quasi dolor musculorum abdominalium, tactu et motu tantum perceptus. (H.)

Abdominis musculi, quasi a contusione, dolorosi, maxime inter motum. (H.)

Abdomen tactu dolorosum. (H.)

360. Diarrhoea coloris fuscioris, maxime mane et statim post pastum (prandium). (H.)

Dejectio excrementorum pituita alba involutorum. (H.)

Sedes acres, diarrhoicae, matutinae, parvae, anum erodentes *). (H.)

---

*) Sympt. 360. et 362. Continuo largae, diarrhoicae sedes — quae diarrhoeae proprie nominari solent — a primariis nucis vomicae seminum viribus, quantum ego quidem observavi, nunquam possunt effici; et quae hic diarrhoeae nomine signantur symptomata, partim parvulae, plerumque pituitosae sunt egestiones cum tenesmo et pressione, partim, si larga erat excrementorum egestio diarrhoica, a

Egestiones diarrhoicae pituitae viridis (post nychthemeron). (H.)

Post alvum depositam in ano dolor mordax et tanquam a vulnere, vesperi (post horam decimam).

365. Horis aliquot post sedem ardens et quasi ab erosione dolor, ut si vulnus incideretur, in ano, tanquam ab haemorrhoidibus. (H.)

Alvus difficilis cum ardore. (H.)

Ardens dolor in ano, externe, statim post sedem (post horam vicesimam). (H.)

Post tormina dejectio pituitae fuscae, cum ardore mordaci in ano (post horam octavam). (H.)

Egestiones parvae, crebrae. (H.)

370. Depositio excrementorum primum ex mollibus et fluidis, tum e duris partibus constantium (post horam vicesimam). (H.)

Ante meridiem, inter flatuum eruptionem, sedis fluidae involuntaria decessio, tum excrementa dura. (H.)

Egestio excrementorum, e duris et mollibus constantium, flatibus intermixtis, mane et post pastum (et potum). (H.)

Excrementa dura, crassa (post nychthemeron). (H.)

Constipatio. (H.)

375. Alvi suppressio et simul sanguinis ad caput congestio. (H.)

Constipatio, tanquam ab intestinorum constrictione. (H.)

Alvus suppressa, quasi ab intestinorum segnitie. (H.)

Nisus alvum deponendi anxius (post horam sextam). (H.)

Cacaturitio inanis. (H.)

380. Post sedem justam cacaturitio crebra inanis. (H.)

Dolor premens in hypogastrio, maxime versus anum. (H.)

---

viribus secundariis ea dependebat, aut in aegroto observabatur, qui antea alvo adstricta et suppressa laboraverat cum cacaturitione inani.

Cum dolore leniter uti forcipe premente quotidie ter et quater alvum exonerandi nisus, saepe inanis, et quidquid decedit, molle est. (H.)

Inter sedem sensus, quasi quid excrementorum remaneat, nec satis eorum decedat, cum intestini recti, non vero ani, constricti sensu. (H.)

Ante sedem in intestino recto pressio. (H.)

385. Inter alvum deponendam pressio magis in uterum (tanquam ad foetum extrudendum), minus in intestinum rectum. (H.)

Dum est alvum depositura, in epigastrio dolor capessens. (H.)

Excrementa durissima, sicca et paulo post in recto punctus, tanquam ab haemorrhoidibus (post horam decimam quartam). (H.)

Haemorrhoides caecae (post horam sextam). (H.)

Brevia haemorrhoidum molimina (post horam octavam). (H.)

390. Cum excrementis alvinis sanguinis excretio. (H.)

Cum pituita tenaci et striis sanguineis mixta excrementa albida (post horam primam, secundam). (H.)

Excrementis sanguine obductis materiae pituitosae paulum admixtum. (H.)

Cum sensu angustati et constricti intestini recti, inter sedem, cum excrementis sanguis limpidus decedit (post horam quadragesimam octavam). (H.)

Ex ano haemorrhagia. (H.)

395. Post pastum et meditationem dolor lancinatim pungens et vehementer constringens in recto et ano, tanquam a haemorrhoidibus caecis vehementibus (post horam trigesimam octavam). (H.)

Ardor et punctus in intestino recto, cum varicibus haemorrhoidalibus ad anum (post horam secundam). (H.)

Dolor acute premens in intestino recto, post sedem et post pastum, maxime inter animi intentiones. (H.)

Dolor acute premens in intestino recto, ante sedem, mane (post horam decimam sextam). (H.)

Proctalgia, quasi ab alvi constrictione, post pastum vesperi, flatibus decedentibus identidem levata (post horam quartam). (H.)

400. Dolor premens in intestino recto et ani interiori parte, vesperi (post horam undecimam). (H.)

Dolor vehementer premens, respirationem prohibens, profundus in intestino recto, circa mediam noctem (post horam decimam sextam). (H.)

Mane post surrectionem constrictio intestini recti et ani dolorosa (post horam decimam). (H.)

Constrictionis sensus in intestino recto, interdum alvum deponendi nisui similis. (H.)

Constrictio et angustia intestini recti, excrementorum decessum impediens. (H.)

405. Vulsio in ano extra sedem. (H.)

In ano pruritus, — excrementa alvina maxime calida visa. (H.)

Pruritus suaviter titillans sed intolerabilis in intestino recto ad anum usque (post horam tertiam). (H.)

Formicatio et pruritus titillans in intestino recto et ano, ut ab ascaridibus, etiam noctu. (H.)

In ani limbo pruritus, in dolorem, quasi ab attritu et erosione uti a haemorrhoidibus caecis, invalescens (post semihoram). (H.)

410. Pruritus ani, cum dolore uti vulneris conjunctus, ut in haemorrhoidibus, vesperi inter eundum (post horam tricesimam). (H.)

In perinaeo post meridiationem pruritus (post horam decimam sextam), post prandium dolor premens (post horam secundam). (H.)

Micturitio. (H.)

Micturitio dolorosa, inanis *). (H.)

Urina aquea (post horam tertiam). (H.)

415. Urinae mictus pallidae, postremo materies spissior, albida, puri similis, decedit, cum dolore vehementer ardente (post hor. decimam sextam). (H.)

---

*) Mictus copiosus ab hoc medicamine non, nisi vi secundaria, salutari efficitur in aegroto, antea affectione contraria laborante.

Inter mictum cum urina effluxus pituitae tenacissimae e vesica urinaria, sine dolore (post diem nonum, duodecimum). (H.)
Ante mictum in vesicae collo dolor. (H.)
Post mictum in vesicae collo pressio. (H.)
Inter mictum in vesicae collo dolor ardens et lancinans. (H.)

420. Inter mictum ardor, extra mictum vero lancinans in urethra dolor. (H.)
Inter mictum in urethra pruritus. (H.)
Extra mictum in urethra versus orificium dolor premens cum horrore (post horam quartam). (H.)
Extra mictionem, mane et inter meditationem, in anteriori urethrae parte dolor constringens retroversus. (H.)
Ante mincturam in urethra dolor ardenter pungens, post prandium. (H.)

425. Statim ante, quum micturus est, in urethra punctio seu vulsio. (H.)
Ante mictum vel post eum urethrae orificium, quasi a vulnere, dolet. (H.)
Post mictionem in glandis apice, quasi a vulnere, dolor. (H.)
In glande penis mane pruritus, etiam dolor mordax nec non pruritus mordax (post horam secundam). (H.)
In glande penis pruritus exedens, vesperi et mane. (H.)

430. Pruritus ardens in penis glandis posteriori parte (post horam sextam). (H.)
Smegmatis pone glandis coronam secretio copiosior. (H.)
In praeputii interna facie pruritus mordax, maxime circa vesperam (post sesquihoram). (H)
Praeputii limbi intertrigo, maxime circa vesperam (post sesquihoram). (H.)
Intertrigo in inguine. (H.)

435. Exanthema exedens pruriens in vulva; pruritus in scroto (post horam secundam). (H.)

Calor in testiculis (post horam quartam). (H.)
Punctus in testiculis. (H.)
Dolor testiculorum constringens (post horam secundam). (H.)
Pollutio nocturna inter somnia lasciva (post horam quadragesimam octavam). (H.)

440. Pollutiones nocturnae, diuturna pedum frigiditate, nec motu delenda, subsequa (post horam sextam). (H.)
Pollutio nocturna sine erectione, partium inferiorum languore subsequo (post horam tricesimam sextam). (H.)
Tentigo diuturna, rigiditas penis. (H.)
Tentigo post somnum (meridiationem). (H.)
Omni mane per plures dies tentigo. (H.)

445. Ad coitum propensio, at inter coitum impotentia et penis dissolutio oritur. (H.)
Ex levi irritamento vel levi feminae tactu oestrus venereus, maxime mane in lecto (post horam octavam). (H.)
Circa vesicae collum, mane in lecto, ardor pruriens, rei venereae appetitum mentiens (post horam undevicesimam). (H.)
In feminalibus ardor cum appetitu rei venereae ingenti (post horam decimam quintam). (H.)
Pudendorum irritatio sponte et nisus ad seminis emissionem, post surrectionem e lecto mane. (H.)

450. Post coitum statim calor siccus in toto corpore, cum denudationis fuga orisque siccitate sine siti (post horam quintam). (H.)
Blennorrhagia urethrae. (H.)
E pudendis blennorrhoea foetida. (H.)
Leucorrhoea flava sine dolore ex uteri vagina. (H.)
Vulvae tumor internus, quasi a prolapsu uteri cum dolore ardente, tactum externum non patiente. (H.)

455. Mane in lecto, quasi ex pudendis foras aliquid premeretur, sensus. (H.)

Menstruum tribus diebus anticipatum, cum spasmis abdominis (post horam septuagesimam secundam). (H.)
Menstrua tribus diebus anticipata, sed breviora et pauciora. (H.)
Menstrua quatuor diebus anticipata (post horam tertiam), simul parciora. (H.)
Menstruum, quod uno die ante jam cessaverat, ad horas aliquot reducitur (post hor. tertiam). (H.)

460. Menstruum quarto decimo die redit. (H.)
Menstruum plenilunii tempore redit. (H.)
Menstruum, per sex hebdomades suppressum, plenilunii tempore iteratur. (H.)
Inter menstruum mane nausea vomituriens, cum frigore et lipothymiae accessibus. (H.)
Post menstrui eruptionem, mane post surrectionem, lipothymiae, spasmodicis motibus in abdomine antecedentibus, languore et frigore inter surrectionem e lecto subsequis (post diem decimum). (H.)

465. Inter menstrua virium decrementum (hora secunda pomeridiana) cum cephalaea, quasi oculi e capite casuri essent; caput sustentandi impotentia cum frigore incipiente et ad concussiones usque ingravescente, post horam cum labiis siccis, calore interno ardenti subsequo. (H.)
Menstrui tempore in occipite quasi ab ulcere et apostemate dolor, inter decubitum multo vehementior, quam post surrectionem e lecto. (H.)
Inter menstruationem dolor foras premens in abdominis latere (post horam decimam). (H.)
Inter menstruum e somno experrectae in brachio sinistro et femore dextro dolor lancinans, post meridiem. (H.)
Menstrui tempore formicatio in gula sursum, vesperi post decubitum. (H.)

---

470. Narium internarum hyperaesthesia dolorosa. (H.)
Narium limbi, quasi a vulnere et ulcere, circumcirca dolent nasi motu, maxime vesperi. (H.)

Narium anguli anteriores tanquam ab exulceratione dolorosi, et quasi vulnus incideretur (post horam primam, decimam). (H.)
Odor vitiatus; quae circa sunt, caseum putridum olere videntur. (H.)
Mucus narium sanguinolentus (post horam primam). (H.)
475. Epistaxis diuturna. (H.)
Sanguinis grumosi e naribus excretio matutina. (H.)
Liquoris acris excretio e naribus. (H.)
Naris stillicidium sine coryza. (H.)
Copiosum naris alterutrius stillicidium, obturatae quasi a gravedine (post horam primam). (H.)
480. Copiosum ambarum narium stillicidinm, quasi a gravedine obturatarum (post horam vicesimam). (H.)
Diurna destillatio cum gravedine nocturna. (H.)
Gravedo matutina cum oris siccitate summa. (H.)
Calor in capite ingens, quasi a coryza, cum gena rubra et e naribus destillatione mucosa (post horam secundam, tertiam). (H.)
In naribus calor continuus cum repetitis coryzae moliminibus. (H.)
485. Sternutatio et coryza vera cum rasione in larynge eademque cum formicationis sensu in naribus (post horam primam). (H.)
Coryza mane et post prandium. (H.)
Obturatarum narium pruritus, ut in gravedine. (H.)
E naribus anima foetida. (H.)
Inter pronationem vertigo et anima foetida ex ore. (H.)
490. Halitus foetidus ex ore, quem ipse non sentit, mane, lingua pura, sapore integro (post horas aliquot). (H.)
Halitus acidus pulmonum. (H.)
Anima foetida post prandium (post horam tricesimam sextam). (H.)
Pituitae per screatum e trachea ejectio sine tussi. (H.)

Catarrhus cum cephalaea, faciei calore, frigoris sensu et copiosa in larynge pituita. (H.)

495. Vesperi ante decubitum catarrhus siccus dolorosus laryngis (post horam trigesimam sextam). (H.)

Mane catarrhosam pectoris affectionem persentit, ita ut tussis ope sputa non prodeant, quin dolorem in trachea percipiat (post horam decimam quartam). (H.)

Pituita, bronchia angustans, tussi non solvitur (post horam decimam sextam); etiam mane inter surrectionem pituitae tenacis superiori laryngis parti adhaerentis sensus. (H.)

Multo mane in larynge catarrhus siccus, dolorosus, aucto manuum ac pedum calore, primo denudari appetentium, post horam obtegi gestientium, tum diaphoresis universalis (et catarrhus evanidus) (post horam vigesimam). (H.)

Mane in lecto raucedo et tussis catarrhalis cum dolore tracheae in loco, ex quo mucus tussi solutus provenisse videtur; surrectione symptomata mitigantur (post horam decimam). (H.)

500. Rasionis sensus in pectore, screatum provocans. (H.)

Tussicula brevi voluntaria ejicit pituitam, quae laryngem angustare sibi videbatur. (H.)

Pituita, in summa parte laryngis haerens, tussim, et titillatio in veli palati regione tussim siccam proritans (post hor. quadragesimam octavam). (H.)

Asperitudinis et rasionis sensus in faucibus, tussim proliciens. (H.)

Asperitudo faucium tussifera. (H.)

505. Rauca et aspera tussis. (H.)

Pruritus laryngis, tussim provocans. (H.)

Titillatio pruriens tussifera in bronchiis sub sterno medio (post horae quadrantes tres). (H.)

Tussis inter corporis motum (post horam quadragesimam octavam). (H.)

Inter exspirationem titillatio, tussim proritans. (H.)

510. Inter legendum et meditationem tussis. (H.)

Tussis vehemens altero quoque die. (H.)
Post pastum tussis. (H.)
Tussis sicca a media nocte ad solis ortum usque. (H.)
Vehemens tussis siccae accessus, vespere post decubitum et multo mane (post horam duodecimam). (H.)

515. Tussis valida matutina ante surrectionem, cum ejectione sanguinis grumosi et pectoris dolore (post horam decimam octavam). (H.)
Tussis nocturna; bronchia pituita coarctari videntur. (H.)
Tussis nocturna. (H.)
Tussis nocturna, somnum impediens. (H.)
Tussis somnum impedit et obdormituram expergit ad mediam noctem usque; tum somnus quietus. (H.)

520. Tussis sicca indesinens, lacessens, circa mediam noctem in dorso decumbentis, in latere vero evanida. (post horam quintam). (H.)
Tussis in aëre libero expectorans*). (H.)
Tussis cum expectoratione dulcicula. (H.)
Dolor in faucibus, in colli scrobiculi regione, quasi ab acredine, non nisi inter tussim (post horam secundam). (H.)
Inter tussim cum vulneris sensu punctus. (H.)

525. Inter tussim dolor capitis, quasi cranium disrumperetur. (H.)
In tussi dolor epigastrii, quasi a contusione. (H.)
Tussis calorem excitans. (H.)
A respirationis angustia tussicula laryngea. (H.)
Asthma; non satis cito spiritum ducere potest vel in decumbendo, inter pulsum velocem. (H.)

530. Asthmatica per pectus transversum angustatio constringens, inter eundum et adscensionem. (H.)

---

*) Tussis expectorans viribus hujus medicaminis sanantibus (secundariis) tantummodo est tribuenda.

Inter adscensionem scalarum angustia pectoris, quasi a vestibus constricti, sessu evanescens. (H.)
Vestibus corpus arctius paulo infra costas cingentibus, angusto inter eundum pectore respirat, modice vero relaxatis, liberius; sed plane exutis respiratio rursus fit gravior et angustior. (H.)
Vestes supra coxas cinctae nimis arcte corpus cingere et constringere continuo videntur. (H.)
Asthma sive pectoris angustia, vesperi et mane. (H.)

535. Pectoris constrictio vespertina. (H.)
Asthma et anxietas sensim per aliquot horas crescens, respiratione sensim breviore et breviore, sudoribus identidem e toto corpore erumpentibus. (H.)
Noctu, somniis terribilibus excitati asthma; vix spiritum ducere potest, inter susurrum aurium et pulsum velocem ac sudorem. (H.)
Decumbendo in dorsum asthma, in latus dextrum vero decumbendo capitis dolor, mane in lecto. (H.)
In pectore, tactu non dolente, lassitudo aliquantulum dolorosa, trunci resupinatione levata (post horam quadragesimam octavam). (H.)

540. Post prandium asthma, respirationem lentam, profundam gignens; horis aliquot post respiratio cita (post hor. vicesimam sextam, tricesimam). (H.)
Inter respirationem lentissimam pupillarum dilatatio. (H.)
Noctu in lecto, pectoris, quasi constricti, angustia. (H.)
Statim post prandium paulo infra umbilicum, quasi a lapide, dolor, respirationem difficilem reddens, paene impediens (post horam septuagesimam, nonagesimam). (H.)
Sensus ingratus in scrobiculo, adscendens paulatim ad laryngem ibique constringendo suffocare visus. (H.)

545. Respiratio extra lectum angusta, difficilis, in lecto libera. (H.)

In aëre libero in pectore, tanquam a pondere comprimatur, dolor. (H.)
Dolor pectoris horizontaliter premens, respirationem praecludens. (H.)
Noctu dolor tensivus et premens in externis pectoris partibus, quasi a pondere et lateris paralysi. (H.)
Tanquam sternum imprimatur, dolor. (H.)

550. Dolor in sterno non nisi diurnus, quasi pectus nimis curtum sit, inter respirandum. (H.)
Statim post pastum in pectore premens (et discindens) dolor. (H.)
In sinistra pectoris parte premens dolor, dum paululum sedet, eructatione mox evanidus. (H.)
Dolor pectoris constringens. (H.)
Asthmatica per pectus transversum constrictio inter eundum et adscensum. (H.)

555. Sub sinistra pectoris parte cum anxietate trahens dolor — cordis quasi constrictio, respirationem difficiliorem reddens (post horam tertiam). (H.)
Dolor trahens in pectore et costis. (H.)
In pectore cum anxietate ardor (post horam vicesimam). (H.)
In pectore quasi caloris sensus, itemque, tanquam ab aqua calida, ebullitio ibidem, angorem creans, et calor ad os usque adscendens, inquietudinem, anxietatem et agrypniam gignens (post horam sextam). (H.)
Mane hora post surrectionem, in cordis regione punctus aliquot vehementiores (post diem septimum). (H.)

560. Ictus versus cor dolorosi, secundum pulsus modulationem. (H.)
Palpitatio in pectore et mane in pectoris latere (post horam decimam sextam et octogesimam). (H.)
Palpitatio cordis. (H.)
Inter decubitum post prandium cordis palpitatio. (H.)
Orgasmus sanguinis cum palpitatione cordis, summo mane (post hor. vicesimam). (H.)

565. Cordis palpitationis accessus crebri, parvi. (H.)
In pectore sensus, quasi quid prolapsurum sit (post horam sextam). (H.)
Dolor non nisi diurnus, quasi a verberatione, a sterno ad scapulas, cum punctione et asthmate inter quietem et motum. (H.)
Sternum totum tactu, tanquam a contusione, dolorosum. (H.)
In pectoris latere sub axilla, quasi a contusione, dolor, tactu et motu gravior, quam inter quietem. (H.)
570. In pectore sub axilla inter tactum dolor, brachium a trunco amovere cogens. (H.)
Mammae papularum sensibilitas dolorosa (post horam primam). (H.)
In ambarum mammarum papulis dolor, tanquam a lacte post partum in mammas influxuro. (H.)
Frigus pectus perreptat inter dolorem tensivum. (H.)
In osse sacro et ischii ossibus, quasi ab ictu, punctus obtusus, versationem in lecto prohibens, vel per quietem in osse sacro dolor obtusus, decubitus quieti impatiens, tussi et sternutatione ictibus illis dolorosis prohibitis. (H.)
575. In osse sacro dolor nocturnus, vertere corpus in lecto prohibens. (H.)
Inter horrores, in osse sacro dolor pulsans, cum ructibus (post horam tricesimam sextam). (H.)
Ossis sacri et lumborum regio tensa videtur et tactu dolet. (H.)
Ab aëris afflatu in osse sacro, quasi diffringeretur, dolor, incurvato trunco ire cogens. (H.)
Dolor in osse sacro non nisi diurnus, quasi a verberatione et quasi pars nimis debilis esset, ut a puerperio. (H.)
580. In osse sacro, tanquam a conquassatione, dolor, motu gravior, quam inter quietem. (H.)
Mane in lecto dolor in osse sacro et genubus, quasi a contusione et conquassatione, cum dolore stringente mixtus, nec situs mutatione, nec quiete, nec motu minutus, vel auctus. (H.)

In osse sacro, tanquam a conquassatione, dolor inter altam pronationem et resupinationem, magis tamen inter illam (post horam quartam). (H.)
In pelvis regione, inter motum minimum, tanquam a luxatione, dolor. (H.)
In lumbis dolor lancinans. (H.)
585. Inde a lumbis per dorsum adscendens dolor trahens, cum rigiditate paralytica. (H.)
Statim post pastum (coenam) dolor, angorem creans, premens (post horam primam) et statim post potum (mane) aliquantulum premens in lumbis versus dorsi spinam, dolore dein versus hypochondria renitente, tanquam a flatibus ibi restagnantibus (post horam trigesimam sextam). (H.)
Raptans et lancinans in inferiore dorsi parte dolor inter incessum et sessum, non inter decubitum. (H.)
Dorsi dolor raptim lancinans. (H.)
Post meridiem dolor in dorso a nucha deorsum trahens (inter sessum), et simul in scrobiculo dolor quasi depsens, incurvato trunco sedere cogens. (H.)
590. Dolor dorsi ardenter lancinans. (H.)
Dolor dorsi constringens. (H.)
Dorsi rigiditas (post horas aliquot). (H.)
Dolor premens in dorsi vertebris (post horam primam). (H.)
Dorsi, quasi a conquassatione, dolor; tactu et pressione externa auctus, quasi a sugillatione. (H.)
595. Quasi a contusione dolor musculorum dorsi et abdominis, vel inter tactum (post horam trigesimam). (H.)
In scapulis dolor, quasi ab intentione nimia et luxatione. (H.)
Intra scapulas punctus motu et respiratione. (H.)
Intra scapulas dolor ardenter pungens, continuus. (H.)
Intra scapulas dolor vehementer constringens. (H.)
600. Intra scapulas, tanquam a contusione dolor et trahens, maxime inter pronationem. (H.)

Concrepatio vertebrarum colli inter capitis motum (post horam tertiam), earumque juncturae dolent. (H.)

Trahens et gravativus dolor in nucha, mane. (H.)

(V e s p e r i) i n n u c h a l a n c i n a n s p e r a c c e s s u s d o l o r (post horam secundam). (H.)

Quasi a conquassatione, dolor in nucha inter motum (pronationem) et tactum (post horam sextam).

605. Sinistrum colli musculorum latus tumidum est et inter capitis motum dolet, tanquam tendinibus nimis curtis. (H.)

In humeri articulatione et scapula, quasi a conquassatione, dolor inter capitis in latus contrarium reclinationem. (H.)

In humeri junctura, tanquam a conquassatione, dolor, brachii tollendi impatiens. (H.)

Vesperi in lecto, dolor in sinistri humeri articulo, dum in latus oppositum decumbitur, quasi dilacerato ligamento; dum vero in latus dolens decumbitur, evanescens (post horam quadragesimam octavam). (H.)

Hora tertia matutina dolor ineffabilis in articulatione humeri, in qua decumbitur, post corporis versionem sensim evanescens, cum diaphoresi universali (post horam decimam sextam). (H.)

610. Dolor in humeri junctura paralyticus et in toto brachio gravitatis et lassitudinis sensus, et in sedendo et eundo; post motum aliquem brachium sustinere nequit. (H.)

Brachiis pendulis dolor, quasi a defatigatione sive a conquassatione, in humeri articulatione, inter incessum in aëre libero (post diem quartum). (H.)

In musculis deltoideis ambobus locus ardenter dolens, qui tactu etiam calet. (H.)

Erythema pruriens in brachiis, post fricatum, quasi ab ulcere, dolens. (H.)

Brachiorum torpor eorumque (ac pedum) gravitas lassa, post meridiem. (H.)

615. Post somnum bonum mane inter surrectionem lassitudo ingens; brachia (et crura) dolent, quasi

strato durissimo incubuisset (post sessum quietum per semihoram vires redeunt). (*H.*)

Brachiorum (et crurum) sensus subitae astheniae et torporis, quasi viribus cassa essent, mane (post hor. duodecimam). (*H.*)

Dolor sursum trahens in brachio, cum rigiditate quadam paralytica. (*H.*)

Brachiorum narcosis nocturna (post horam quartam). (*H.*)

Post mediam noctem (hora secunda) dolor terebrans in cubiti junctura, dum in latere opposito decumbitur (post horam sexagesimam). (*H.*)

620. In brachio anteriori dolor trahens cum punctu in digitis (post semihoram). (*H.*)

Post meridiationem brachiorum anteriorum et manuum debilitas, quasi fere paralyticae essent (post horam secundam). (*H.*)

Omni vel altero quoque mane, post surrectionem e lecto brachii anterioris ad manum usque stupor, cum frigiditate et tamen venis tumidis (post diem quartum). (*H.*)

In dextrae manus articulatione, quasi a luxatione, sensus inter motum et intentionem. (*H.*)

Manuum narcosis. (*H.*)

625. Volae manus constrictio crampoides, nec sine dolore expanditur (post horam duodecimam). (*H.*)

Inter eundum in aëre libero primum nuchae dolor, inde manus juncturam petens, paralyticus, quasi a debilitate, recte apprehendere prohibens, vesperi inter decubitum in lecto evanidus. (*H.*)

Scribendi facultate manus caret. (*H.*)

Manus in frigescentiam pronae obtegi volunt. (*H.*)

Multo mane inter calorem manuum, operiri maxime gestit, — tactus frigidorum immanem dolorem ciet (post horam duodecimam, sexagesimam quartam). (*H.*)

630. Manus udae, frigidae et nasi apex frigidus. (*H.*)

Mador subfrigidus internae manuum superficiei. (*H.*)

Sudor volarum, interdum ingens inter incessum in aëre libero. (*H.*)
Tumor pallidus manuum ac digitorum (post horam vicesimam). (*H.*)
Tumor pollicis calidus, tactu dolens, in abscessum ad articulationem abiens. (*H.*)

635. Luxatio facilis pollicis articulorum, motu. (*H.*)
In digitis dolor rursum versum trahens. (*H.*)
In digitorum articulis pruritus. (*H.*)
Anni tempore mitiori digiti hic illic rubri et quasi a gelu adusti, cum pruritu intus ardenti, maxime cubiculi vel lecti calore. (*H.*)
In digitorum juncturis dolor, tanquam a nisu nimio et quasi tendinibus nimis curtis. (*H.*)

640. Digitorum narcosis inter sudorem nocturnum. (*H.*)
Digitorum contractio spasmodica inter oscitationem. (*H.*)
Post mediam noctem in lecto crampus in digitis. (*H.*)
In nate dextra dolor, quasi caro decussa esset.
In ossis femoris capite, quasi a luxatione, punctus. (*H.*)

645. Summo mane vulsiones pungentes, a pedibus ad coxam, repetitae, inter decubitum in dorso, evanidae decubitu in latere, quod dolenti oppositum est (post horam quintam). (*H.*)
In femoris musculis vulsiones. (*H.*)
Dolor ex abdomine per femora trahens (post horam quadragesimam octavam). (*H.*)
In femoribus sensus deorsum trahens. (*H.*)
Dolor tensivus in femore, quasi nimis curto. (*H.*)

650. In femorum musculis posterioribus, quasi a conquassatione, dolor, maxime inter surgendum a sessu. (*H.*)
In femoris musculis, tanquam a labore nimio, dolor, itemque tactu dolor, ut a conquassatione. (*H.*)
Femoris musculi et genua ut a conquassatione dolent, motu magis, quam inter quietem; etiam tactu auctus dolor. (*H.*)

Furunculi in femore, doloris pungentis ejusque vehementis (post nychthemeron), nec non in femoris posteriore et anteriore parte (post horam duodecimam, trigesimam et post horam sextam). (*H.*)

Inter statum et incessum punctus ardens ab osse sacro per femur. (*H.*)

655. Erythema ardenter pruriens in femoribus ambobus inter menstrua. (*H.*)

Dolor exedens, — mordaciter pruriens in femore et supra genu, vespere post decubitum, in lecto, fricatu non evanidus. (*H.*)

Noctu femora frigescunt nec lecti stragulis possunt calefieri. (*H.*)

Post mediam noctem femorum et surarum sudor. (*H.*)

In femore dextro gravitas, crus tolli paene impediens.

660. Pedum infirmitas et instabilitas (post horam secundam). (*H.*)

Puer saepe cadit in eundo. (*H.*)

Gravitas lassa pedum (et brachiorum) pomeridiana, maxime in adscensione. (*H.*)

Pedum impotentia, corpus sustentandi, decumbere cogit. (*H.*)

(Brachiorum et) crurum sensus subitae astheniae et torporis, quasi viribus cassa essent, mane (post hor. duodecimam). (*H.*)

665. A mane usque crurum gravitas et lassitudo, ut eundo doleant. (*H.*)

Pedum gravitas, considere cogens. (*H.*)

Genuum instabilitas. (*H.*)

Luxatio facilis genu articuli, inter motum (post horam primam).

Tanta genuum imbecillitas, ut corpus sustentare recusent. (*H.*)

670. Tremor genuum aut genu et pedis alterutrius inter animi vel gratam contentionem, plerumque vesperi, inter statum. (*H.*)

In poplitibus percipitur inter surgendum a sessu sensus, quasi nimis curti sint. (*H.*)
Poplitis rigiditas, tensio, maxime post statum (post horam secundam). (*H.*)
Patellae utriusque, quasi ab itinere fessae, dolor tensivus inter scalarum adscensum, mane auctus. (*H.*)
In genu articulo ingratus inter eundum sensus, quasi synovia careat et crepiturum sit. (*H.*)

675. In genu tumores dolorosi. (*H.*)
In genu eruptio miliaris ardenter pruriens. (*H.*)
In poplitibus pruritus mane, fricare cogens. (*H.*)
In genu furunculus quidam parvulus cum cruris totius rigiditate. (*H.*)
Tractio spasmodica in cruribus. (*H.*)

680. Stupor cruris et in sessu et statu; dum vero altero crure tangitur, intus punctus. (*H.*)
Narcosis sensus absque tamen formicatione in crure (et brachio), constrictionis sensu finitus. (*H.*)
Dolor lancinans in cruris ulcere, dum ab aëre libero tangitur; dum vero ab illo munitum et obtectum est, dolor evanescit (post horam quartam, vicesimam). (*H.*)
Rubor inflammatorius circa ulcus cruris inter eundum et motum. (*H.*)
In pede pruritus ab ulcere remotus aliquantum. (*H.*)

685. Narcosis surarum et pedum matutina. (*H.*)
Inter aëris frigidi afflatum in sura punctus, quasi crus stupore affectum fuisset (post horam secundam). (*H.*)
Crampus surae in lecto, et vesperi inter cruris extensionem (post nychthemeron), et mane inter cruris flexionem (post horam tricesimam secundam), et post mediam noctem inter cruris contractionem (post horam quartam). (*H.*)
In suris dolor tensivus. (*H.*)
Formicatio a pedibus sursum. (*H.*)

690. In pedum juncturis dolor inter motum et eundum tantummodo, quasi ab itinere longo; tendines dolent, quasi contusi et nimis curti. (*H.*)

Distortio facilis dolorifica pedis juncturae inter eundum (post horam quartam). (*H.*)

Mane post surrectionem inter eundum in pedis articulo, ut a distortione, dolor, insistendo adgravatus, ad femur usque tendens (post horam decimam sextam). (*H.*)

In pedis dextri malleolo externo dolor trahens et pungens, ante decubitum vesperi. (*H.*)

Pedis dextri contractio spasmodica. (*H.*)

695. Pedum narcosis. (*H.*)

Summo mane calor pedum, obtegi eos cogens, ob intolerabilem in iis dolorem alias enascentem (post horam duodecimam, sexagesimam quartam). (*H.*)

Mane tumor pedis ulcerati. (*H.*)

Pedum dorsa tumida. (*H.*)

Creber diurnus, dum post sessum surrectura est, plantarum crampus, pedes flectere et ingredi cogens, ut levetur et motu desinat; noctu dolorosus plantarum crampus somnum impedit, a pedum attractione crurumque flexione oriundus. (*H.*)

700. Dolorosa plantarum constrictio crampoides inter crurum flexionem, extensione evanescens. (*H.*)

In plantis pedum dolor ardens et punctus. (*H.*)

Inter decubitum, post prandium, in plantis dolor lancinans (in pollicis pila ardore antecedente) (post horam primam). (*H.*)

In calcaneo dolor surdus, quasi post saltum ab alto. (*H.*)

Dolor, quasi pes a nimis angusto calceamento laesus et planta ab itu fessa et attrita sit. (*H.*)

705. In lateribus pedis ejusque digitorum, nec non in dorso horum dolor quasi ardens et ut a calceo nimis arcente, vesperi (post horam tricesimam sextam). (*H.*)

Pedis digitorum clavi, tanquam vulnus seu furunculus dolent (post h. quartam, decimam sextam). (*H.*)

Pernionis (aestate) quasi a gelu ingenti dolor quodammodo pulsans (statim). (*H.*)
Unguis radicis, dum impingitur atque ipso tactu, dolor, quasi abscessurus sit. (*H.*)
In pedum digitis ardor pruriens, quasi a gelu, anni tempore mitiore, maxime inter cubiculi vel lecti calorem. (*H.*)
710. In pedis digitis pruritus, ut in membris gelatis fieri consuevit (post horam primam). (*H.*)
Pedis digiti utriusque majoris narcosis (statim). (*H.*)
Contractio spasmodica pedis digitorum, inter oscitationem. (*H.*)
Post mediam noctem in lecto crampus in pedum digitis. (*H.*)
Eruptiones ardorem prurientem creantes. (*H.*)
715. Pruritus (mordax) hic et illic, maxime in exterioribus artuum et corporis partibus, et circa articulos, post decubitum vesperi (post horam quartam). (*H.*)
Pruritus ardens super totum corpus. (*H.*)
Vesperi in lecto pruritus ardens circumcirca. (*H.*)
Pruritus ardens in brachiis superioribus, femoribus, abdomine et dorso, dum vestes mane induuntur et exuuntur vesperi, atque etiam noctu. (*H.*)
Punctus ardens hic atque illic in corpore. (*H.*)
720. Punctus ardenter pruriens passim in cute, quasi a pulicibus, post decubitum vesperi (post diem quintum et dimidium). (*H.*)
Punctus aliquot identidem in parte affecta. (*H.*)
Hic et illic punctus singuli cum vulneris quasi sensu. (*H.*)
Punctus quasi vulsorii in diversis partibus, totum corpus concutientes et quasi pervadentes (post horam quartam). (*H.*)
Vesperi in lecto membrorum vulsio. (*H.*)
725. Tremor (post horam secundam). (*H.*)
Tremor artuum et cordis vulsiones (post horam primam). (*H.*)

Mane tremoris sensus per corpus totum. (H.)
Artuum rigiditas una cum vulsionibus. (H.)
Rigiditas, tensio artuum (post horam octavam, sextam decimam). (H.)

730. Dolor artuum tensivus, multo mane, naribus obturatis (post horam decimam). (H.)
Juncturarum mobilitas diminuta. (H.)
Constrictionis sensus vehemens dolorificus per totum corpus. (H.)
Cum constrictionis sensu per totum corpus pedum lassitudo, ut trahi vix possint. (H.)
Paroxysmus; spasmus corpus subito in latus trahens, manibus corpus sustentare nisis, sed infirmis, tum vomitus et alvi et urinae exoneratio involuntaria, citissima, mente constante. (H.)

735. Sensus in musculis artuum, dorsi, scapularum etc., quasi quid rursum versum traheretur, magis spasmodicus, quam dolorosus. (H.)
Vulsio et palpitatio sub cute musculorum artuum. (H.)
Articuli omnes motu magis, quam inter decubitum quietum, dolent, post mediam noctem (post horam sextam). (H.)
Articulorum omnium, quasi a conquassatione, dolor inter motum (post horam quartam). (H.)
Torpor omnium membrorum. (H.)

740. Quasi a conquassatione, dolor omnium membrorum. (H.)
Mane in lecto (cum incarceratione flatuum sub osse pubis in imo hypogastrio) articulorum et ossium tuborum mediorum, quasi a conquassatione, dolor; ambo surrectione evanida (post horam vicesimam). (H.)
Mane in lecto, quo diutius cubat, eo major membrorum omnium, maxime articulorum, tanquam a verberatione et conquassatione, dolor, surrectione e lecto evanescens (post horam octavam decimam). (H.)

Summo mane in lecto, quasi a conquassatione, articulorum dolor in latere, cui incumbitur, versando corpore evanidus, quiescendo autem sensim redintegratus, surrectione e lecto plane cessans (post horam trigesimam). (H.)

Dolor simplex uti a conquassatione et quasi lancinans articulorum omnium ejus lateris, cui non incumbit, tum tantum remittens et evanescens, quum in latus dolens decubuit, quo facto autem paulo post idem dolor latus integrum, cui incubuerat, afficit; inde versatio corporis crebra in lecto. (H.)

745. Paroxysmus post mediam noctem: sensus formicans manuum pedumque, cum calore faciei, ad cor (in scrobiculum) adscendens, quasi ardens ibi et premens, tum gulam petens cum nausea vomituriente et anxietate, inde caput invadens, cum stupiditate et aurium tinnitu. (H.)

Paroxysmus vespertinus; nausea et anxietatis sensus ad cor adscendens, cum tremore, caput pronatum mensa suffulcire cogens (post diem quartum). (H.)

Paroxysmus subitaneus paulo post prandium; cum pallore faciei nausea vomituriens, a scrobiculo adscendens, et anxietas cum tremore per totum corpus, languore ingravescente, decumbere cogente (post diem octavum). (H.)

Accelerato gressu in aëre libero caput petitur, quasi abolitis sensibus, stare cogitur, cum sanguinis ebullitione ad cor, laryngis constrictione et ignea ante oculos scintillatione scotomica. (H.)

Mane in aëre libero oculi subito rigidi cum mentis et sensus abolitione, quasi in lipothymiae accessu momentaneo. (H.)

750. Aëre libero hausto lassitudo ingens cum pedis sinistri, quasi a rigiditate, sensu (post horam sextam). (H.)

Ab ambulatione in aëre libero matutina lassitudo ingens. (H.)

Lassitudo corporis totius ingens inter ambulandum in aëre libero (post horam vigesimam octavam). (H.)
Post ambulationem in aëre libero tristitia et lassitudo ingens. (H.)
Post ambulationem in aëre libero lapsus virium vespertinus. (H.)
755. Omnium membrorum ab aëre libero hausto torpor et debilitas ingens (post horam octavam). (H.)
Lassitudo ingens. (H.)
A motu minimo lassitudo statim. (H.)
Macies. (H.)
Brachiorum ac pedum gravitas, quo minus tollantur, prohibens. (H.)
760. In omnibus artubus sensus subitanei virium lapsus, quasi paralytici, inter ipsum sessum, maxime tamen in motu (post horam primam). (H.)
Artuum omnium languor, maxime post scalarum adscensionem.
Deliquescentia cordis. (H.)
Syncope. (H.)
Lipothymiae accessus vesperi (hora octava, nona), inter sessum. (H.)
765. Cum anorexia debilitas ingens pomeridiana. (H.)
Sedendi cupido (post horam sextam). (H.)
Decubitu dolores mitescunt. (H.)
Nisus in decubitum, vel mane. (H.)
In decubitum propensio, ante meridiem.
770. Abhorrescentia maxima e lecto surgendi mane, quin causam sciat (post horam duodecimam). (H.)
Lassitudo major matutina, post surrectionem, quam cubitum ituri vespere. (H.)
Dormituritio matutina, post solis ortum. (H.)
Dormituritio. (H.)
Interdiu continuo sensus, quasi oscitantis et dormiturientis, vigilare prohibens. (H.)
775. Dormituritio diurna maxima, quasi a stupore capitis. (H.)

Inter ambulandum in aëre libero primum somnolentia, tum palpitatio cordis et anxietas ingens cum venarum in manibus tumore, sine calore (post horam trigesimam sextam). (H.)

Ante prandium (hora undecima) propensio in somnum. (H.)

Post pastum dormituritio vix vincibilis plurium horarum (post horam quintam). (H.)

Somnus serotinus vesperi (post horam secundam). (H.)

780. Agrypnia ad mediam noctem usque, cum caloris sensu sine siti (post horam duodecimam). (H.)

Inquietudo nocturna ingens, sine dolore (post horam duodecimam). (H.)

Noctu inquietudo in brachiis, modo obtegere stragulis, modo detegere cogens. (H.)

Vesperi post decubitum, in lecto, inquietudo et angor, femora modo attrahere, modo extendere cogens (post horam octavam). (H.)

Ante mediam noctem extremitatum inferiorum inquietudo — sensus intus paene suavis et gratus, tamen intolerabilis, somnum impediens, dormiturum expergens et crura aut attrahere aut alternatim extendere cogens. (H.)

785. S o m n u s   d u l c i s s i m u s   m a n e   s e r o t i n u s, p a e n e   i n v i n c i b i l i s (post horam vigesimam). (H.)

Mane evigilatio difficilis. (H.)

Non nisi ante mediam noctem, ab undecima ad primam usque horam, dormire potest, tum evigilat et hora tertia jam surgere cogitur. (H.)

Dormituritio ingens cum oscitatione, vesperi, horis duabus ante concubiam noctem; in lecto statim obdormiscens, post mediam noctem diu vigilat et tum ad mane serotinum usque dormit cum somniis multis de rebus diei pristini, nec e lecto mane surgere placet. (H.)

Terror succutiens obdormiscentis. (H.)

790. Terror concutiens et per somnum nocturnum et interdiu. (H.)

Terror succutiens in somno, non ad plenam evigilationem suscitans. (H.)

In sopore pomeridiano terror et ictus per corpus totum, quasi ab ictu electrico, quasi humi prolapsuri. (H.)

Noctu crebro evigilat nec obdormiscere facile potest; dum vero dormit, somnia luculentissima videt. (H.)

Visiones terrificae, pavor in somniis. (H.)

795. Phantasiae nocturnae semivigiles, lugubres, v. c. de mortuorum, quos vivos novisset, capitibus trunco mancis. (H.)

Noctu dormire nequit, et dum paululum obdormiscit, res horribiles somniat, a quibus experrectus horas pervigilat, et simul in somnum relabitur, alias res horribiles somniat et post evigilationem, quae somniaverit, novit. (H.)

Phantasiae delirae, terribiles, noctu. (H.)

Somnia terribilia (v. c. de feris bestiis). (H.)

Somnia de aegrotis vel mutilis hominibus. (H.)

800. Evigilatio noctu ob somnia crudelia (post horam decimam). (H.)

Somnia de pediculis. (H.)

Somnia de omnium dentium casu ex ore. (H.)

Somnia de laboribus diurnis, sedulo perficiendis. (H.)

Somnia ingrata de rebus pridie gestis vel sermone agitatis. (H.)

805. Multo mane (hora quarta) blateratio anxia, vagiens in somno, ante flatuum eruptionem (post horam decimam). (H.)

Somnia anxia cum ploratu in somno. (H.)

Evigilatio summo mane e somno cum anxietáte. (H.)

Mane inter experrectionem, quasi a sanguinis ebullitione, anxietas cum moerore; post surrectionem utraque molestia evanescit. (H.)

Ejulatio suspiriosa in somno. (H.)

810. In somno ante noctem mediam blateratio, voces

non distinctae, interdum morosae, lamentabiles. (H.)

Noctu somnia semivigilia cum meditatione gravi (post horas paucas). (H.)

Somnus inquietus et curis plenus. (H.)

Frigidus animus in spectandis crudelibus dilacerationibus et mutilationibus inter somnia (post horam sextam). (H.)

Nox longinqua videtur inter coma quoddam cum somniis sollicitationis et agitationis plenis. (H.)

815. In somno decubitus maxime in dorso, brachio uno vel altero sursum protenso et caput fulciente. (H.)

Decubitus noctu in dorso, una vel utraque manu supra caput porrecta, cum blateratione inter somnum et experrectione post mediam noctem inter horam secundam et tertiam. (H.)

In somno decubitus in dorso capite resupinato, manibus supra caput protensis et nucham fulcientibus. (H.)

Nisus inter somnum decumbendi in dorso, maxime capite in pulvillum humilius substratum resupino (post horam trigesimam sextam). (H.)

Ante mediam noctem in somno inspiratio stertorosa, quasi a constrictione choanarum seu veli palatini. (H.)

820. Respiratio sonora in somno ante mediam noctem. (H.)

Exspiratio sibilans, sonora per nares inter somnum (post horam quartam). (H.)

Mane pandiculatio et oscitatio enormis et post pandiculationem dolor spasticus in artubus, maxime in genu. (H.)

Mane in lecto pandiculatio, quae ex abdomine proficisci videtur, porrectis sursum manibus. (H.)

Oscitationis continuae paroxysmus longus, languorem ingentem relinquens (post hor. primam). (H.)

825. Inter oscitationem mane oculi aquei, lacrymis superfusi. (H.)

Mane, statim post surrectionem e lecto, oscitatio (post horam sextam decimam). (H.)
Mane, statim post oscitationem, cephalaea. (H.)
Oscitationes, tussim provocantes. (H.)
Mane, post surrectionem (et potum), sedes diarrhoica, tum cum languore et oscitatione dormituritio, frigus et capitis oppressio — deinde somnus reficiens (post horam decimam octavam). (H.)

830. Oscitatio et pandiculatio creberrima, post meridiem.
Post pandiculationem et oscitationem dolores in artubus spasmodici, cum frigescentia et tremoris interni sensu. (H.)
Inter oscitationem horror. (H.)
Post horrorem somnus, tum iterum horror cum pedis digitorum frigiditate (post horam decimam sextam). (H.)
Post decubitum, vesperi, frigus in dorso et super brachia (exceptis tamen manibus) (post horam tertiam). (H.)

835. Vesperi in lecto, priusquam obdormiscit, horrescentia, nec minus, dum evigilat, sensus, quasi in lecto calefieri nequeat; non interdiu. (H.)
Noctu volutatio cum frigiditate, lecto non delenda. (H.)
Noctu in lecto calefieri nequit. (H.)
Noctu in lecto frigus insigne, circa mane vero sudor, formicatione cutis antecedente. (H.).
Mane in lecto frigus ingens concutiens sine frigiditate externa, per semihoram; tum pedis digitorum et plantarum contractio crampoides. (H.)

840. Mane frigoris sensus in cute dorsi et artuum, cum dolore cutis, quasi a gelu, et cum narcoseos, qualis a gelu gigni solet, aliquo sensu in artubus. (H.)
Frigus in pedibus, mane. (H.)
Mane horripilatio. (H.)
Mane post surrectionem frigus, per complures dies singulos. (H.)

Post meridiem frigiditas vel brachiorum et manuum subita, vel crurum et pedum, ne motu quidem depulsa. (H.)

845. Post potionem statim horror et frigus. (H.)

Post stomachum frigoris sensus in dorso cum crurum gravitate. (H.)

A motu levissimo frigus (post horam primam). (H.)

A motu minimo horror per totum corpus, inter decubitum quietum nullus. (H.)

Aëris liberi vel minimo haustu horror et frigus per horam (cum dolore dorsi) (post horam primam). (H.)

850. Aëris liberi haustu vel minimo refrigeratio et odontalgia cum punctiunculis simplicibus vel ardentibus. (H.)

Aëris liberi abhorrescentia (post semihoram). (H.)

Ab afflatu aëris minimo refrigerium (cutis sensus ingratus, tormina etc.) (post horas aliquot). (H.)

Metus frigoris, horrescentia. (H.)

Calefieri nequit. (H.)

855. Frigiditas maxima, nec fornacis calore, nec lecti stragulis delebilis. (H.)

Totius corporis frigiditas, cutis livor (post horam primam). (H.)

Totius corporis frigiditas cum manuum livore, sine cute anserina. (H.)

Calor imminutus ad frigiditatem usque universalem. (H.)

Frigus vehemens cum crepitu dentium. (H.)

860. Frigus faciem perreptans. (H.)

Frigoris sensus identidem circa caput. (H.)

Frigiditas in facie et circa caput. (H.)

Frigus in pedibus, quasi ab aqua frigida infusa, cum tremore. (H.)

Frigiditas ingens certe extremitatum, sine siti. (H.)

865. Frigus sine siti. (H.)

Cerevisiae dilutae sitis inter horrorem (post horam secundam). (H.)

Cum frigore cerevisiae sitis (post nychthemeron). (H.)

Febris: horror et dolor trahens in artubus, quasi a dolore ossis sacri profectus, inter decubitum in somno pomeridiano, secundo nec calore nec siti. (H.)

Febris accessus: noctu (hora secunda) dolor trahens immanis per femora et crura, ut, quo se vertat, nesciat, cum siti. (H.)

870. Febris accessus nocturnus (hora tertia); ante frigus dolor vehemens trahens per femora et crura, attrahere ea et extendere vicissim cogens. (H.)

Sine siti et caloris sensu, adeoque recurrente frigoris sensu, calor corporis summus et genarum rubor, frigidis nonnisi manibus, pedibus et capillitii cute. (H.)

Febris pomeridiana vel vespertina: post calorem frigus et frigiditas. (H.)

Inter calorem vel externum vel internum frigescentia et infirmitas maxima, decubitum maxime pomeridianum et lecti calorem vel vestitum calidum poscens. (H.)

Frigus mane (circa horam sextam), calore universali et frontis sudore ebulliente et quasi gemmante identidem intermixto; tum circa vesperam (hora sexta) iterum frigus. (H.)

875. Vesperi genarum rubor et manuum calor cum pedum frigiditate et horroribus recurrentibus. (H.)

Faciei calidae sensus cum horrore corporis ceteri. (H.)

Faciei calor cum frigiditate partium corporis inferiorum. (H.)

Post pedum frigiditatem faciei calor siccus. (H.)

In capite calor intus, extus in capite frigus. (H.)

880. Genae calidae cum frigore interno. (H.)

Genarum rubor cum capitis calore interno et frigore in cetero corpore (post horam sextam). (H.)

Vesperi faciei rubor cum horrore et artuum frigiditate inter cerevisiae sitim. (H.)

Horror primum, tum calor angorem creans; postea cerevisiae sitis. (H.)

Febris circa vesperam (hora sexta); frigus caloris accessibus interpolatum, postridie eadem hora recurrens. (H.)

885. Noctu simul cum frigescentia externa caloris interni sensus, cum oris siccitate et potulentorum abhorrescentia. (H.)

Febris pomeridiana: frigus et frigiditas quatuor horarum cum unguibus lividis; tum calor universalis et ardor manuum, cum siti primo aquae, postea cerevisiae, sudore nullo subsequo. (H.)

Vesperi, ante decubitum, frigus, in lecto vero calor capitis et faciei. (H.)

Post decubitum vesperi frigus insigne et somnus per horam unam, tum calor cum cephalalgia, susurro aurium et nausea vomituriente (post horam duodecimam). (H.)

Post decubitum vesperi tremor et frigus, — tum caloris nonnihil in facie (post horam secundam). (H.)

890. Mane calor insolitus cum aquae siti (post horam duodecimam). (H.)

Toto corpore accessus caloris sine genarum rubore cum sudore frontis bullis prorumpente et cum angore. (H.)

Calor febrilis magis internus; quasi ebullitionis atque effervescentiae e gula sensus cum potione crebra. (H.)

Multo mane in lecto sensus caloris intolerabilis vel corporis totius, vel maxime genarum, manuum et pedum, praesertim volarum et plantarum, quarum refrigerationem (denudatione et stratis frigidioribus) avide desiderat nec patitur, partim ob sensum, inter refrigerationem oriundum, ingratum corpore toto, partim ob tormina uti forcipe prementia vel disscindentia subitanea. (H.)

Post decubitum vesperi faciei, volarum et pedum calor. (H.)

25*

895. Calor externus, genae rubrae, cum caloris interni anxii, intolerabilis sensu (lecti tamen stragulis operiri se gestit); os saliva repletum, labia sicca, sitis vanae species, appetit potum et tamen oblatum respuit; non sapit potus; — agrypnia inter calorem, brachia pone caput posita, post calorem cerevisiae sitis. (H.)
Circa mediam noctem in lecto calor siccus, absque siti. (H.)
Cum calore et pulsu magno, frequente, lecti appetentia et sitis. (H.)
Calor internus, ab hora ad horam auctus, cum pulsu pleno, sine siti; — tum agrypnia (post horam octavam, sextam decimam). (H.)
Mane inter ambulandum in aëre libero calor ingravescens cum pulsu pleno, sine siti; — tum agrypuia (post horam octavam, sextam decimam). (H.)

900. Mane inter ambulandum in aëre libero, faciei et corporis totius calor (post horam quadragesimam octavam). (H.)
Inter ambulationem calor volaticus crebrior, quam alias. (H.)
Calor volaticus inter motum. (H.)
Genarum rubor et calor volaticus a minimo motu et nisu. (H.)
Faciei calidae sensus, sine calore externo. (H.)

905. Mane e somno experrecti rubor genarum. (H.)
Circa caput calor vespertinus. (H.)
Faciei calor volaticus, circa vesperam (post horam quadragesimam octavam). (H.)
Mane faciei calor, post surrectionem e lecto, cum constipatione et flatuum in abdomine tumultu (post nychthemeron). (H.)
Genae rubrae, calidae, sine siti. (H.)

910. Faciei calor, vesperi in lecto, et somnus inquietus ante mediam noctem (post diem octavum).
Ardor per totum corpus (post horam sextam, duodecimam).
Calor nocturnus sine siti et paene sine sudore.

Sudor duorum dierum (post horam sextam decimam). (H.)

Inter motum in cubiculo sudor. (H.)

915. Frontis sudor viscidus, inter eundum in aëre libero. (H.)

Faciei lateris aegroti sudor, cum hemicranio. (H.)

Capitis, capillitii et faciei lateris alterutrius sudor (post horam decimam). (H.)

In latere sudor foetidus. (H.)

In latere alterutro sudor foetidus. (H.)

920. Sudor foetidus per totam noctem.

Mane inter vigilationem et somnum sudor, maxime partium superiorum, tum lateris sinistri dolor trahens (post horam sextam decimam). (H.)

Summo mane (hora tertia) sudor maxime sub naso, in fronte (capillitio), nucha, collo, scrobiculo et intra femora, cum caloris sensu anxio et siccitate linguae apicis, palati anterioris et labiorum sine potulentorum appetentia. (H.)

Post noctem mediam sudor. (H.)

Mane, ab hora inde secunda, sudor in somno; inter vigilationem vero (identidem) diaphoresis tantum lenis corporis totius. (H.)

925. Sudor matutinus. (H.)

Mane sudor insignis, universalis (nec tamen capitis, nec faciei) post experrectionem in lecto (post triduum). (H.)

Sudor lenis universalis (non tamen faciei) noctu et mane, stramen mucidum olens. (H.)

Sudor nocturnus acidus. (H.)

Hora quinta matutina post evigilationem sudor incipit, per plures dies. (H.)

930. Inter sudorem matutinum cujusque, cui incumbit, partis dolor simplex. (H.)

Inter sudorem matutinum vomituritio. (H.)

Inter sudorem matutinum a denudatione minima, quasi a refrigerio, tormina. (H.)

A lecto calor magnus et sudor, a levi denudatione et stragulis remotis horror. (H.)

Post sudorem frigus et iterum sudor. (H.)

935. Mane, inter vigiliam, sudor universalis, cum faciei et manuum calore interno, sine siti. (H.)
Post sudorem matutinum cerevisiae tenuis sitis magna. (H.)
Crebri sudoris accessus, calore sicco subsequo. (H.)
Inter anxietatem ingentem et post eam sudor profusus. (H.)
Anxietas diaphoresin gignens frontis quidem. (H.)

940. Calor mere internus, ex angore natus, subsequo frontis sudore (post horas aliquot). (H.)
Anxietas nocturna; in somno lecti stragula dejecerat.
Vesperi post decubitum anxietas, tum post mediam noctem sudor.
Post anxietatem nausea, respiratio cita, tum tussis sicca, a nausea oriunda, vomituritio et vomitus. (H.)
Inquietudo cum pupillis maxime dilatabilibus (post horam quinquagesimam sextam). (H.)

945. Vesperi, inter eundum, angor, angustia spiritus et ebrietatis sensus. (H.)
Mane inter experrectionem et post meridiem (hora quinta) angor et cura anxia, quasi quid magni pertimescendum sit. (H.)
Angor, quasi quid mali fecisset. (H.)
Angor ingens; nullo loco quiescere potest et mori mavult. (H.)
Post noctem mediam cordis palpitatio summa cum angore maximo, autochiriam suadente (post horam quintam). (H.)

950. Dolorem intolerabilem esse putat et autochiria mori mavult. (H.)
Anxietas, autochiriae cupida. (H.)
A n x i e t a s i n g e n s. (H.)
Anxietas, quiescere uspiam prohibens.
Timor mortis. (H.)

955. Mortem instare, putat. (H.)
Sollicitudo taciturna, in semet versa. (H.)
M o e s t i t i a. (H.)

Meticulositas, pavor concutiens inter capitis sensum temulentum. (H.)
Conspecta aliqua re invisa, pedes statim percelluntur, totum corpus ingratus sensus percurrit et viribus animoque per horam integram fere deficit femina. (H.)
960. Dolores non sine ejulatu atque lamentatione, exprobrationibus ac rixis intermistis, tolerantur. (H.)
Impatientia parvorum malorum. (H.)
Animus inconsolabilis et scrupulositas anxia, in querelas flebiles et exprobrationes invalescens, suspiriorum paroxysmis interpolatas, genis praerubris calidis, siti nulla. (H.)
Anxia cura et haesitatio. (H.)
Anxietas e scrupulositate suspiciosa et meticulosa, praesertim post mediam noctem. (H.)
965. Miserabiliter suspirat ac gemit, quamquam causam nullam afferat. (H.)
Lacrymatio ob minimas injurias perpessas. (H.)
Animus in stomachum et lacrymationem pronus. (H.)
Suspiria flebilia, crebra (post horam tertiam). (H.)
Minimam contradictionem et ipsas demonstrationes prudentissime institutas, ut animus ejus aliam ad rem transeat, perferre nequit, summe perturbata. (H.)
970. Cum scrupulositate stomachosa ad indignationem et opprobria insignis propensio (post horam secundam, tertiam). (H.)
In stomachationem et animi offensionem rixosam summa propensio. (H.)
Stomachus ingens, iracundia (post horam primam). (H.)
Propensio in reprehendendos errores aliorum. (H.)
Rixae, opprobria, objurgationes zelotypicae, obscoenissimis vocibus intermistae — mox lacrymabunda ejulatio. (H.)
975. Jurgia in castigationem et verberationem invalescentia. (H.)

Pertinacia, desideriis aliorum renitens (post horam primam). (H.)
Efferatus singulos, dum quid ex eo quaerunt, sine responsione torvum spectat, quasi animo, ad opprobria propenso, imperare debeat; tanta animi offensi iracundia, ut omnes, quicunque eum allocuti fuerint, verberaturus videatur. (H.)
Sensibilitas nimia. (H.)
Hyperaesthesia rerum sensus afficientium; odorum acrium lucisque clarae impatientia. (H.)
980. Impatientia strepitus, confabulationum, musices et cantus. (H.)
Animus tener, a musica ad lacrymas usque commovetur. (H.)
Hyperaesthesia insignis et vel gressus levissimi solique concussionis minimae impatientia. (H.)
Hypochondriasis post prandium et magis etiam post coenam. (H.)
Hypochondriasis, aegritudo animi. (H.)
985. Animus demissus, morosus. (H.)
Frontem rugans, brachium brachio implicat. (H.)
Taciturnitas, quasi omnia ingrata ei sint. (H.)
Taciturnitas in semet versa, mentis functio lenta. (H.)
Quietis et tranquillitatis amor. (H.)
990. Tempus morari et tarde effluere videtur (primis horis). (H.)
Ab omni labore abhorrescentia. (H.)
Omnium negotiorum et laborum aversatio ob subitam defatigationem. (H.)
Fuga laboris omnis, nec tamen motus (post horam secundam). (H.)
Laboris taedium capit.
995. Inconstantia consilii. (H.)
Consilii mutabilitas perpetua. (H.)
Multa agere gestit, sed male succedere putat. (H.)
Omnia ipsi male et perverse succedunt (post horam sextam). (H.)
Omnia ipsi male et perverse provenire videntur. (H.)

1000. Laevus, impingitur in minima obstacula, obvia subvertit (post horam decimam). (H.)

Impedit laborem, maxime literarium, nescio quid. (H.)

Ineptitudo ad labores literarios inter congestionem sanguinis ad caput — ad vesperae initium usque. (H.)

Mane fuga laboris literarii talis, quo cogitur ideas ipse concipere et scribendo consignare vel oratione explicare, non vero lectionis, nec res memoriae mandandi fuga (post horam sextam decimam). (H.)

Mentem colligendi difficultas. (H.)

1005. Impos recte cogitandi, loquendo peccat, invitus verba incongrua promit, mensura et pondere aberrat. (H.)

Elocutio et scriptio minus correctae, retractationi obnoxiae; syllabarum et vocum praetermissio involuntaria (post horam sextam, duodecimam). (H.)

Ob idearum turbam vix sui conscius, mane post surrectionem e lecto (post horam decimam). (H.)

Observata medicorum veteri doctrinae addictorum.

Stupor cerebri (*Hufeland*, Journ. d. pract. Arzneik. Vol. I. p. 125.), inebriatio (post semihor.) (*Veckoskrift för Läkare*, II. p. 169.), vertigines (*I. P. Wiel*, Obs. de usu interno nuc. vom. et vitr. alb. Viteb. 1771. — *Hufel.* Journ. l. c. — *Bergius*, Mat. med. p. 149.)

Splendor objectorum auctus. (*Rademacher* in *Hufel.* Journ. IV. p. 573.)

Oculi splendentes, horridi. (*Consbruch* in *Hufel.* Journ. IV. p. 443. 444.)

Facies tumida, praerubra. (*Consbruch*, l. c.)

(5) Sensus, quasi a formicis innumerabilibus, faciem obreptantibus. (*Rademacher*, l. c.)

Pruritus narium intolerabilis. (*Rademacher*, l. c.)
Oris distortio in latus. (*Rademacher*, l. c.)
Trismus, ratione constante. (*Rademacher*, l. c.)
Nausea. (*Matthiolus*, Comm. in Diosc. Lib. IV. Cap. 23.)

(10) Vomitus (*Strandberg* ap. *Kiernander*, Med. lac. p. 269.); vomitus ingens. (*Matthiolus*, l. c.)
Vomendi conatus. (*Fr. Hoffmann*, Med. rat. syst. T. II. p. 175.)
Post cordis palpitationem nausea vomituriens, lingua pura. (*Thomas a Thuessink*, Waarnemingen, XXXIII.)
Cardialgia diuturna. (*Veckoskrift*, l. c.)
Vehementes ventriculi affectiones. (*Strandberg*, l. c.)

(15) Dolor ventriculi et regionis epigastricae per longum tempus. (*Bergius*, l. c.)
Spasmi abdominis. (*Strandberg*, l. c.)
Tormina intolerabilia (post horam primam). (*Consbruch*, l. c.)
Mictus dolorificus urinae crassae. (*Wiel*, l. c.)
Evacuationes omnes suppressae. (*Bergius*, l. c.)

(20) Pectoris angustia. (*Matthiolus*, l. c.)
Manus frigidae. (*Consbruch*, l. c.)
Exanthemata prurientia. (*Wiel*, l. c.)
Gressus vacillans cum metu labendi. (*Veckoskrift*, l. c.)
Pedum infirmitas, instabilitas; sedere cogebatur. (*Rademacher*, l. c.)

(25) Stupor omnium fere corporis partium. (*Seutter*, Diss. de nuce vom. L. B. 1691.)
Debilitas artuum maxima, ut pedibus insistere non posset. (*Hufeland*, l. c.)
Subita virium prostratio. (*Matthiolus*, l. c.)
Rigiditas omnium fere corporis partium. (*Seutter*, l. c.)
Singularis omnium artuum, praecipue genuum, rigiditas cum tensione. (*Veckoskrift*, l. c.)

(30) Opisthotonus per unam sexagesimam, pluries repetens. (*Consbruch*, l. c.)

Pandiculationes summe convulsivae. (*Bergius*, l. c.)
Motus convulsivi. (*Veckoskrift*, l. c.)
Tremor universalis. (*Hufeland*, l. c.)
Convulsiones. (*Matthiolus* — *Strandberg*, l. c.)

(35) Convulsiones horrendae. (*Seutter* — *Consbruch*, l. c.)
Sudores validi. (*Junghanſs*, Diss. de nuc. vom. et cort. hippocast. Hal. 1770. p. 11.)
Sudores foetidi. (*Wiel*, l. c.)
Sudor frigidus. (*Matthiolus*, l. c.)
Sitis vehemens. (*Matthiolus*, l. c.)

(40) Pulsus parvus, intermittens. (*Hufeland*, l. c.)
Pulsus evanidus, ratione constante. (*Consbruch*, l. c.)
Angor. (*Hufeland*, l. c.)
Anxietas ingens (*Strandberg*, l. c.); anxietates summae. (*Fr. Hoffmann*, l. c.)
Angor ineffabilis, unam per horam. (*Consbruch*, l. c.)

Oleander (Nerium Oleander).

(Vis medica hujus plantae, cum non ita volatilis indolis esse videatur, tincturam ex recentibus exsiccatis et in pulverem redactis foliis, spiritus vini ope, ad usum parare liceret. Certius tamen est, ad parandum medicamen semper efficax, foliis viridibus et recentibus, sub initio florescentiae decerptis, eo modo uti, ut uncia una eorum in particulas minimas concisorum primo tanta spiritus vini copia in mortario humectetur, quanta sufficiat ad massam subtile contusam pultaceam producendam, deinde vero reliqua spiritus vini copia [uncia sufficiet omnino una] massae isti spissae diluendae impendatur, ex qua postremo succus per pannum linteum exprimatur, quem, ut secernatur materia albuminosa et fibrosa, per aliquot dies quietum stare oportet; quo facto succus clarus et purus defundatur et ad usum conservetur. Eodem modo parantur tincturae ex foliis parum succosis Sabinae, Taxi, Thuyae et similium.)

Primus complures plantas et earum partes, sicuti etiam plura fossilia in medicaminum apparatum recepi et illum optimo cum successu locupletiorem reddidi. Novae huic remediorum efficacium seriei adnumerandum quoque est *Nerium Oleander*, virtutibus non minimi pretii instructum, quae in nullo alio deprehenduntur medicamine.

Contra quasdam species mentis alienationum, exempli gratia mentis distractionem, paralyses quasdam sine doloribus, exanthemata capillitium obsidentia et affectiones partium externarum capitis, Oleander praebet medicamen, quod ista mala non radicitus quidem delere potest, sed tamen pro intercalari quam maxime

necessario existimandum erit. Ceterum medicus secundum leges homoeopathicas reliquis symptomatibus, quae in sano corpore haec planta procreare valet, optimo cum eventu ad morborum medelam uti noverit.

Dilutione billionaria succi hucdum usus sum, putans quidem, dilutionem ulteriorem expostulari, ne effectus noxii in corporibus sensibilitate majore praeditis producantur*).

Tr.

---

*) Experimenta in corpore sano, huc notata, instituere, praeter Sam. Hahnemannum, Carol. Franz, Gul. Grofs, Salom. Gutmann, Franc. Hartmann et Chr. F. Langhammer.

Symptomata.

Inter eundum in aëre libero: vertigo, nec titubationem excitans, nec lapsum minans; firmiter stabat, sed objecta, arbores et homines subinde locum suum mutare ei videbantur, quasi in saltatione confusa, et oculi obnubilabantur cum micante fulgore, quasi a nivis splendore (post 4½ horas).

Cum erectus oculos in terram figit, sensus vertiginosus ante oculos suboritur, et quasi objecta duplicata cernit; si vero vel stans vel corpore pronato directe prospicit, iste sensus evanescit (post 7 horas).

Post resurrectionem e lecto, vertigo vehemens, totum caput occupans, obambulationem in cubiculo impediebat (post 10 horas).

Vertigo rotans in fronte et pedum vacillatio, quasi a debilitate (post 1½ horam).

5. Vertigo ne obambulatione quidem sub dio minuta.

Caput totum occupatum (post ½ horam).

Mentis stupor cum meditandi facultate minuta.

Inter legendum sententias prolixiores libri alicujus difficultas, nexum periodi comprehendendi.

Librum doctum attente legendi difficultas cum necessitate, sententiam aliquam ter quaterve repetendi, priusquam sententiam apprehendat, quam tamen maxima animadversione adhibita capere studet, quum aliis cogitationibus sponte nascentibus mens turbetur, alias e libro lectas ideas propellentibus.

10. Dum animum in aliquam rem verteret, semper aliena in mentem veniebant; phantasia imagi-

nes laetas rerum futurarum producebat (post 4 horas).

Inter legendum aliquem librum sententias prolatas eo minus intelligit, si adhibita maxima attentione semper imaginatur, se illarum sensum non percepisse; cogitationes confusae tum facultatem ulterius legendi delent. Omnia multo facilius vero apprehendit, si animum haud insolito intendit ad ea intelligenda, quae legit.

Memoria valde debilis; nominum antea sibi notissimorum vix memor est (post $2\frac{1}{2}$ horas).

Capitis gravitas (post 24 horas).

Caput erectum per longius temporis spatium ob sensum gravitatis in eo sustinere haud valet, in legendo pergere haud potest et ad decubitum cogitur, inter quem nullum capitis dolorem sentit et bene se habet. Post resurrectionem redeunt capitis gravitas, occupatio, nec non nausea et ceterae sensationes ingratae (post 9 hor.).

15. Capitis dolor, quasi ab onere gravissimo antrorsum trahente.

Sensus magis stuporificus, quam dolorosus, quasi constrictum sit caput.

Dolor arctans in tempore dextro.

Dolor premens in cerebro (post 6, 14 horas).

Pressio stuporifica in dextro capitis latere, quasi ab instrumento obtuso, intruso.

20. Dolor supra frontem extrorsum premens (post $1\frac{1}{2}$ horam).

Compressio obtusa in fronte.

Dolor in fronte extrorsum premens (post 4, 24 horas).

Pressio in ossibus cranii superioribus cum sensu, quasi a vulnere (post 26 horas).

Dolor in fronte, quasi disrumperetur.

25. Pressio sensibilis in tubere frontis sinistro versus exteriora, pressui manus cedens (post $1\frac{1}{2}$ horam).

Pressio in frontis ambitu.

Dolor in tempore sinistro sursum deorsum trahens, premens, in aëre libero cessans.

Tractio lenis in tempore sinistro.
Dolor lente pulsans in fronte.

30. Dolor, quasi ab ictu in tempus sinistrum.
Dolor stuporificus, subitaneus in fronte, quasi ab ictu vehementiore.
Dolor terebrans in toto cerebro.
Punctus acuti, profundum penetrantes, lente sese insequentes, in latere verticis dextro.
Eruptio pustularum prurientium in capillitio. (*H.*)

35. Desquamatio epidermidis capillitii. (*H.*)
Pruritus exedens, quasi a pediculis in capillitio toto, scalpere cogens. per diem integrum alternatim rediens (post 56 horas).
Pruritus vehemens in capillitio, quasi a pediculis, et post scalpturiginem dolor, quasi ab erosione.
Pruritus exedens in capillitio, ad scalpendum cogens.
Pruritus mordax in capillitio, per noctem continuans, quasi a pediculis.

40. Dolor ardens, stringens, externus in latere verticis sinistro.
Dolor acute premens, externus in latere occipitis sinistro.
Pressio in dextrum capitis latus, quasi illud introrsum premeretur.
Pressio in dextrum frontis tuber.
Ictus bis iterati in frontis ambitum minorem, quasi malleo.

45. Punctus tensivus in osse occipitis.
Dolor premens in ossibus faciei lateris dextri, inter motum maxillae inferioris continuans (post $\frac{3}{4}$ hor.).
Dolor obtuse premens in maxilla superiore, sub osse zygomatico (post 48 horas).
Pressio in osse zygomatico, magis stuporifica, quam dolorosa, in caput et nasi radicem profundum penetrans, — sensus tensivus, stuporificus, molestus.
Dolor vehementer premens, in temporum mox superiore, mox inferiore parte, inter masticationem.

50. Mane, post resurrectionem e lecto, facies turbida, pallida, cum limbis oculorum lividis et genis collapsis.
Faciei pallor per integrum diem (post 40 horas).
Dolor quasi a vulnere in arcu supraciliari dextro, versus tempus, a tactu (post 14 horas).
Pressio obtusa in margine supraorbitali, per intervalla recurrens, mox vehementior, mox mitior.
Pupillae dilatatae (post 1 horam).

55. Pupillae contractae (post 25 horas).
Caligo oculis sine capitis versione ad latus conversis imminere videtur.
Sensus, quasi oculi caligent.
Illacrumatio inter legendum.
Tensio in palpebris oculi sinistri inter legendum (post $6\frac{1}{2}$ horas).

60. Pressio in oculo sinistro deorsum tendens, et in osse zygomatico sinistro.
Oculorum dolor, quasi a nimia per lectionem intentione.
Dolor mordax in oculo sinistro.
Pressio in oculis, quasi a corpore duro.
Ardor in palpebra inferiore et pruritus in ambitu ejus.

65. Ardor in dextra palpebra superiore.
Vespere dolor tensivus in uno oculi cantho, quasi bulbus vehementius sursum vertatur, cum difficultate, bulbum ad aliud latus convertendi (post 5 dies).
Tensio mordax in utraque palpebra dextra, adeo inter motum (post 8 horas).
Pruritus in dextro bulbo (post 30 horas).
Punctio subtilis et pruritus in palpebra superiore sinistra.

70. Palpebrarum, quasi a somnolentia, contractio involuntaria (post $8\frac{1}{2}$ horas).
Pruritus subtilis pungens juxta oculum sinistrum, in nasi radice et osse zygomatico sinistro.
Tumor ruber infra oculos, speciem exanthematis ibi erupturi prae se ferens. (*H.*)

Sensus obtusus, quasi pressio haud dolorifica in nasi dorso.

Pruritus mordax in nasi radice versus oculum sinistrum, quasi a fumo in cubiculo conferto.

75. Pressio obtusa, stuporifica inter radicem nasi et orbitam sinistram.

Pruritus ardens in fronte, gena sinistra et in menti apice, postea noduli cum margine elato, duro, nec sponte, nec a tactu dolentes, ibidem erumpunt.

In gena sinistra sensus, quasi a vento frigidiore afflante; sub manus tactu iste sensus evanuit; manus vero istam genam calentem et altera calidiorem persentit.

Genarum rubor sine calore.

Caloris sensus et genarum calor sine rubore, cum siccitate palati et faucium.

80. Compressio stuporifica utriusque ossis zygomatici, quasi forcipe apprehenderetur.

Pressio haud dolorifica, surda, obtusa, in osse zygomatico sinistro juxta aurem.

Pressio vehemens in genam dextram, prope angulum maxillae inferioris.

Tractio crampoides in aure externa, et infra illam, quasi extrahatur, sensim aucta, deinde vero imminuta.

Calor exoriens mox ex auricula dextra, mox ex sinistra, super idem faciei latus et tum super totam faciem sese dispergens.

85. Sensus in tempore sinistro et meatu auditorio externo, qualis ab oscitatione oriri solet.

Dolor acutus premens in aure interna.

Murmur continuum in aure sinistra.

Tinnitus resonans, stuporificus in aure sinistra.

Cantillatio in aure sinistra. (*H.*)

90. Ardor in ostio auris sinistrae.

Dolor infra aurem, supra processum mastoideum, quasi clavis obtusus in caput intruderetur, cum stupore.

Pruritus circa nasum, per tempus pomeridianum continuatus.

Punctio ardens supra oris angulum sinistrum.

Sensus haud dolorificus, obtusus, quasi labium superius tumeat.

95. Dolor ardens in labio oris inferiore, inter motum et post eum continuus (post 79 horas).

Vulsio spastica oris anguli sinistri, extrorsum tendens.

Tumor repente oriens circa oris angulum sinistrum. (*H.*)

Pustula suppurans in dextro et sinistro menti latere (post 48, 78 horas).

Dolor acutus, premens, in sinistro colli latere, juxta pomum Adami.

100. Dolor, quasi cuspis acutus in dextro colli latere oesophagum premat, cum dolore simplici musculorum colli a pressu externo.

Pressio sursum tendens in anterioribus colli musculis, colli cingulum solvere cogens; sensus strangulans, suffocationem minans.

Carotidum pulsatio sensibilis, vehemens, plena, quamvis tarda.

Dolor obtuse lancinans, sub vesperam et noctu, in sinistro nuchae latere et in scapula sinistra, cum dolore lancinante in tempore et dente molari secundo alternans.

Dolor per noctem continuans, lancinatim trahens, in dente molari primo sinistri lateris, et interdum in vicino cavo; qui dolor statim evanescebat, si lectum relinqueret, et confestim redibat, si iterum stragulis recumberet, cum anxietate, quasi morte instante, cum mictu crebro, vomituritione et calore in gena sinistra (prima nocte).

105. Tractio simplex in dentibus molaribus maxillae inferioris.

Dolor acutus, trahens, in dente molari secundo lateris sinistri.

Dolor dentium inter masticationem secatim premens, post illam statim cessans; a pressu aut tactu dentis dolor nullus (post 2 horas).

Dentium molarium sensibilitas, quasi omnes cavi essent.

Sensus in ore, quasi dentes omnes vacillarent, cum colore livido albescente gingivarum maxillae superioris et inferioris (post 34 horas).

110. Lingua strato albido tecta, cum sensu siccitatis in ore et labiorum ariditate (post 31 horas).

Papillae linguae omnes erectae, unde lingua aspera et sordido-albi coloris esse videtur.

Punctus subtiles in lingua et ardentes in latere sinistro linguae (post $2\frac{1}{2}$ horas).

Ardoris species ab oesophago usque in ventriculum (post 9 horas).

Appetitus esculentorum et tabacum fumigandi deletus.

115. Nullus appetitus, vigente adhuc fame, vescitur cibo cum taedio potius, quam cum voluptate, et paululum tantum assumit.

Anorexia, cum sapore escarum integro; sed statim satietas sentiebatur (post $5\frac{1}{2}$ horas).

Sitis, potulentorum largior quam antea haustus.

Potulentorum frigidorum, maxime aquae frigidae, appetentia.

Anorexia cum fame canina, magnam copiam escarum avide devorat.

120. Fames canina cum manuum tremore inter pastum et magna corporis debilitate (post gressum acceleratum, per $\frac{1}{2}$ horam continuatum).

Inter prandium, quod avide, ut in fame canina, devoraverat, sensus titubans in capite, quasi visu audituque evanescentibus, et maxime quasi oculus dexter caligaturus sit.

Fames vehemens magno cum appetitu (post 6 horas).

Ructus inter prandium crebriores, inanes.

Ructus fortiores, crebriores, inanes.

125. Ructus odorem putridum redolentes, saepius repetiti. (*H.*)

Ructibus aliquid e ventriculo redit in os (eructatio).

Fastidium casei antea appetenter assumti.

Sapor escarum omnium insipidus et fatuus, vespere.

Sapor fatuus in ore extra pastum, quasi a ventriculo corrupto. (*H.*)

130. Anorexia; omnium fastidium, quasi vomitum et diarrhoeam adductura essent.

Vomituritio ascendens cum colluvie aquae in ore.

Sensus vomituritionis magnae cum aquae in ore colluvie, qua deglutita vomituritio per momenta silet, cum sapore fatuo in ore.

Vomituritio pronatione corporis aucta, ructibus per momenta mitigata.

Post vomituritionem fames magna.

135. Nausea in ore, quasi a vomitu exorituro (post 4 horas).

Nausea quasi in ore et saepius aquae effluvium ex illo inter quemcunque strangulationis accessum, quasi a verminatione, per 2 horas, cum contractione crampoide, dolorosa, musculorum colli, quasi strangulentur, et simul in abdomine ejusque musculis; initio per strangulationem vehementem pituita e faucibus, postea vero liquidum, cibos antea sumtos solutos continens et saporem acidum redolens, ejiciebatur, per 2 horas (post 6 horas).

Buccella panis deglutita, vomitus molimina et vomitus ipse oriebantur, quo panis frustulae, et quae modo pauca assumserat, aquae copia mixta ejiciebantur (post $6\frac{1}{2}$ horas).

Prandium bono cum appetitu consumit, nausea vero et deliquescentia nascens eum desinere cogunt.

Vomitus aquae flavo-viridescentis, amarae (post 12 horas).

140. Valetudo adversa universalis, cum vomituritione.

Vacui sensus in regione scrobiculi cordis, cum oppletionis sensu in abdomine.

Pulsatio per vices recurrens in sinistro latere, supra cordis scrobiculum.

Sensus in cordis scrobiculo, quasi cordis pulsum per totum pectus sentiat, sicuti post exaestuationem vehementiorem fieri solet, digiti vero tactu nec aliquid percipit, nec reapse cor fortius aut sensibilius quam alio tempore pulsat.
Pressio dolorosa infra costas spurias lateris sinistri in ambitu regionis epigastricae minore, inter quamcunque exspirationem; inspiratione vero remittens, pressu externo aucta, et per horam dimidiam continuans (post 3 horas).

145. Frigiditatis sensus in dextro abdominis latere.
Dolor pungens, ex abdomine sese extrorsum vertens, longe protractus in latere dextro, juxta umbilicum.
Ictus obtusi in sinistro latere, sub umbilico.
Punctio uti forcipe premens in abdomen, inter eundum.
Tormina uti forcipe prementia, per intervalla recurrentia, in abdomine interdum cum moliminibus diarrhoicis juncta.

150. Tormina uti forcipe prementia intestinorum (post 24, 75 horas).
Sensus debilitatis intestinorum, quasi a laxantium abusu, et quasi diarrhoea insecutura sit.
Vacui sensus eximius in epigastrio.
Sensus rodens super umbilico, versus latus dextrum.
Dolor quasi acubus pungens sub umbilico (post 58 horas).

155. Sensibilitas dolorosa circa umbilicum cum sensu ingrato in hypogastrio toto et inquietudine in regione umbilici, modo ad pressionis, modo ad rasionis similitudinem accedens.
Ictus vulsorii, volatici, terrorem incutientes imo in hypogastrio, super penis radicem.
Borborygmi in umbilici regione cum vacui sensu in abdomine, brevi post flatuum decessus (post ½ horam).
Murmur in epigastrio et in hypogastrio.
Flatuum foetidissimorum, odorem ovi

putrescentis redolentium decessus copiosus.

160. Flatuum copiosa missio.
Molimina alvum evacuandi irrita. (*H.*)
Molimina et nisus alvum deponendi irritus.
Alvus obstructa primo die.
Sedes: cujus excrementum praevium diarrhoicum, ultimum vero consistentius pressus ope evacuatur.

165. Alvina excretio post 24 horas, cujus prior pars dura, in particulas divisa, altera vero tenuior erat.
Excrementa dura difficulter deponuntur.
Sedes tenuiores, flavae, borborygmis in abdomine praegressis (post 39 horas).
Cibi vespera superiore assumti, indigesti fere, et sine ullo nisu excernuntur, ita ut flatus tantum decedere ei viderentur (post 48 horas).
Diarrhoea. (*H.*)

170. Excrementorum tenuiorum, aquosorum evacuatio (post 6½ horas).
Sedes molles (post 48 horas).
Ardor in ano extra evacuationem alvi, sicuti et ante illam et post illam.
Micturitio crebrior cum urinae profluvio parciore (post 27 horas).
Missio lotii copiosi crebrior (post 24 horas).

---

175. Sternutatio vehemens, bis repetita.
Punctus subtilis in cartilagine thyreoidea.
Pituita tenax, tracheae inhaerens, post resurrectionem e lecto mane ad screatum crebriorem cogit.
Pruritus in larynge, aëre inspirato nascens, tussim brevem, sed totum corpus concutientem excitat.
Frigiditatis sensus in pectore sinistro repentinus.

180. Vacui in pectore sensus magnus, quasi cavum thoracis evisceratum esset.
Cordis palpitatio fortis cum sensu, quasi pectus amplificatum sit; respirat magna cum thoracis elevatione sine angustia.

Inter decubitum sensus pectoris angustioris, spiritum profundius et longius trahere cogens (post 6 dies).

Inter decubitum, pectoris in regione scrobiculi cordis coarctatio, et quarta horae parte post decubitum elapsa vomitus pituitosus, aquosus, frustulis panis assumti intermixtus; corporis erectione pectoris coarctatio cessat (post $7\frac{1}{2}$ horas).

Sensus, quasi pectus a re gravante comprimatur, inspirationes anxias et profundas in eundo, stando et decumbendo provocans (post 10 horas).

185. Anxietas circa cor, absque tamen mentis angore, cum tremore totius corporis per plures horas (post 7 horas).

Dolor obtuse trahens supra cor, inter corporis pronationem vehementior, et inter exspirationem continuans (post 55 horas).

Dolor ruens in cartilaginibus costarum dextri lateris, cum pressione per intervalla recurrente in ambitu minore, pressu externo aucta.

Dolor pectoris dextri externus, quasi a pressu duriore.

Punctus obtusus, continuus in sterno (post 24 horas).

190. Punctus obtusi in costa spuria dextri lateris, qui locus etiam simpliciter a pressu externo dolet.

Punctio tensiva in sterno, pronatione vehementior (post 12 horas).

Punctus obtusi in pectore inter eundum, exspirando exasperati (post 8 horas).

Pressio obtusa in superiore sterni parte.

Ictus aliquot obtusi, per intervalla recurrentes, in hypochondrio sinistro.

195. Rasio per intervalla recurrens in costa pectoris sinistri, in regione cordis scrobiculo opposita.

Pulsatio, ictuum obtusorum ad instar, in pectore sub axilla dextra.

Dolor obtusus in sterno (post 10 horas).

Punctus obtusus in pectore sinistro, in-

ter inspirationem et exspirationem perstans (post $5\frac{1}{2}$ et 29 horas).
Punctus in diaphragmate inter decubitum, sub inspiratione et exspiratione, corporis vero erectione cessantes (post 31 horas).

200. Punctus subtiles in pectore sinistro (post $1\frac{1}{2}$ hor.).
Punctus, quasi a cultro, in pectore sinistro (post 48 horas).
Punctio obtusa in pectoris latere sinistro inter eundum.
Punctus tensivus medio in pectore (post 31 horas).
Vulsiones in musculis pectoris sinistri (post 15 hor.).

205. Dolor, quasi pugillus violenter intrudatur, aut quasi a pondere nimio elato, in dorsi latere dextro.
Punctio tensiva in dorso, inter eundum et statum (post 29 horas).
Punctus ardens in dorso sub scapula sinistra, inter sessum, motu sublatus (post 78 horas).
Punctus subtiles, subitanei, terrorem fere incutientes, profundum penetrantes, in dextra dorsi dimidia parte.
Pruritus in dextra scapula.

210. Pressio obtusa dextro in acromio.
Dolor brachiorum in humeri articulo, quando altius attolluntur, aut caput illis in lecto imponitur.
Punctus continuus in axilla dextra, frictioni cedens (post 27 horas).
Dolor uti forcipe premens, externus, in humeri superiore parte.
Tractio crampoides in osse humeri prope cubitum, periodice recurrens.

215. Vulsiones in musculis brachii sinistri.
Vulsionis sensus in humero dextro.
Pruritus sensus supra cubiti flexuram.
Pressio obtusa in antibrachio, quasi ab ictu fortiore.
Pressio per vices reiterata in ambitu minore lateris externi antibrachii sinistri.

220. Punctus obtusi aut ictus in antibrachio sinistro, prope manus carpum.
Tractio in antibrachio supra manus articulum.
Punctus ardens in antibrachio sinistro.
Venarum manus turgor, sine calore.
Pressio obtusa, per intervalla recurrens, in vola manus.

225. Dolor pulsans in latere interno antibrachii dextri, prope manus articulum.
Manus tremor inter scribendum, ante pastum.
Tractio crampoides in digitis.
Tractio in digitorum articulis superioribus.
Punctus ardentes in extremo digiti indicis sinistri (post 12 horas).

230. Punctus ardens in anteriore digiti medii dextri articulo, manus tremorem excitans.
Lancinatio vulsoria, crampoides, in superiore digiti medii sinistri phalange.
Punctio subtilis et pruritus in superiore digiti medii phalange.
Tumor repentinus digiti annularis, cum dolore ardente, flexione impedita. (*H.*)
Pruritus in pollice dextro, ad scalpendum cogens, quo primum remittit, paulo post autem a sensu exedente excipitur.

235. Ardor tensivus in extremo pollicis sinistri (post 2 horas).
Dolor, quasi ab ictu fortiore in inferiore pollicis phalange, pollicis tremorem excitans.
Pruritus supra nates, ad scalpturiginem cogens.
Vesiculae prurientes in natibus.
Dolor stringens in musculis glutaeis unius femoris, quasi a luxatione, inter eundum.

240. Punctus obtusi in posteriore ossis ilei parte, a pressu externo dolor simplex ejusdem loci.
Punctio trahens in femore dextro, inter statum et ascensum haud percepta.
Dolor quasi acu pungens in musculis internis femoris sinistri (post $1\frac{1}{4}$ horam).
Debilitas femorum crurumque cum

sensu in pedibus, maxime in plantis, quasi a narcosi, inter eundum (post 12 horas).

Caloris sensus in latere femoris, quem brevi post frigoris sensus infra illum locum sequebatur.

245. Dolor quasi a pressu loci contusi, inter celeriorem gressum, in anteriore femoris parte. (*H.*)

Pressio stuporifica, quasi a sanguinis circuitu per vinculum arctius constrictum impedito, in externo femoris latere.

Punctus pruriens in musculis femoris posterioribus, post scalpturiginem ardor.

Pressio obtuse pungens in femore dextro.

Pressio per intervalla recurrens, pressu externo aucta, in femore dextro.

250. Pruritus, scalpturigini per aliquot temporis spatium cedens, in externo et anteriore femoris latere.

Vulsio haud dolorifica, quasi musculus agitetur, in inferiore superficie femoris sinistri.

Pressio simplex in femore supra genu.

Dolor ardens et subtile pungens in loco femoris dextri super ipsum genu.

Tractio crampoides in dextro genu flexo.

255. Dolor pedum inter sessum, quem ut ad tempus minuat, illos mox attrahere, mox extendere cogitur.

Sensus debilitatis dolorosae in pedibus, qualis iter pedestre longius sequi solet.

Tractio undulatoria in crurum tubis.

Dolor pulsans in poplite, cruribus attractis.

Vulsionis sensus in dextra sura.

260. Crampus surae dextrae dolorosus inter sessum.

Lancinatio in sura sinistra inter eundum (post 34 horas).

Sensus debilitatis paralyticae inter eundum in pedibus, quos sedens attraxerat.

Pressio dolorosa, in longis intervallis recurrens, super articulum pedis sinistri.

Punctus pruriens, per aliquot tempus continuans,

in articulo pedis dextri, antrorsum tendens, motu haud sublatus (post 29 horas).

265. Pressio simplex in dorso pedis.

Punctus pruriens in malleolo interno pedis dextri, scalpendo cessans.

Punctio subtilis et pruritus in calce sinistra.

Ardor in extremo hallucis dextri, inter sessum (post 31 horas).

Punctus tensivi in extremo halucis sinistri (post 32 horas).

270. Pressio obtusa, per accessus reiterata, quasi ab ictubus fortioribus, in ambitu minore plantae pedis dextri.

Sensus pruritive pungens in planta pedis dextri, inter quietem (post 12 horas).

Pressio introrsum tendens, violenta, in variis corporis partibus, sensim sensimque tum aucta, tum deminuta.

Dolor crampoides (tractio crampoides) in variis artuum locis, v. gr. in pollicis vola, in pedibus etc.

Pressio arctans in compluribus trunci et artuum locis, in manuum pedumque digitis, quasi ossa conterantur.

275. Magna cutis totius sensibilitas; a frictione vestimentorum eroditur et dolet quasi a vulnere, ex. gr. in collo a cingulo collari, in femoribus a braccis amplis inter eundum.

Symptomata secundo die vehementiora, quam priore.

Pruritus hic illic in corporis cute, scalpere cogens.

Pruritus mordax in corpore toto inter vestimentorum depositionem, quasi ab exanthemate, scalpere cogens (post 40 horas).

Pruritus universalis. (*H.*)

280. Corporis debilitas.

Sensus ingratus et debilitas in abdomine et pectore; aegrum se sentit.

Lassitudo, segnities et laboris fuga.

Languor et cordis deliquescentia, quasi animam quacunque exspiratione exhalaturus sit.

Corporis totius debilitas tanta, ut solus domum repetere haud posset, sed domum eum reduci et in lecto decumbere oporteret; quo facto sopore sepultus ad vesperam usque jacebat et nocte insequente bene dormiebat.

285. Lassitudo et in plantis pedum dolor in ambulatu brevi.

Lassitudo et languor artuum, ambulatum in cubiculo vix permittens, cum genuum debilitate.

Extensio trunci et brachiorum (post $9\frac{1}{2}$ horas).

Extensio et pandiculatio artuum cum sensu grato, universali (post $9\frac{1}{2}$ horas).

Oscitatio crebra cum horrore totum corpus percurrente inter quamcunque oscitationem, qui quassantem et tremulantem motum in musculis omnibus excitat (statim).

290. Agrypnia. (*H.*)

S o m n i a l i b i d i n o s a, c u m p o l l u t i o n i b u s, n o c t e s e c u n d a e t t e r t i a.

S o m n i a i n q u i e t a.

Inquietudo et agrypnia nocturna.

Mollitiei et deliquescentiae in cordis scrobiculo inter decubitum post somnum sensus, quasi a vomitu minante, cum dyspnoea inter erectionem corporis imminuta (post $5\frac{1}{2}$ horas).

295. Pulsus valdopere variabilis, mox frequentior, mox tardior, mox plenus, mox mollis, parvus et debilis.

Pulsus tardior, postquam lectum mane reliquerat.

Horror repentinus, qualis in paroxysmo frigoris febrilis summo adesse solet, vel quasi a terrore vehemente percussus esset.

Horror inter oscitationem.

H o r r o r f e b r i l i s s u p e r t o t u m c o r p u s p e r f u s u s, i n t e r m o t u m e t q u i e t e m, s u b s e q u i s t a m e n n e c s i t i, n e c c a l o r e (post $1\frac{1}{2}$ horas).

300. Horror totius corporis, cum manuum genarumque calore, absque tamen siti, inter motum et quietem (post $3\frac{1}{2}$ horas).

Pulsus frequens et plenus vespertino tempore.

Caloris sensus simul cum totius corporis frigore, absque siti; calor solito major tactu tamen sentiebatur (post 7 horas).

Calor volaticus, percurrens corpus, cum animum strenue negotiis advertit; etiam in sessu et in gressu celeriore ingravescit calor, praecipue in facie, ubi junctus est cum sensu acuum ad instar pungente.

Calor inter legendum e corpore extrorsum urgens.

305. Accessus palpitationis cordis pluries recurrentes. (*H.*)

Laboris taedium.

Stupiditas, morositas et laboris fuga.

Nec ad laborem, nec ad negotia gratissima propensus.

Ob sui ipsius diffidentiam tristis.

310. Animus morosus, in se conversus.

Allocutionum intolerantia.

Iracundia magna, de minimis excandescit, cum poenitentia statim pedissequa.

Observata medicorum veteri doctrinae addictorum.

Stupor. (*Petr. de Abano*, de venenis, cap. 37.)

Labia fusca, maxime labium inferius, faciei colore haud mutato, vix pallido. (*Morgagni*, de sed. et caus. morb. Epist. LIX. §. 12.)

Loquendi facultas plane deleta, respiratione illaesa. (*Morgagni*, l. c.)

Quaestionibus responsura, sonum tantummodo, verba autem articulata proferre non poterat. (*Morgagni*, l. c.)

(5) Potulentorum et escarum inappetentia. (*Morgagni*, l. c.)
Vomitus immanis, siti exceptus. (*Morgagni*, l. c.)
Murmur in abdomine. (*Petr. de Abano*, l. c. cap. 37.)

Cordis palpitatio et anxietas. (*Petr. de Abano*, l. c. cap. 13.)
Animi deliquia. (*Petr. de Abano*, l. c. cap. 13.)

(10) Sopore quasi sepulta jacebat, conscientia et se movendi facultate adhuc vigentibus. (*Morgagni*, l. c.)

Opium.

Succus capitum Papaveris somniferi viridium exsiccatus.

(Tinctura e quinquaginta granis opii in pulverem redacti cum mille spiritus vini guttis, quotidie agitata, intra hebdomadis spatium in loco temperato extracta; quo facto liquor pellucidus de sedimento defusum usui reservatur.)

Opii vires multo difficiliores cognitu sunt, quam cujusvis fere alius medicamenti.

In dosium parvarum et modicarum effectu primario, ubi organismus affici se medicamine patitur, irritabilitatem actionemque musculorum voluntati subjectorum ad breve tempus adaugere, involuntariorum vero per longius tempus deminuere, atque dum vi primaria phantasiam excitat animumque erigit, simul (sensus externos) coenaesthesin et mentem obtundere et stupefacere videtur. — Contrarium tum effectum organismus vivus reactione, videlicet effectu secundario, provocat: irritabilitatis defectum et inertiam musculorum voluntariorum, nec non incitabilitatem morbose adauctam musculorum voluntatis, imperio exemptorum, idearum inopiam et phantasiae stuporem cum trepidatione, sensationisque communis hyperaesthesiam.

Dosibus majoribus effectus primarii non solum multo periculosiores eduntur, sed tumultuose etiam et praecipitanter inter se transcurrunt, effectibus saepe intermisti secundariis sive in eos cito transeuntes.

In aliis hominibus haec, in aliis illa symptomata potiora sunt.

Nulla unquam medicina aegroti querelas citius opio tollit, eoque medici invitati frequentissime in usum id vocarunt, maximum eo adferentes damnum.

Si opii usus in morbis perinde salutaris esset, ac frequens est, nullum profecto medicamentum aegrotos saepius redderet s a n o s, quam opium; quod vero nequaquam ita sese habet.

Jam vis ejus permagna et effectus celer docet, exacta opus esse virium ejus cognitione earumque accurato et diligenti examine, ut opium r e v e r a s a l u t a r i t e r adhibeatur, q u o d f i e r i n e q u i t s i n e u s u e j u s h o m o e o p a t h i c o.

Quoniam vero adhuc usi sunt opio non nisi antipathice, palliative, nec nisi primarias ejus vires statui opposuerunt morbi contrario, — ut contraria contrariis curarentur; — si ab illis discesseris exemplis, ubi hanc legem medendi Galenicam antiquitus sancitam (improvisone? an numinis afflatu?) medici migrarunt et inde mirabiles ediderunt morborum curationes — quid mirum, si nullum aliud medicamen allevationem magis fallentem, palliationem magis decipientem morborumque, ut ita dicam, incrustationem progenuit, cum sequelis malignioribus, quam ipse morbus fuerat primarius, nullum majus intulit damnum (simulans primo levamen), quam idem illud opium?

Cuilibet generi tussis, diarrhoeae, vomitus, insomniae, melancholiae, spasmorum affectionumque nervorum — praeprimis vero omni generi dolorum promiscue opium, quod hic remedium putarunt principale, opposuerunt.

At vero innumerae illae affectiones morbosae nequaquam respondent viribus opii primariis, ex quo

facile intelligi potest, usum opii talem in plurimis corporis animique pathematibus neque durabili effectu, neque salutari potuisse probari. Quod ipsum experientia edocet quotidiana.

Opium tussim, diarrhoeam, vomitum, agrypniam, tremorem etc. interdum quidem tollit, si mala ista exigua et subitó exorta sunt in corpore hactenus sano. Tum facile ex. c. tussicula e refrigerio admissó nunc primum enata, tremor a terrore nunc primum profectus, diarrhoea metu, refrigeratione aut alia quacunque causa exigua provocata, vomituritio animi motu, nausea etc. excitata et q. s. p. opii usu interdum cito disparent, quia pathemata ista modo memorata semel tantum et brevi tempore supprimi opus est, ut corpori antea sano libertas rursus permittatur, omnem in ista mala proclivitatem sponte delendi et priorem sanitatis statum propria vi tuendi et continuandi. (Vid. Organon der Heilkunst, Ed. altera, §. 78. Not.)

At vero ex suppressione ista horum malorum acutorum et levium palliativa non sequitur, opium vera pollere virtute medica, has affectiones in quovis casu et qualibet conditione cum certo eventu sanandi; immo eas tollere nequeat nec in sanitatem commutare, si symptomata tantum morbi alius sint, cui vires opii, ut remedii homoeopathici, primariae non accommodatae sunt, vel si diutius jam duraverint, quia affectiones istae non continentur effectibus opii primariis.

Quare adhuc fere semper in praxi medica cum summo damno in tussi inveterata, diarrhoeis continentibus, agrypnia diuturna, vomitu chronico itemque in spasmis, anxietatibus et tremore, quae mala jam in consuetudinis habitum abissent, adhibitum est. Nunquam vero nec ullo in casu affectiones istae, per

longius tempus corpus infestantes et a morbis longe aliis, adversus quos opium remedium homoeopathicum non est, originem ducentes, opio sanari potuerunt, ita ut sanitas inde sequeretur durabilis.

Opium istis morbis chronicis adhibentes deprehendent, morbos tantum ab initio falsa specie videri mitigatos et supprimi per aliquot horas, tum, nisi doses adaugeantur, opium non amplius salutiferum esse, portionibus vero largioribus mala vix breve tempus silere, atque si revera id contigerit, nova progigni mala et morbos multo pejores, arte paratos; — quae mala profecto imputanda sunt abusui aeque frequenti ac pernicioso hujus remedii, quod malis prorsus contrariis curandis a natura destinatum est*).

Abusus vero, quo medici adhuc fere omnes**) opium in quovis d o l o r u m genere, etsi quam maxime inveteratorum, adhibuerunt, omnium maxime conspicuus erat. Jam rationi repugnat et panaceae olet temeritatem, si quis uno medicamine dolores inter se diversissimos voluerit sanare. Considerandum est enim,

---

*) Quodnam remedium inveniri potest opio aequiparandum in constipatione alvi pertinacissima, nec non in febribus acutis cum sopore comatoso, inspiratione stertorosa, ore semiaperto et artuum vulsionibus, cum calore urente corporis sudantis, et in nonnullis aliis morbis, qui primariis opii viribus ad s y m p t o m a t u m s i m i l i t u d i n e m respondeant?

**) Etsi jam ante hos undecim annos hoc ipso loco usum opii adversus dolores a medicis adhibiti argumentis refutavi maxime luculentis, nemo medicorum tamen fere me audivit, nec eorum animo scrupulus injectus est aut excitata animadversio, ut veritatem agnoscerent, ut deterrerentur ab incongrua ista et aegrotis perniciosissima agendi ratione. Ego vero sentio, me hac lege esse atque ea habere principia, ut veritatem aperte profitear, nam veritas et natura mecum faciunt.

singularem naturam dolorum in morbis, eorum locum, tempus et conditiones, quo modo dolores oboriuntur, recrudescunt, ingravescunt et imminuuntur, tantum inter se differre, ut creator mundi non possit, quin contra eos magnum medicaminum diversorum numerum progenuerit, qualibet certa re certam efficientiam habente certisque finibus circumscriptam. Sed opium remediis, dolores mitigantibus et sanantibus, adnumerari nequit. Opium solum (conium maculatum quoque huc referri potest) ne ullum quidem vi primaria excitat dolorem. Quodvis contra aliud medicamentum in corpore humano sano dolores quosdam, eosque unumquodque sibi proprios, vi sua primaria suscitat, unde similes in morbis sanare et delere potest, inprimis si cetera quoque morbi symptomata illis similia fuerint, quae in medicamine observavimus. Solum opium nullum dolorem homoeopathice, i. e. ita ut constanter sileat, vincere potest, quia per se ne unum quidem progignit dolorem vi primaria, sed plane contrarium, insensibilitatem, quam necessario sequitur (in effectu secundario) sensibilitas major quam antea, ergo sensatio acerbior doloris.

Itaque omnes dolores, vi opii primaria stupefaciente sensationemque opprimente palliative ad breve tempus repressi, mox *) vehementia redeunt eadem,

---

*) Willis, Pharmacia rationalis, p. 298. et 295. (ed. Genev. a. 1680. 4. P. I. p. 184.) Opiatae dolores atrocissimos plerumque sedant atque indolentiam cum vel absque somno procurant, eamque post hunc finitum aliquamdiu et pro stato quodam tempore continuant, quo spatio elapso dolores mox recrudescunt et brevi ad solitam ferociam augentur, et p. 182., donec particulae opiaticae operari et potentiam suam narcoticam exerere continuant, ... summa allevatio et indolentia in parte affecta persistit; dein vero

quam ante habuerant, simulac vis primaria stupefaciens exspiravit, id quod omnium medicorum attentorum experientia testatur. Immo dolores isti reverti solent acerbiores, atque, hanc vulgarem et perniciosam viam sequentibus, dolores dosibus opii non solum repetitis, sed largioribus etiam denuo reprimendi erunt, quo alia contra procreantur mala, quibus aeger antea nondum laboraverat.

E morbis tantum chronicis curandis vera ars medica metienda est et aestimanda; morbi subito oborti levisque momenti evanescunt, sive adhibueris sive non adhibueris medicamenta, insita vi ipsius organismi; medicamentis adhibitis multo citius cedant et firmiore effectu, quam sponte necesse est, ut res sanationis nomen mereatur.

Quod si opium in morbis acutis interdum dolores tollere videtur, hujus rei causa satis manifesta haec est, quod morbi isti, nisi aegrotum enecant, sponte post paucos dies decedunt et una cum iis dolores.

Opium in eo tantum casu raro dolores vere sanare videtur, ubi ceteri effectus primarii morbi symptomatibus homoeopathice respondent et ita morbum ipsum tollunt, atque cum eo dolores inde natos. Cum ex. gr. quaevis dysenteria a faecum in intestinis superioribus retentione proficiscatur, quaedam ejus species, cum ardore et stupore conjunctae, opio curari possunt, cum symptomata haec et una cum iis dolores, qui maxime ab excrementorum cohibitione spasmodica pendent, similibus opii viribus primariis submoveantur.

---

exactis medicamenti viribus illico redeunt tormina, nec atrocitatem suam remittunt, nisi dum ab eodem pharmaco rursus incantantur.

Similiter opium dolores colicae saturninae prius profligare nequit, quam effectu primario, alvum adstringente, constipatio alvi pertinax, quam plumbum peperit, homoeopathice sublata est, ergo et hoc modo mediate tantum, nec vi stupefaciente, parvis nimirum dosibus nec stuporem adducentibus. Ad dolores vero ipsos immediate sedandos, ita ut nullum inferatur damnum, opium neutiquam valet; immo potius remedium optimum est morborum stupore insignium, ubi mali cujusdam magni dolor ab aegroto non sentitur, ex. gr. in decubitu exitiali, ubi aeger, mentis stupore affectus, de nullo conqueri potest dolore.

Morbi dolorifici acuti et chronici (occlamitent licet omnes medici antipathici et allopathici) eo tantum medicamento, ita ut sanitas consequatur durabilis, curari possunt, quod praeter ceteros effectus primarios, qui similes sunt morbi symptomatibus, genus simul dolorum edere per se possit persimile ei, quod in ipso morbo deprehenditur.

Quod praetermittentes omneque dolorum genus opio solo antipathice curantes, magna et varia damna medici inde experti sunt: stuporem, obstructionem alvinam et alia symptomata molesta et periculosa, quae necessario perversa hac et antipathica opium adhibendi ratione procreabantur, et quae opii effectus proprii sunt, sine quibus opium non esset. Isti vero effectus molesti, qui in tali ejus abusu evitari non poterant, pro vera et peculiari opii virtute non habiti sunt, sed pro vitio ei adhaerente, a quo artificiis liberandum esset multifariis, ut innoxium et benignum redderetur. In hanc opinionem delapsi, per bis mille fere annos, corrigentibus sic dictis opium vitiis istis eximere subinde tentarunt, ut dolores nimirum sedaret et spasmos, neque tamen deliria progigneret alvum-

que duram, ut vomitum et diarrhoeam inhiberet, nec tamen stupefaceret, ut agrypniam chronicam in somnum immutaret sanum, nec tamen calorem cieret et cephalalgiam, tremorem, languorem, frigus animumque demissum afferret.

Quare condimenta ei adjuncta sunt calefacientia, quae vim in effectu secundario frigefactantem, et remedia ei addita sunt laxantia et salia, quae vim alvum adstringentem infringerent. Praecipue opio in aqua iterumque solvendo, deinde colando et inspissando, resinam ejus crudam, quam inutilem ducerent et noxiam, separare ab eo, et digestione per aliquot menses instituta vim ei adhaerentem volatilem, quam pro veneno narcotico haberent, depellere ab eo conabantur; atque etiam eo progressi sunt, ut hunc succum ignibus succensis torrendo meliorem reddere mitioremque studerent; tum vero opinabantur, panaceam sese optimam contra quaevis mala morbosque, contra dolores, insomniam, diarrhoeam etc. elaboravisse, eamque, quae omnia opii vitia deposuisset.

Sed ipsi plane fallebant; quippe operationibus istis opium viribus tantum destituebatur, natura ejus non immutata. Majoribus nunc dosibus opus erat ad finem eundem assequendum, atque majores doses aegroto propinatae effectum habebant eundem atque opium primitivum; praeparatum novum nihilo secius stupefaciebat alvumque adstringebat etc., unde liquet, opio non inesse vitium, quo possit privari, non magis quam cuivis alii medicamini, ejus autem vires medicinales non posse non esse molestas, noxias atque periculosas, si dosibus magnis antipathice adhibeatur, nec usus ejus fiat homoeopathicus. Opium prae multis aliis medicamentis ejus est indolis, ut iis, qui ei non assueti et valde sensibiles sunt, multo magis vero

dosibus permagnis reactionem ab initio singularem, brevem et momentaneam faciat, quae vero cum ob brevitatem, tum ob raritatem et naturam peculiarem cum effectu vero et primario haud confundenda est. Quae reactiones rarae, momentaneae et ab initio conspicuae fere totae cum vi organismi adversus opium secundaria consentiunt (sunt quasi, ut ita dicam, imago effectus hujus secundarii): Pallor ut mortui, frigiditas extremitatum sive corporis totius, sudor frigidus, angor tremebundus, tremor et trepidatio, sedes mucosae, vomitus momentaneus, sive tussicula, et rarissime hic vel ille dolor.

In dosibus opii maximis, quae ad veneficium perficiendum valent, effectus primarii fere nulli conspiciuntur, sed reactio inchoata tanquam effectus secundarius in mortem statim transit, ut et ipse observavi et Willisius (pharm. rat. sect. VII. cap. I. p. 292.) testatus est.

Qui e gente orientali opio luxuriose dediti sunt, cum crapulam opii edormiverunt, in statu versantur, qui ab effectu opii secundario pendet; vires animi nimio ejus usu valde debilitatae sunt. Frigidi, pallidi, tumiduli, tremebundi, animo demisso, enerves, stupidi et dysphoria anxia interna agitati in tabernam migrant pede infirmo, ut numerum pilularum ingerant opiatarum, quae cursum sanguinis accelerent eumque calefaciant, quae vires vitales prostratas erigant, phantasiam inertem et languentem resuscitent et musculis relaxatis aliquam palliative tribuant efficaciam.

Symptomata opii infra descripta maximam partem ad effectum secundarium et reactionem organismi sunt referenda. Medici, qui ab opii, antipathice et dosibus magnis adhibiti, abusu noxio nondum abhorrent,

effectus hos secundarios horribiles animo perpendant; valde dolendum sit, nisi animus eorum commoveatur et ad melius agendum stimuletur.

Antidota dosium opii periculosarum sunt tinctura Ipecacuanhae, Camphora, praesertim potus e Coffea paratus, concentratus, calidus, superne et inferne copiosius ingestus, frictione simul corporis instituta. Ubi vero corpus jam congelascit, fibrae musculorum sensibilitate et irritabilitate carent, balneum calidum (palliativum) in subsidium adhuc vocetur necesse est.

Ubi ad dolores sedandos et diarrhoeas inhibendas opium, magnis dosibus adhibitum, paralysin extremitatum veram progenuit, paralysis ista sanari nequit, non magis quam paralyses ictibus electricis magnis allatae, medelam unquam admittunt.

Aliae vires opii primariae horas tantum aliquot perdurant, aliae, praesertim a dosibus majoribus profectae, diutius.

Opium iis adnumerandum est medicamentis, quorum vires primariae raro admittunt usum in hominum morbis homoeopathicum; tum guttulae pars billionesimae dilutionis pro dosi adhibeatur *).

Schoencke.

---

*) Experimenta in corpore sano, ad opii vires indagandas, fecerunt, praeter Sam. Hahnemannum, Car. Aug. Cubitz, Sal. Gutmann, Chr. Aug. Schoencke, Ernest. Stapf.

Symptomata.

A pronatione vertigo (hora vicesima). (*H.*)
Obtenebratio capitis, cum sensu caloris sicci in oculis et proclivitate ad claudendum oculos, sine dormituritione, cum sensu, quasi noctem antecedentem transegisset insomnem.
Cephalalgia unius lateris frontis, quasi quid premeret extrorsum, pressione externa imminuta. (*H.*)
Lancinatio et pulsatio in fronte, ructus acidi, vomitus acidi. Decumbendum ei erat et tum sudabat. (*H.*)
5. Dolor, quasi cuncta sint dilacerata in capite, et sensus, quasi omnia in corpore circumvertantur, cum dysphoria indignabunda.
Vulsiones singulae in temporum musculis. (*H.*)
Sudor frontis frigidus. (*H.*)
Vicissitudines ruboris et palloris faciei crebrae. (*H.*)
Omnes faciei musculi quasi relaxati videntur, unde facies stupiditatis speciem prae se fert; labium inferius proclive ad laxe dependendum, nares latius apertae, et palpebrae superiores vix possunt attolli.
10. Pupillae dilatatae (horis primis). (*H.*)
Pupillae contractae. (*H.*)
Caput reclinatum (tetanus quidam nuchae) (post primam horam). (*H.*)
Labium inferius dolet attactu dentium superiorum vel digitorum.
Odontalgia. (*H.*)
15. Dentium vacillatio. (*H.*)
Dolor maxillae superioris (hora octava). (*H.*)

Dentis nervi dolor subtilis, exedens (hora octava). (*H.*)
Inter loquendum debilitas loquelae, viribus tantum intentis clara voce loqui potest.
Siccitatis sensus partis linguae anterioris, sine siti, mane. (*H.*)
20. Inter oris siccitatem, sine appetentia potulentorum, frigus supra abdomen. (*H.*)
Siccitas oris, linguae, palati et pharyngis, cum siti pauca vel nulla.
Sapor fatuus, insipidus, fere deletus. (*H.*)
Sapor acidus. (*H.*)
Appetitus auctus. (*H.*)
25. Accessus famis caninae crebri, interdum cum sapore oris fatuo (post horas tres et plures). (*H.*)
Appetitus nullus. (*H.*)
Vomitus (post paucas sexagesimas). (*H.*)
Pressio in ventriculo, quasi a lapide (post horam secundam). (*H.*)
Pressio in ventriculo vehemens, inprimis statim post cibum captum, motu in aëre libero deminutus.
30. Ventriculi debilitas. (*H.*)
Ponderis sensus in abdomine circa umbilicum, cum angore, caloris volatici interni sensu et stupore capitis (post primam horam). (*H.*)
Pulsatio in abdomine. (*H.*)
Dolor in abdomine premens et tensivus (post horas viginti quatuor). (*H.*)
Punctus in abdominis latere sinistro, etiam extra respirationem (post horam tertiam). (*H.*)
35. Distentionis abdominis, maxime ventriculi, sensus. (*H.*)
Pressio et expansio abdominis premens ad ruptionem usque; corporis motu sedatur, sedendo pressio redit (post horam secundam).
Sensus in molimine ad alvum deponendam, quasi via ad intestinum rectum praeclusa sit*). (*H.*)

---

*) Ab inertia intestini recti sive coli propter irritabilitatis eorum defectum, in effectu primario.

Decessus flatuum copiosus (post nychthemeron).
Tormina, quasi a medicamine laxativo (post horam dimidiam), sive a refrigerio. (*H.*)

40. Tormina dolore simplici, ut a contusione (post horam secundam). (*H.*)
Tormina et ante excretionem alvinam et post eam. (*H.*)
Ante sedem duriorem, tormina et flatus.
Sedes pultaceae (statim vel intra primum horae quadrantem). (*H.*)
Excretio alvina foetidissima (post horam vicesimam). (*H.*)

45. Alvi excretiones adstrictae. (*H.*)
Dolores in utero immanes, quasi ad partum, qui abdomen incurvare cogunt, cum nisu anxio, sed fere frustraneo, ad alvum deponendam (post horae quadrantem). (*H.*)
Proctalgia premens et distendens immanis (intra quartam et sextam horam). (*H.*)
Menstruatio aucta (post horam secundam). (*H.*)
Sensus in mingendi molimine, quasi via ad urethram praeclusa sit*). (*H.*)

50. Desiderium veneris. (*H.*)
Pollutio nocturna (prima nocte). (*H.*)

Raucitas, quasi a pituita, tracheae inhaerente. (*H.*)
In cubiculo calido post eundum in aëre aperto, narium obturatio, ut in gravedine.
Tussis post pastum invalescens. (*H.*)

55. Tussis cava siccissima (statim post opium sumtum); cito evanescit. (*H.*)
Accessus tussis vehementis siccae; tum oscitatio et clamor subitaneus, altus (post triginta sex horas). (*H.*)
Inter tussim facies subito livescit et respiratio intercipitur (tussis suffocatoria); tum somnus altus cum sudore corporis frigido (post triginta horas). (*H.*)

---

*) Vesicae inertia et irritabilitatis defectus, vi primaria.

Respiratio lenta. (*H.*)
Respiratio difficilis, angusta, praesertim noctu. (*H.*)

60. Respiratio modo profunda, modo per nonnullas sexagesimas cessans. (*H.*)
Accessus anxietatis breves, cum respiratione brevi, angusta, et brachiorum manuumque tremore.
Dolor immanis, premens, in latere pectoris dextro, etiam extra respirationem, cum punctu in eodem latere inter inspirationem (post primam horam). (*H.*)
Dolor tractim lancinans in pectoris latere. (*H.*)
Dolor tensivus sub costis brevibus in ea regione, ubi diaphragma annexum est, inter respirationem. (*H.*)

65. Dorsum rigidum et rectum (tetani species) (intra primam et secundam horam). (*H.*)
Dolor tractim lancinans in dorso. (*H.*)
Dolor constringens (angustans) sterni et dorsi, motu perceptus. (*H.*)
Vulsiones singulae in brachiis. (*H.*)
Agitatio brachii alterutrius convulsiva. (*H.*)

70. Accessus tremoris in brachio sinistro (post tertiam horam). (*H.*)
Formicatio ut in narcosi in digitis, dum aliquid manu capessitur aucta. (*H.*)
Convulsiva pedis agitatio, inter clamorem subitaneum altum. (*H.*)
Stupor pedis narcoticus. (*H.*)
Pes quasi rigidus et tam sensibilis, ut eo neque insistere, neque incedere homo possit. (*H.*)

75. Tumor pedis. (*H.*)
Gravitas pedum post pastum (post horam secundam). (*H.*)
Gravitas artuum (post horam primam et unum horae quadrantem).
Primo sensibilitas, deinde irritabilitas imminuitur. (*H.*)
Tremor corporis totius, quasi a terrore, cum singulis corporis succussionibus et membrorum vul-

sionibus, quorum flexores tantum musculi agunt, cum frigiditate corporis externa. (*H.*)

80. Pruritus in cute, hic illic subtiliter pungens. (*H.*)
Motus tardus, vacillans. (*H.*)
Aëris liberi intolerantia atque inde sensus, quasi a refrigerio. (*H.*)
Roboris sensus. (*H.*)
Languor (post octavam, duodecimam horam). (*H.*)

85. Valde propensus ad corpus ubivis reclinandum, pedes negligenter extendendos et caput manu fulciendum.
Oscitatio per multas horas cum dolore in maxillarum articulis, quasi fractum eantur.
Coma vigilans. (*H.*)
Blateratio futilis inter coma. (*H.*)
Somni species comatosi, palpebris semiclausis, bulbis retortis, ore plus minus aperto et inspiratione stertorosa. (*H.*)

90. Exspiratio stertorosa in somno. (*H.*)
Vagitus gemebundi et clamor miserabilis inter somnum (post horam secundam). (*H.*)
Somnus placidus, jucundus, e quo subito expergefit succussionibus membrorum terrificis.
Incubus. (*H.*)
Somnia luculenta, taediosa, plena frustrationum et offensionum multarum (hora secunda). (*H.*)

95. Calor diminuitur. (*H.*)
Pulsus lentus. (*H.*)
Frigiditas artuum. (*H.*)
Frigus in dorso. (*H.*)
Sitis in frigore. (*H.*)

100. Pulsus fortior. (*H.*)
Calor. (*H.*)
Vicissitudines caloris temperati et frigiditatis. (*H.*)
Febris: primum frigus, dein calor faciei volaticus (cum lingua alba et sudore ante mediam noctem). (*H.*)
Febris: primum rigor, deinde calor cum somno, in quo valde sudat. (*H.*)

105. Vesperi in lecto, statim frigus, tum, simulac somnum capit, sudor erumpit, caput inprimis occupans. (*H.*)
Rubor faciei magnus, cum calore corporis ardente, per horas octo; tum motus brachii dextri pedisque convulsivi, cum clamore alto, respiratione gravi, et faciei manuumque frigiditate, sudoris guttulis madidarum (brevi post opium captum). (*H.*)
Calor faciei ardens et sensus caloris, praeprimis in oculis, sine siti (per sex dies vesperi).
Sudor universalis. (*H.*)
Mane inter somnum, sudor per totum corpus, cum proclivitate ad nudandum corpus (post duodecimam, tricesimam sextam horam). (*H.*)

110. Mens vivida. (*H.*)
Animus fortis, intrepidus, magnus. (*H.*)
Animus contentus. (*H.*)
Ideae permultae cum hilaritate. (*H.*)
Vicissitudines animi tum sereni securique, tum morosi. (*H.*)

115. Euthymia cum hilaritate, quasi quid vi, si opus, perpetrare velit, sine formidine sive timore, cum peculiari voluptatis sensu (per aliquot tantum sexagesimas) (post horae quadrantem); tum statim capitis obtenebratio etc.
Taciturnitas adiaphora, indolens (a dosi minima). (*H.*)
Stupor mentis (post octavam, duodecimam hor.). (*H.*)
Ignoratio cognatorum proximorum rerumque usitatissimarum. (*H.*)
Attentio nulla ad res externas. (*H.*)

120. Dysphoria corporis animique (hora octava, duodecima). (*H.*)
Spei abjectio, morositas, taedium (hora octava, duodecima). (*H.*)
E dolore aegritudo animi lacrymabunda. (*H.*)
Fletus miserabilis et ejulatus (primis horis). (*H.*)
Clamor subitaneus, sine querelis. (*H.*)

125. Tristitia (hora octava, duodecima). (*H.*)
Animi abjectio. (*H.*)
Diffidentia. (*H.*)
Metus (hora octava, duodecima). (*H.*)

Observata medicorum veteri doctrinae addictorum.

Omnis propensio in somnum (opio sub vesperam superiorem sumto) evanuit, imaginationis ac memoriae vis mirum in modum aucta est, adeo ut noctem meditationibus altissimis transigere, ut ita dicam, cogeretur; prima luce somnum cepit per paucas horas, sed tum omnium rerum, quas noctu cogitaverat, oblivione tenebatur*). (*Rudgeri Ouwens*, Noctes Hag. Praef. p. 14.)

In meditationes sublimes per totam noctem propensior, sine somno. (*Eph. Nat. Cur.* Dec. II. A. X. Obs. 80.)

Despicientia rerum humanarum, prae phantasiae ecstasi cuncta spernens. (*Mead*, de venenis, Oper. Tom. II. p. 190. edit. Gotting.)

Sine dolore totam noctem in summis animi traduxit oblectamentis **). (*van Swieten*, Comment. I. p. 818.)

---

*) Mentis animique symptomata, ab opio profecta, sic, ut in aliis medicamentis sejungi, et priora ab initio inter capitis symptomata, posteriora sub finem inter cetera symptomata referri nequeunt, quia in opio utraque simul occurrunt, quare utriusque generis statim ab initio fit mentio.

Opium cum ad dolores, spasmos, mentis animique statum contrarium palliative supprimenda, sive ad somnum nocturnum naturalem depellendum (hoc in casu prope homoeopathice) in usum vocatur, tales simul mentis animique ecstases progignit — quae sunt vires primariae, cito disparentes. Quae ecstases somnambulismi zoomagnetici (clairvoyance) similes sunt.

**) Ab uno opii grano, quod vesperi doloris molesti depellendi causa sumserat.

(5) Sensatio suavissima, animi tranquillitas, omnium malorum oblivio, summa felicitas. (*van Swieten*, l. c. p. 149. et 335. — *Jones*, the mysteries of opium revealed.)

Non raro animus se suisque rebus maxime contentus et tranquillus. (*Mos. Charas*, Pharm. reg. chym. cap. 51.)

Licet insomnis fuerit, nihilominus tamen tranquillus, in coelicolarum modum*). (*Eph. Nat. Cur.* Dec. II. A. X. Obs. 80.)

Phantasiae suaves, jucundae, quas ipsi cuivis felicitati notae praeferunt, maxime cum doloribus ante discruciati sunt. (*Boerhave*, Prael. in inst. ad §. 856.)

In concilio coelestium agere aevum sibi videtur; phantasiae multae jucundae ei obversantur, somnia tanquam vigilis, quae somnum fugant. (*Mead*, l. c.)

(10) Serenitas animi ab opio somnium potius absque somno vocari debet. (*Tralles*, de usu et abusu opii, I. p. 122.)

Qui nihil nisi tristia cogitant, mirifice inde levantur et ecstasi extolluntur**). (*Act. Nat. Cur.* IV. Obs. 145. — *Tralles*, l. c. p. 98.)

Qui opium deglutiunt (cum soleant esse tristes ac stupidi), hilares efficiuntur et garruli, cantant erotica, rident multum et futilia tractant; qui mentis animique status exaltatus horam unam perdurat, deinde iracundi fiunt et feroces, tum moerent rursus et lamentantur, donec somno corripiuntur et in statum redeunt priorem. (*Alpin.* Med. aegypt. IV. cap. I.)

Animus hilaris, laetus, contentus, fortis. (*Freind*, Oper. Tom. I. Emmenolog. p. 139. — *Hufel.* Journ. XIII. 1.)

---

*) Cum ob intolerabiles dolores, a calculo oriundos, modicam opii dosin sumsisset.

**) Feminae cuidam, ut eandem consequeretur levationem, opii usus non solum continuandus, sed doses etiam adaugendae erant, eo usque, ut unius hebdomadis spatio sesquiunciam opii devorare cogeretur.

Qui operationem chirurgicam timent, iis opium animum reddit et constantiam; et maleficis (in India), ut mortis metum dimittant animoque forti ad ultimum proficiscantur supplicium *). (*G. Young*, Treatise on Opium. Edinb. 1735. p. 29. — *Andreae* ap. *Tralles*, l. c. p. 98.)

(15) Ferocitas temeraria, crudelitas tanquam ferarum saevientium **). (*Reineggs* in *Blumenbach*, med. Biblioth. I. 1. — *Kaempfer*, Amoen. exot. Fasc. III. Obs. 15.)

Mania furibunda et oris distortio (ab opio temporibus imposito). (*Lorry*, Recueil period. p. 74.)

In dosibus majoribus, quam quae mentis serenitatem provocent, ebrietatem opium excitat. (*Tralles*, l. c. p. 99.)

Obnubilatio et debilitas mentis; hallucinatio, quasi oculos quadruplo majores habeat, quasi corpus ipsius monstrosae sit magnitudinis. (*Schelhammer*, Misc. Nat. Cur. Dec. II. Ann. V. Obs. 12.)

Hallucinatio, quasi in aëre suspensus sit, aut volitet, et omnia circumvertantur. (*Schelhammer*, l. c.)

(20) Vertigo magna et circumgyrationis sensus, ut decumbere cogatur. (*Matthaei* in *Hufel.* Journ. XI. 2. — *Schelhammer*, l. c.)

Vertiginosus, anxius, mente alienata. (*Tralles*, l. c. p. 285.)

Caput grave et quasi ebrium (per horas duodecim). (*Tralles*, l. c. p. 101.)

---

*) Symptomata 13. et 14. effectibus opii primariis sic dictis palliativis referenda sunt, observatis in iis, qui animo sunt demisso et trepido.

**) In dosibus majoribus, quam quae animum erigant viresque palliative adaugeant in iis, qui animum desponderunt et enervati sunt, opium progignit temeritatem, ferociam, iram et furorem. Qui effectus primarius palliativus Turcas, opio exaltatos, in primo congressu proelii committendi in furorem agit dimicandi, cui nemo fere resistere possit. Is autem impetus intra horas paucas trepidationi cedit ignavissimae sive stupori, ut facilius quam quivis alius exercitus debellari possint.

Obnubilatio capitis, quasi a fumo in cerebrum adscendente. (*Matthaei*, l. c.)

Stupor mentis, quasi attoniti et perplexi, et vertigo decumbere cogens; tum tremor corporis per aliquod tempus. (*Matthaei*, l. c.)

(25) Stupor et insensibilitas, oculis languidis et summa virium imbecillitate; apte tamen respondet. (*Matthaei*, l. c. — *Vicat*, Plantes vénéneuses de la Suisse, p. 226.) [Cf. 33.]

Sensatio in capite, quasi crapulam e vino ortam edormiverit et expergiscatur. (*Tralles*, l. c. p. 101.)

Mens obtusa, respiratio brevis, anxia, dum pectus in altum se attollit; oculi horridi et aqua suffusi. (*Matthaei*, l. c.)

Recordatio lenta, stupiditas, amentia. (*Willis*, Pharmac. rat. p. 305.)

Taciturnitas. (*Bergius*, Mat. med. p. 482.)

(30) Omnes animi dotes, omnes sensus hebetes. (*Chardin*, Voyage en Perse, Amst. 1771. Tom. IV. p. 203. 204.)

Indifferentia et adversus dolorem et voluptatem. (*Reineggs*, l. c.)

Capitis turbatio, vera notitia nullius rei, eorum quae legit sensum assequi non potest. (*Schelhammer*, l. c.)

Animus obtusus, insensibilis, sui vix conscius, apte tamen satis respondet. (*Schelhammer*, l. c.) [Cf. 25.]

Sensus obtusus vel penitus abolitus. (*Tralles*, l. c.)

(35) Nesciebat, quid circa ipsam ageretur, nec ullum sensationis signum prodebat; articulationes flexiles erant omnesque musculi relaxati. (*Lassus*, Mem. de l'inst. nat. des sc. et arts. Tom. II.)

Praeter visum et auditum, privatio sensuum, gustus, olfactus et tactus rerum externarum; sui vero corporis frigiditatem sentit (post horam primam et dimidiam). (*Schelhammer*, l. c.)

Stupiditas, indifferentia erga res externas. (*Crumpe*, Nat. u. Eigensch. des Op.)

Opii devoratores ebrii et torpidi fere perpetuo apparent; fiunt comatosi, stupidi. (*Alpin*, l. c.)

Memoria penitus amissa per plures hebdomades*). (*Willis*, l. c.)

(40) Notiones vagae. (*Schelhammer*, l. c.)

Verecundia omnesque sensus leniores obstupefacti. (*Reineggs*, l. c.)

Vis voluntatis minimo abigenda nutu. (*de Ruef*, App. ad Nova Acta Nat. Cur. V. p. 63.)

Qui opium glutiunt, inconstantiae fama laborant, saepe promissis non stant (quisque sibi ab iis cavet, nemo vult quidquam sibi cum iis esse negotii. (*Alpin*, l. c. cap. 2.)

Mentis turbatio. (*Clarck*, Essays and obs. phys. and lit. Ed. 3. 1771. — *de Gorter*, Med. dogm. cap. 1.)

(45) Deliria. (*Pitcairne*, Elem. med. lib. II. cap. 6. §. 8. — *van Swieten*, Comment. in B. Aph. I. p. 372.)

Meticulositas et in terrorem proclivitas. (*Young* — *Tralles*, l. c.)

Delirium loquax: vigilans lemurum, diabolorum et monstrorum, lectum ipsius circumdantium, adspectu vexabatur et cruciabatur **). (*Tralles*, l. c. p. 125.)

Multa inconcinna blaterat et digitis monstrat homines larvatos, sibi appropinquantes; modo (cum denuo opii portionem assumsisset) cachinnum tollit, modo pavore concutitur, gladiatores ipsum ense transfixuros esse, opinans; — graviter fert, si quis hanc rem eum dedocere conatur ipsumque pro demente habet, sibi

---

*) Sympt. 37. 38. et 39. Qui status omnes, si opio per longius tempus sumto continuati permanserunt, in morbum abieunt chronicum, paralysin quandam organorum mentis, quae vix sanari possit.

(39. effectus est secundarius.)

**) Postquam symptomata morbi: palpitatio cordis, vomitus, singultus, praecordiorum pressio, tormina, tremor et motus convulsivi, opii usu palliativo sedata erant.

ipse vero fatuitatem delirans exprobrat*). (*Tralles*, l. c. p. 126.)

Garrulitas delirans de multifariis rebus factis, oculis apertis, et vaniloquii postea reminiscitur, non nisi somnii instar. (*Mauchard*, Eph. Nat. Cur. Cent. I. Obs. 15.)

(50) Calida, anxia et temulenta, diversissima quaeque promiscue effutit, verba sua revocat, modo repente expavescit, modo irascens adstantium manum prehendit**). (*Tralles*, l. c. p. 125.)

Facta inepta patrat. (*Reineggs*, l. c.)

Increscens animi hilaritas et cogitandi beatitudo in dementiam transit et insaniam***). (*Tralles*, l. c. p. 122.)

Mentis alienatio magna cum facie rubra, oculis splendentibus et majori corporis alacritate. (*Matthaei*, l. c.)

In terra se volutat mente captus, ira excandescens, comminabundus; nec amicos agnoscit, capite et facie turgidis, labiis subrubris, lividis, tumidis et oculis prominentibus, inflammatis. (*Tralles*, l. c. p. 90.)

(55) Primum ecstasis et post ecstasin moestitia et animus abjectus. (*Chardin*, l. c.)

Melancholia. (*Bergius*, l. c.)

Post temulentiam ex opio ecstasis et post ecstasin anxietas. (*Reineggs*, l. c.)

Anxietas intolerabilis (post nychthemeron). (*Reineggs*, l. c.)

In situ horizontali anxietas magna, quae sedendo imminuitur †). (*Matthaei*, l. c.)

(60) Congestio sanguinis ad cerebrum. (*Haller*, Praelect. in *Boerh.* Inst. IV. p. 519.)

---

*) Opio in diarrhoea dysenterica capto.

**) Ab opii usu in dolore infando, qui vulsiones erat citurus, adhibiti.

***) A dosi majori.

†) Sympt. 56. 58. et 59. Effectus secundarii.

Dolor capitis premens. (*Matthaei*, l. c. VIII. 4. et XI. 2.)

Gravitas capitis, caput tenere erectum non valet, vacillat. (*Tralles*, l. c. I. p. 283.)

Pallor faciei et nausea, cum sensu dormituritionis omniumque et secretionum et excretionum, immo ipsius perspirationis imminutione. (*Ev. Jo. Thomassen a Thuessink*, Diss. de opii usu in syphilitide. L. B. 1785. 8.)

Facies, frons pallidae, oculi fixi. (*Sauvages*, Nosol. method. I. p. 847.)

(65) Color faciei pallidus, luridus, oculi languidi, aqua suffusi; dormiscit oculis semiapertis, ad nihil attendit, responsa dat incerta, alvum invitus deponi patitur, corruit ad pedes delapsus, respiratione brevi, anxia. (*Matthaei*, l. c.)

Maculae rubrae in genis pallidis. (*Matthaei*, l. c.)

Facies inflata, cutis calida, sicca, lingua alba, raucedo, respiratio valde angusta, haemoptysis. (*Young*, l. c.)

Facies obscure rubra, — badia. (*Vicat*, l. c. — *Schweickert* in *Hufel.* Journ. VIII. 3.)

Venae in facie tumidae. (*Reineggs*, l. c.)

(70) Rubor faciei et oculi rubentes, inflammati. (*J. Hunter*, über die vener. Krankh. p. 640.)

Facies ruberrima, paene inflammata, cum labiis tumidis. (*Hamberger*, Diss. de opio. Jen. 1749. §. 16. — *Hecquet*, Reflex. sur l'usage de l'opium. Paris 1726. p. 184.)

Facies perquam rubra, oculi truces, protuberantes, rubri. (*Stentzel*, de venen. I. §. 46.)

Lineamenta faciei deformia, taciturnitas, oculi aperti. (*Aepli* sen. ap. *Hufel.* Journ. XXV. 3.)

Motus musculorum faciei spasmodici (die sept.). (*Levesque* — *Blasource*, vid. Journ. de Med. 1808. Juillet.)

(75) Tremor musculorum faciei, labiorum, linguae convulsivus. (*Aepli*, l. c.)

Oculi splendentes, horridi. (*Matthaei*, l. c. — *Müller* in *Hufel.* Journ. XVIII. 4.)

Oculi fixi, prominentes, horridi, stupidi, emorientis instar. (*Vicat*, Observ. delect. p. 242.)
Pupillae immobiles lumine. (*Murray*, Appar. med. II. p. 282.)
Oculi semiclausi, pupillae dilatatae, non irritabiles. (*Kilian*, vid. Med. Annal. 1800. Oct.)

(80) Oculi aperti, pupillis sursum retortis. (*Pyl*, Aufs. Samml. I. p. 95.)
Stupet adstantes, oculis aqua suffusis, nec tamen scit, quid agatur, nec agnoscit obvios. (*Reineggs*, l. c.)
Scintillae ante oculos. (*Clarck*, l. c.)
Amblyopia, quasi videat per velamen tenue. (*Müller*, l. c.)
Obtenebratio oculorum vertiginosa. (*Matthaei*, l. c.)

(85) Mentis compos de scotomia, de caecitate queritur (hora quarta). (*Willis*, l. c.)
Tumor palpebrarum inferiarum. (*F. C. Grimm*, Act. Nat. Cur. III. Obs. 19.)
Aurium tinnitus. (*Young* — *Murray*, l. c.)
Oris distortio. (*Lorry*, l. c.)
Trismus. (*de la Croix*, Journ. de Méd. XXXIX. — *Pyl*, l. c.)

(90) Dolores maxillae inferioris vehementes (die sept.). (*Levesque* — *Blasource*, l. c.)
Maxillae inferioris paresis. (*Kilian*, l. c.)
Linguae paresis. (*Reineggs*, l. c.)
Ore aperto loqui nequit. (*Reineggs*, l. c.)
Balbuties. (*Reineggs*, l. c.)

(95) Salivatio magna. (*Hargens* in *Hufel.* Journ. IX. 2. — *Reineggs*, l. c. — *Alston*, Edinb. Vers. V. 1.)
Excretiones glandularum salivalium, muci narium et glandularum laryngis supprimuntur. (*Murray*, l. c.)
Saliva, mucus narium, pituita tracheae tenaces redduntur, lingua siccescit. (*Young*, l. c.)
Siccitas oris, ut vix verbulum proferre possit. (*Schelhammer*, l. c.)
Sitis magna, inprimis cerevisiae sequioris. (*Matthaei*, l. c.)

(100) Exulceratio oris, linguae, palati. (*Matthiolus* apud *Tralles*, l. c. Sect. IV. p. 190. de opio gustato. — *Wedel*, Opiolog. p. 26.)

Masticatum exurit os et linguam, et guttur inflammat. (*Lindestolpe*, de venenis, p. 591.)

Ardor in lingua intolerabilis, mordax, ut a pipere*). (*Boerhave*, Praelect. IV. p. 529.)

Venae colli turgidae et vehemens arteriarum pulsatio. (*Matthaei*, l. c.)

Deglutiendi difficultas, adeoque inopia. (*Lassus* — *Aepli*, l. c.)

(105) Oris amarities. (*Grimm*, l. c.)

Appetitus prostratus (statim a dosi majori). (*Willis*, l. c.)

Anorexia maxima, cum lingua impura et summa debilitate. (*Tralles* — *Matthaei*, l. c.)

Cibos appetit, et morsu vix uno deglutito reliquum fastidit. (*Reineggs*, l. c.)

Fames canina cum inflatione et gravatione ventriculi post pastum. (*Mouchard*, l. c.)

(110) Fames canina cum abhorrescentia a cibis. (*Grimm*, l. c.)

Nausea, vomituritio, vomitus, haematemesis. (*Grimm* — *Matthaei*, l. c. — *J. J. Waldschmid*, Monita medica circa opium. Marburg 1679.)

Inter dolorem ventriculi et motus convulsivos vomitus. (*Juncker* et *Böhmer*, Diss. casum matronae largissimo usu opii tractatae. Hal. 1744. p. 7.)

Vomitus viridis. (*de la Croix*, l. c.)

Ventriculum emetica non tangunt. (*Murray*, l. c.)

(115) Ructus (hora quinta). (*Grimm*, l. c.)

Plenitudo ventriculi. (*Joerdens* in *Hufel.* Journ. XVII. 1.)

Pressio ventriculi et compressio diaphragmatis. (*Fr. Hoffmann*, Dissert. de correct. opii. Hal. 1702. §. 16.)

---

*) Aliquanta opii copia in os ingesta.

Ventriculi dolor vehementer constringens, intolerabilis, mortis angorem concilians*). (*Young*, l. c.)

Digestio retardatur et appetitus deminuitur. (*Geoffroy*, Mat. med. II.)

(120) Digestionis affectio, gravitatis et compressionis in ventriculo sensus et molestia scrobiculi, quae declarari non possit. (*Ettmüller*, Diss. de vi opii diaphor. Lips. 1694. Cap. I. §. 5.)

Distentio ventriculi dolorosa. (*Tralles*, l. c. p. 142.)

Flatuum stagnatio in ventriculo et intestinis. (*Murray*, l. c.)

Abdomen inflatum, tensum et dolorosum. (*de la Croix* — *Tralles* — *J. Hunter*, l. c.)

Pressio et gravitas in abdomine, quasi a lapide. (*Ch. G. Büttner*, Unterr. üb. d. Tödtlichk. d. Wunden, p. 204.)

(125) Dolor in abdomine, quasi intestina disscindantur. (*Juncker* et *Böhmer*, l. c. p. 8.)

Motus peristaltici tarditas et alvi retentio. (*Willis*, l. c.)

Alvi dejectio rara. (*Murray*, l. c.)

Alvi lotiique excretio interrupta. (*Kilian*, l. c.)

Constipatio alvi per sex, octo hebdomades, cum anorexia; clysmatum tantum ope excrementa, in globulos parvos, duros formata, decedunt. (*Juncker* et *Böhmer*, l. c. p. 8.)

(130) Sedes parvae, nodosae, cum doloribus quasi parturiendi. (*Tralles*, l. c. p. 146.)

Interdum diarrhoea (vi opii secundaria). (*Hamberger*, l. c. §. 15.)

Excretio materiae nigrae alvina (post viginti quatuor horas). (*Levesque* — *Blasource*, l. c.)

Excrementa liquida, spumosa, cum ani pruritu, ardore summoque tenesmo. (*Grimm*, l. c.)

Diarrhoea foetidissima. (*Grimm*, l. c.)

(135) Urina citrini coloris, cum sedimento multo. (*Grimm*, l. c.)

---

*) Opio post prandium capto.

Urina coloris opaci et lingua sicca. (*Young*, l. c.)
Urina obscure rubra, cum hypostasi. (*Matthaei*, l. c.)
Mictus cruentus. (*Hecquet*, l. c.)
Lotium emittit perpaucum, admodum rubrum, sine nubecula, cum doloribus inter mingendum uti forcipe prementibus. (*Matthaei*, l. c.)

(140) Urinae suppressio, ore prorsus sicco, siti aucta. (*Murray* — *Matthaei*, l. c.)
Vim vesicae contractilem debilitat. (*de Haller*, de part. corp. irritab. et sensib. Sect. 2.)
Urinae modo retentio, modo profluvium. (*Geoffroy*, l. c.)
Inter somnum priapismus, et expergefacti e somno impotentia virilis. (*Stalpaart van der Wiel*, Cent. II Obs. 41.)
Appetentia veneris aucta, cum penis tentigine, pollutionibus nocturnis et somniis libidinosis. (*Murray* — *Geoffroy*, l. c.)

(145) Stimulus rei venereae nullus, impotentia virilis. (*Renodaeus*, Mat. med. Lib. I. Sect. 13. Cap. 2. — *Wedel*, l. c. — *Reineggs*, l. c. — *Garcias ab Horto*, Hist. aromat. I. Cap. 4.)
Menses statis temporibus profluebant, etiam ubi opium per annos triginta ad drachmam usque et supra quotidie in morbis maxime dolorificis et spasmodicis adhibitum esset. (*Juncker* et *Böhmer*, l. c.)

Singultus continuus, ad breve tempus interruptus. (*Schweickert* in *Hufel.* Journ. VIII. 3.)
Raucedo, ore siccissimo, lingua alba. (*Grimm*, l. c.)
Tussis inter deglutitionem. (*de la Croix*, l. c.)

(150) Pituita spumosa, tussi ejecta. (*Matthaei*, l. c.)
Haemoptysis. (*Young*, l. c.)
Pituitae spissae et sanguinolentae expectoratio. (*Matthaei*, l. c.)
Sanguinis exscreatum et alvi dejectionem supprimit. (*Thompson*, Diss. de opio, p. 121.)

Respiratio crebra, angusta, anxia. (*Grimm*, l. c.)

(155) Respiratio sensim brevior. (*Sauvages*, l. c.)

Respiratio brevis, stertorosa, ad singulas fere horulae centesimas identidem cessans. (*Pyl*, l. c. p. 95.)

Respiratio difficilis et anxietas. (*Hamberger*, l. c. §. 10. et 49.)

Angor cum constrictione pectoris angustante. (*Matthaei*, l. c.)

Constrictio pectoris et quasi rigiditas, respiratio difficilis. (*Young*, l. c.)

(160) Angustia pectoris, quasi ab imminente pleuritide, et tensio in scapula. (*Gabr. Clauder*, Eph. Nat. Cur. Dec. II. Ann. V. Obs. 178.)

Asthma spasmodicum. (*Young*, l. c.)

Respiratio impedita, angustia pectoris. (*Stütz* in *Hufel.* Journ. VIII. 3.)

Respiratio profunda, stertorosa. (*Sauvages*, l. c.)

Respiratio anhela, clara. (*Willis*, Pharm. rat. p. 305.)

(165) Spiritum summa molestia trahit, anxius, ore aperto. (*Grimm*, l. c.)

Respiratio gemebunda, lenta (hora quarta). (*Muzell*, Wahrnehm. II. p. 131.)

Respiratio inordinata, suffocationem minans. (*Grimm*, l. c.)

Respiratio aliquot sexagesimas cessans, tum suspirio alto revertens. (*Sauvages*, l. c.)

Respiratio intercepta; per quinque sexagesimas emortuo similis erat, tum respiratio brevis, repentina, quasi singultu accessuro. (*Schweickert*, l. c.)

(170) Respiratio magis magisque cessans usque ad mortem. (*Sauvages*, l. c.)

Caloris in pectore sensus (in semet ipso). (*Bellonius*, Lib. 3. observ. cap. 15.)

In corde ardor, quasi a prunis, ita ut pessumdari sibi videatur. (*Juncker* et *Böhmer*, Diss. cas. matr. p. 7.)

Tensio hypochondriorum, tactu admodum dolentium (quarta hora). (*Grimm*, l. c.)

Vulsiones singulae brachiorum. (*Rademacher* in *Hufel.* Journ. IV. 3. p. 587.)

(175) Pruritus in brachiis et humero. (*Matthaei*, l. c.)
Manuum tremor. (*a Thuessink*, l. c.)
Brachii paralysis (post horas quadraginta octo). (*Levesque — Blasource*, l. c.)
Formicatio manuum pedumque ingrata, quae in sensum rotatae quasi rei volubilis terribilem, intolerabilem transiit. (*Müller*, l. c.)
Sensus cruris paene deletus. (*Young*, l. c.)

(180) Pruritus crurum vehemens, vesperi. (*Matthaei*, l. c.)
Crurum debilitas. (*Grimm*, l. c.)
Modo ignis volatici, modo aquae gelatae per venas micantis, sensus. (*Juncker* et *Böhmer*, l. c.)
Dolores per medullam ossium penetrantes, deterrimi. (*Chardin*, l. c.)
Corpus macrescit. (*Bergius*, l. c.)

(185) Hydropicus corporis habitus. (*Reineggs*, l. c.)
Habitus corporis pallidus, lividus, praesertim pudendorum. (*Grimm — Aepli*, l. c.)
Maculae lividae hic illic in corpore (hora decima quinta). (Hist. de l'acad. des sc. 1735.)
Rubor corporis totius. (*J. Hunter*, l. c.)
Ardor, pruritus et elevatio epidermidis in pustulas*). (*Hecquet*, l. c.)

(190) Pruritus, praesertim partium corporis superiorum, inde a pectore super faciem, inprimis in naso. (*Matthaei*, l. c.)
Pruritus per totum corpus; post fricatum noduli erumpunt crassi, rubri, valde prurientes, mox disparentes. (*Matthaei*, l. c.)
Post sudores, saepe exanthemata et pruritus in cute mordax. (*Tralles*, l. c. p. 137.)
Maculae passim in cute parvae, rubrae, prurientes. (*Matthaei*, l. c.)
Pruritus et formicatio in omnibus membris (hora quinta). (*Schelhammer*, l. c.)

---

*) Ab opii usu frequenti.

(195) Stupor et insensibilitas membrorum cum frigiditate corporis totius (hora secunda). (*Schelhammer*, l. c.)

Corpus frigidum, rigidum; tetanus. (*Pyl*, l. c. — *Muzell*, l. c.)

Opisthotonus incipiens. (*Aepli*, l. c.)

Trunci curvatio arcus instar, a motu membrorum valde tremulo, qui omnes nervos distrahit. (*Juncker* et *Böhmer*, l. c.)

Tetanus et convulsiones epilepticae *). (*Stentzelius*, de venen. I. §. 46.)

(200) Motus spasmodici, cum clamore conjuncti. (*Levesque — Blasource*, l. c.)

Insultus epileptici, cum deliriis vehementibus. (*Muzell*, l. c.)

Spuma ante os. (*Reineggs*, l. c.)

Inquietudo membrorum sanorum maxima. (*Matthaei*, l. c.)

Titubatio, progredi non potest nisi difficulter et titubanter. (*Schelhammer*, l. c.)

(205) Lassitudo grata, quasi ab ebrietate. (*Matthaei*, l. c.)

Segnities. (*Stütz*, l. c. — *Fr. Hoffmann*, de correct. opii, §. 16.)

Languor; omnes res externae ipsum offendunt; somnolentus est, fatuus, stupidus, tristis et memoriae labilis **). (*Murray*, l. c.)

Vis musculorum voluntati parentium (in robustis) et sensibilitas deminuitur, inde capitis gravitas, languor et somnus oboriuntur ***). (*Tralles*, l. c. p. 107. 110.)

Mature senescunt. (*Bergius*, l. c.)

---

*) Brevi ante obitum.

**) Cum vis opii primaria exspiravit.

***) Effectu opii tantum secundario vis musculorum voluntati subjectorum deminuitur, vel eorum paralysis inducitur, primaria autem vi excitatur; qui effectus primarius cum stupore vel somno stupido abrumpitur, hoc vel illud tamen membrum in eo somno vellitur.

(210) Vires languescunt, et partium solidarum tonus et motus amittitur. (*Fr. Hoffmann*, Med. rat. II. p. 270.)

Non raro apoplexia *). (*Wepfer*, de Apoplexia, p. 25. — *Mead*, l. c. p. 133. — *van Swieten*, l. c. p. 324. — *Lorry*, l. c.)

Virium languor et sublata facultas sese movendi. (*Fr. Hoffmann*, Diss. de operat. opii, p. 8.)

Paralysis **). (*Bagliv*, Prax. med. Lib. I. p. 65.)

Membra immobilia jacebant et situm retinebant, quem acceperant. (*Kilian*, l. c.)

(215) Virium vitalium lapsus. (*Willis*, l. c.)

Quovis horae quadrante lipothymia; oculi clausi, caput propendulum, respiratio languida, mentis abolitio, pulsu haud immutato; tum concussiones corporis nonnullae spasticae, et post nonnullas sexagesimas paroxysmus suspirio finitur, anxietate sequente ***). (*Müller*, l. c.)

E vena nuper secta sanguis profluit (ad mortem usque). (*Pet. Borell*, Cent. 4. Obs. 57.)

Viribus auctis, e lecto surgere tentat, animi vero deliquio et vertigine statim corripitur; in decumbendo alacritas statim revertitur. (*Matthaei*, l. c.)

Nisus in decubitum. (*Grimm*, l. c.)

(220) Somnolentia, somnus, stupor. (*Freind*, l. c. XIV. p. 140.)

Pro somno sano morbosus somnus. (*Tralles*, l. c. p. 112.)

Sopor continuus, nocturnus, cum siti aucta, lingua fere pura, in margine obscure rubra, labiis fissis, aridis. (*Juncker* et *Böhmer* — *Matthaei*, l. c.)

Somnus, quem opium genuerat, in stuporem transiit insolitum. (*Riedlin*, Lin. med. Ann. V. Oct. Obs. 30.)

---

*) A dosibus majoribus.

**) A nimiis opii portionibus.

***) A tinctura opii cum spiritu cornu cervi.

Sopor et stupor talis, ut nihil responsi ipsi extorqueri possit. (*Stalpaart van der Wiel*, Cent. II. Obs. 42.)

(225) Inter dormituritionem, palpebris semiclausis, floccilegium. (*Rademacher*, l. c.)

Somnus stupidus sine ullo sensu, cum rhoncho pectoris. (*Kilian*, l. c.)

Sopor et insensibilitas, calore, pulsu et respiratione normali. (*Willis*, l. c.)

Somnus insuperabilis, in quo tamen dolorem sentit, et dum vellicatur, oculos aperit. (*Sauvages*, l. c.)

Somnus, cui resistere nequit (statim post duo et plura opii grana ingesta), qui somniis turbatur et expergiscenti non recreationem, sed nauseam parit. (*a Thuessink*, l. c.)

(230) Somnus parum reficiens inter sudorem universalem, et post somnum languor cordis. (*Grimm* et *Young*, l. c.)

Expergiscentis ex somno eo, quem opio arcessiverat, vomituritio, languor, capitis gravitas et obtenebratio, faucium siccitas, linguae titubatio, ebrietas et vertigo. (*Young* — *Bergius*, l. c. — *Plater*, Obs. lib. I. p. 127. — *Joerdens*, l. c. XVII. 1. — *Tralles*, l. c. I. p. 282.)

Inter somnum expavescit, et somno experrectus quasi ebrius est et paene demens. (*Tralles*, l. c.)

Somnus per totam noctem imaginibus, phantasiis, somniis et gestibus plenus. (*Tralles*, l c. p. 121. — *Lindestolpe*, l. c. cap. 10. thes. 75.)

Somnia modo jucunda, modo tristia, modo anxia et terribilia. (*Tralles*, l. c. p. 120.)

(235) Somnus somniis modo suavibus, modo terribilibus turbatus, vel in coma, vel in mortem apoplecticam convulsivam transiens. (*Murray*, l. c.)

Somnus profundus, arctus, respiratione stridula, apoplecticae instar. (*Lassus*, l. c.)

Stertor. (*de la Croix*, l. c.)

Somnus inquietus, gemebundus, suspiriosus. (*Young*, l. c.)

Somnus horribilis; oculis clausis amens sibi videtur (hora tertia). (*Schelhammer*, l. c.)

(240) Dormituriens somnum capere non potest, pulsu tardo. (*Grimm*, l. c.)

Vis opii somnifera dolore magno sive aegritudine gravi valde deminuitur. (*Yonng*, l. c.)

Agrypnia, plena imaginibus ingratis et phantasiis, quae a rebus externis plane diversae erant, ut in mente captis. (*Tralles*, l. c. p. 122.)

Somnia et phantasiae, inter vigilias somnumque intermedia, de draconibus, sceletis et spectris monstrisque horrendis. (*Tralles*, l. c. p. 125.)

Nox inquieta, sopor cum vigiliis alternans, deliria multa, cutis calida et stupor, dum conglobatus decumbit. (*Matthaei*, l. c.)

(245) Somnus cum rubore faciei. (*Bergius*, l. c.)

Pulsuum micatus a centenis octonis ad septuagenos binos imminuuntur, cum frigore et horrore, alacritate deminuta, languore magno, fame tamen aucta. (*Ward*, Neues Journ. d. ausl. med. chir. Lit. IV. 1.)

Pulsus quatuordenis ictibus lentior (intra primas quatuor horas), tum (post decem horas) tricenis ictibus auctus*). (*Sam. Bard*, Diss. de viribus opii. Edinb. 1765.)

Pulsus magnus, lentus, respiratione lenta, difficili, stertorosa. (*Crumpe*, l. c.)

Primo pulsus plenus, lentus, tum debilis. (*Bergius*, l. c.)

(250) Pulsus lentus, respiratione gemebunda, lenta, facie praerubra, tumida et sudore largissimo cum convulsionibus**). (*Muzell*, l. c. p. 131.)

Pulsus languidus, suppressus, lentus, parvus. (*Fr. Hoffmann*, Med. syst. III. p. 537.)

Horrescentia. (*Reineggs*, l. c.)

Frigus in dorso, pulsu suppresso, vix sensili. (*Schelhammer*, l. c.)

---

*) A drachmis opii duabus inunctis — post quinquaginta sexagesimas.

**) Ab opio cum spiritu cornu cervi.

Frigiditas extremitatum, cum stupore. (*Willis* — *Chardin*, l. c.)

(255) Primo (indice thermometro) calor imminutus, tum perspiratio aucta. (*Rolandson Martin* in Vetensk. acad. Handling. 1773. P. II. No. 7.)

Pulsus fortis, citissimus, denique (post octavam et dimidiam horam) debilis et intermittens (brevi ante mortem) *). (*Alston*, Medical Essays.)

Pulsus frequentior et debilior naturali, respiratione crebra, angusta, anxia (post plures horas). (*Grimm*, l. c.)

Pulsus celer, vehemens, durus; facies obscure rubra et cephalalgia. (*Young* — *Vicat*, Obs. l. c.)

Congestio sanguinis ad cerebrum. (*Haller* in Praelect. *Boerh.* IV. p. 509. — *Murray*, l. c.)

(260) Cursus sanguinis celerior cum sensu caloris. (*Murray*, l. c. 281. 282.)

Venae turgescentes. (*Murray*, l. c.)

Calor corporis totius auctus et siccitas oris et sitis. (*Berger*, de vi opii rarefaciente, Diss. Viteb., 1703.)

Interdum cutis sicca, calida, interdum sudor lenis. (*Young*, l. c.)

Calor intolerabilis cum anxietate magna. (*Matthaei*, l. c.)

(265) Febris ardens cum phantasiis, quae post somnum brevem accessit et horas duodecim duravit, tum debilitas magna et nausea, pulsu languido; horis tribus elapsis iterum deliria per horas quadraginta octo, pulsu forti, pleno; tum somnus octo horarum. (*J. Hunter*, l. c. p. 641.)

Cum inquietudine, angustia, ideis confusis et scintillis ante oculos, calor ardens, ingratus ad caput adscendit et tum per totum corpus diffunditur. (*Matthaei*, l. c.)

Sudor primum in capite, tum per corpus totum, roris guttarum instar, et somnus. (*Matthaei*, l. c.)

---

*) A scrupulo uno.

Sudor partium inprimis superiorum, inferioribus calidis et siccis. (*Matthaei*, l. c.)

Inter somnum quietiorem sudor vehemens. (*Matthaei*, l. c.)

(270) Sudor multo largior est, adeo ut cutis pruritus et exanthema oriatur, dum sensus omnes insensibiles redduntur, sensus tactus, visus et olfactus. (*Murray*, l. c.)

Sudor et exanthema miliare rubrum cum pruritu. (*Tralles*, l. c. p. 138.)

Sudor universalis corporis calidissimi, siti ingenti, pulsu pleno, forti, oculis vividis menteque alacri. (*Matthaei*, l. c.)

(*Opium externis partibus applicatum, praesertim in substantia.*)

Opium emplastri instar cuti impositum, calorem ciet magnum et dolores, vesiculam excitat, cutim erodit et gangraenam provocat. (*Boerhave*, de morb. nerv. p. 448.)

Pilos derodit, pruritum movet, cutim erodit et vesicas excitat. (*Geoffroy*, l. c.)

(275) Nervo ipsi impositum, sensibilitate eum non orbat, sed dolorem auget. (*Monro*, Essays phys. and liter. Vol. III. p. 327.)

Musculis impositum, irritabilitatem eorum cito delet. (*Monro*, l. c. p. 309.)

Corrigenda.

Pag.	Lin.		
Pag. 33,	Lin. 33	pro	*e sero* lege *seri.*
— 33	— 34	—	*parato* lege *parati.*
— —	— —	—	*condito* lege *conditi.*
— 71	— 3	—	*ponderis parte* lege *mensurae parte.*
— 82	— 1	—	*A gor* lege *Angor.*
— 85	— 15	—	*ante* lege *arcte.*
— —	— 34	—	*illutae* lege *illatae.*
— 115	— 3	—	*ponderis parte* lege *mensurae parte.*
— 121	— 32	—	*iuebriationis* lege *inebriationis.*
— 191	— 10	—	*mitigatus* lege *mitigatae.*
— 193	— 34	—	*producta* lege *productum.*
— 221	— 14	—	*ponderis partibus XX* lege *vicenis guttis.*
— 234	— 16	—	*octillionesies* lege *octillionies.*
— 266	— 27	—	*inhaeret* lege *inhaereat.*
— 275	— 21	—	*falsus* lege *salsus.*
— 337	— 7	post	„animum" comma ponatur.

Errata leviora, quae ob festinandi necessitatem forsitan omissa fuerunt, propitius lector excuset, quaerimus.

Dresdae, typis C. G. Gaertneri.